This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`




6000316111





BIBLIOTHECA BODLEIANA

Erka matre ſub
ſalúr veniſſe
dam filia que
klentz nun
cupatur,

# FONTES ADHUC INEDITI

## RERUM RHENANARUM.

# Niederrheiniſche Chroniken

herausgegeben

von

**Dr. Gottfried Eckertz,**

Secretair des hiſtoriſchen Vereins für den Niederrhein, Inhaber der großen goldnen Medaille für Kunſt und Wiſſenſchaft.

I. Cronica Presulum et Archiepiscoporum *Coloniensis ecclesie.* (Die kölniſche Biſchofschronik.)

II. Die Chronik der Stadt Erkelenz (von den ält. Zeiten bis z. J. 1700).

III. Chronicon memorabilium et notabilium *conventus montis Calvariae* prope *Arwiler* Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum. (Chronik des Calvarienbergs bei Ahrweiler.)

IV. Chronik der Stadt Siegburg.

**Mit dem Bildniſſe der Göttin Erka.**

**Geſammt-Ausgabe zu nur zweihundert und fünfzig Exemplaren.**

**Köln,**

Verlag von J. M. Heberle (H. Lempertz).

**1864.**

240. e. 114. (1)

~~240. e. 80.~~

BIBLIOTHECA
REGIA

Die Herausgabe der kölnischen Bischofschronik ist von den Freunden der vaterländischen Geschichte lange als ein Bedürfniß empfunden worden. Prof. Janssen in Frankfurt äußerte sich im 1. Hefte der Annalen des historischen Vereins für den Niederrhein dahin, daß es unserer Provinz nicht zur Ehre gereiche, daß sie noch immer ungedruckt sei. In ähnlicher Weise hatte sich schon früher Prof. Dr. Ficker in der Vorrede zu seinem Reinald von Dassel ausgesprochen.

Sie beruht auf ältern Bischofsserien und Aufzeichnungen; die vorliegende Redaktion derselben fällt in's Jahr 1370, wo mehrere ihrer Handschriften z. B. die zu Brüssel und die im Haag befindliche, abbrechen. Sie wurde dann später fortgeführt und zwar die auf der Bibliothek des hiesigen katholischen Gymnasiums befindliche Handschrift, welche der nachfolgende Abdruck wiedergiebt, bis zu Philipp von Dhaun († 1515). Unsere Chronik wurde stückweise mit Aenderungen und Zusätzen oder, wie Böhmer sich ausdrückt, zerpflückt in das magnum chronicon belgicum aufgenommen, welches in der zweiten Hälfte des 15. Jahrhunderts von einem Mitgliede des dicht vor Neuß gelegenen Oberklosters verfaßt wurde. Sie war ferner Hauptquelle für die bekannte 1499 bei Koelhof gedruckte „Cronica van der hilliger Stat van Coellen." Daß nämlich mit der Chronik der Erzbischöfe von Köln, welche die Koelhof'sche p. 4$^{b}$ unter ihren Quellen aufführt, unsere Chronik gemeint sei, ersieht man aus der vielfach ganz wörtlichen Uebereinstimmung beider Chroniken, besonders aber überzeugt man sich davon, wenn man einige aus der kölnischen Bischofschronik angezogene Stellen in unserer Chronik wiederfindet. So heißt es in der Koelhof'schen Chronik p. 259$^{b}$ von Walram von Jülich, er sei gewesen, „als getzuiget die Cronica van den byschoffen van Coellen eyn louelich man van vill sachen, hedde he niet rait genommen ind geuolget lychter lude." Dasselbe findet man etwas modificirt in folgender Stelle unserer Chronik p. 42: „fuisset Walramus de multis lau-

dabiliter commendandus, nisi concilia quandoque sua personis leuibus credidisset.“ Namentlich aber im Bericht über Wilhelm von Gennep führt die Koelhof'sche Chronik eine Stelle aus der Bischofschronik an, die sich wörtlich in unserer Chronik wiederholt und zwar folgende p. 262b: „Item die Cronicken van den buschouen van Coellen die beſluyſt des buſchoues legende alſus: wye waill buſchoff Wilhelm die kyrchen, als vurß. is, gelaiſſen hait ſunder ſchult ind yren tzynſſ budel rych und wail gefult, ſo hait he dair intgheyn ſyn lantſchaff ind die vnderſaiſſen der vurß. kyrchen tzo maill ſere arm ind beſneden gelaiſſen vmb der vngewoinlicher ſchetzunge willen, die he alzo gyerlich vp ſyn volck ſatzte.“ Dieſe Stelle findet ſich in unſerer Chronik p. 45. Die Koelhof'ſche Chronik weicht im Uebrigen vielfach von unſerer Chronik ab, ſetzt mitunter zu, während ſie an andern Stellen abkürzt. Für die Beurtheilung der Koelhof'ſchen Chronik iſt in der unſerigen ein neuer Anhaltspunkt gewonnen.

Ueber die drei anderen Chroniken geben die beigegebenen Bemerkungen den nöthigen Aufſchluß.

Köln im December 1863.

# Cronica

presulum et Archiepiscoporum

# Coloniensis ecclesie.

---

Circa principium descriptionis Cronice presulum sancte coloniensis agrippine ecclesie restat aduertendum, quod ipsa sancta ciuitas Colonia agrippina, prout reperitur ex scripturis, ad predicationem sanctissimi viri sancti Materni recepit fidem domini nostri iesu christi circa annum videlicet incarnationis domini nonagesimum. Nam sicut legitur in vita et legenda dicti sancti Materni, beatus Petrus appostolus summi pontificii cathedram in vrbe romana adeptus misit plurimos discipulos ad diuersas [1]) orbis partes ad predicationem euangelii propagandam [2]), inter quos misit ad gallias beatos tres viros scilicet Eucharium Valerium et Maternum, qui creduntur fuisse de numero septuaginta duorum discipulorum *domini.* qui beati viri venientes in galliam primitus accesserunt ad ciuitatem Tongrorum, que tunc fuit populosior et maior inter alias illarum partium ciuitates. Sed dum in exortu predicationis prefatus beatus Maternus obisset, alii duo discipuli de morte socii sue predicationis contristati reuersi sunt romam ad sanctum Petrum geste sibi rei ordinem exponentes. Qui confortans illos in fide tradidit illis baculum suum, quo ipse in proficiscendo sue senectutis vtebatur, vt baculum ipsum inponerent super corpus defuncti socii et ipsum reciperent rediuiuum. Quo taliter facto miraculose resurrexit beatus Maternus, postquam quadraginta diebus iacuerat mortuus in sepulchro. Post resuscitationem igitur dicti sancti viri Idem beatus Maternus accedens coloniam et ibidem predicationi fidei christiane insistens deuote verbo quoque et miraculis clarescens populum coloniensem conuertit ad fidem

---

[1]) Die Handſchrift hat: diuersos.

[2]) Statt propagandam ſteht in der Handſchrift propagandos. Will man die letztere Lesart beibehalten, ſo muß man propagare in der ungewöhnlichen Bedeutung verbreiten, von Perſonen gebraucht, nehmen.

christianam, primus ibidem sedens in pontificatu, prout in sequentibus apparebit. Post ipsius autem decessum non inuenitur in scripturis aliquis alius sibi in cathedram successisse vsque ad tempora beati Seuerini, qui eidem successit post 314 circiter annos. De qua quidem longa vacatione varie sunt apud varios coniecture, Et quia vel ciuitas Coloniensis in paganismum relapsa nullos habuit pontifices, vel si qui forsan ibi prefuerant latebant occulte propter persequutionem fidei christiane temporibus illis crudeliter seuientem. Remansit autem dictus baculus sancti petri apud ecclesias Treuerensem et Coloniensem et usque in presens inter reliquias sanctorum in veneratione habetur. Et propter hanc causam, sicut fertur, dominus papa hodie non vtitur baculo pastorali.

## Maternus.

Anno igitur incarnationis dominice 94 sub domiciano romanorum imperatore beatus Maternus primus sedem pontificalem Colonie agrippine adeptus post obitum Eucharii atque Valerii Treuerorum insimul et Tongerensium episcopus fuit seditque in pontificatu annis 40 et diebus 40. Predicauit autem ibi idem vir sanctus populo fidem christi et sua sancta predicatione et miraculorum virtute populos illarum ciuitatum ad dominum conuertebat. fecit itaque extra portam Colonie ciuitatis, que hodie dicitur porta clericorum, vnum breue et modicum oratorium, vbi ipse populum instruebat et contemplationi sancte atque orationi vacabat, in quo loco nunc est fundata modica capella et propter antiquitatem ex vi nominis ad antiquum summum ab incolis nuncupatur. Tandem postquam cursum predicationis sue bonum[1]) consummasset, feliciter migrauit ad christum in Colonia anno domini scilicet 100 34[2]), sepultus ibidem. Cuius vita et gesta sancta in legenda eiusdem sancti viri, que apud ecclesias multas habetur, plenius continentur. Porro post obitum beati viri Tongerenses et Treuerenses, quorum insimul cum Coloniensis fuerat episcopus, profecti coloniam singuli corpus sui antistitis repetebant. In qua quidem disceptacione ad exhortationem angeli dei in specie cuiusdam senis honorabilis apparentis funere beati

---

[1]) Die Chronik hat am Rande die Wörter sue donum, für welches letztere ich nach dem magn. chron. belg. bonum geſetzt habe.

[2]) 134. Die Chronik drückt mitunter die Zahlen ſo aus, daß ſie die Hunderte und Tauſende ausſchreibt.

Materni cuidam nauicule imposito sine remige et absque nauclero nauicula contra inpetum reni fluuii sursum diuino miraculo ferebatur et in breuis hore spacio miliari confecto stante ad littus nauicula in loco, qui propter tristiciam Coloniensium suo antistite priuatorum Ruwenkirchen est vocatus, sed nunc mutato nomine Roedenkirchen dicitur, Treuerenses sancti viri reliquias receperunt et ad suam ciuitatem Treuerim deferentes eas ibidem mauseolo condiderunt. Baculus vero sancti Petri, quo dictus sanctus Maternus fuerat a morte resuscitatus, prout habetur supra, hoc modo Treuerensibus postea fuit ablatus. Nam cum post tempora sanctus Seruatius Tongerensium et traiectensium Episcopus per spiritum diuinitus congnouisset [1]) vniversas gallie ciuitates per Attilam hunorum regem esse vastandas et ecclesias sanctorum incendendas preter ecclesiam beati Stephani Methensis Et cum idem vir sanctus hec Treuerensibus et aliarum ciuitatum fidelibus insinuasset, omnes reliquias sanctorum Treuerenses vna *cum* dicto baculo sancti petri Methis ad ecclesiam sancti Stephani transtulerunt, sed post vastationem hunorum predictam pace ecclesiis reddita dicti Treuerenses omnes suas reliquias preter dictum baculum sancti petri a methensibus receperunt. Posteriori vero tempore regnante primo et magno Ottone imperatore Bruno frater ipsius imperatoris Archiepiscopus Coloniensis magna fretus potentia prefatum baculum a Methensibus extorquens eundem baculum coloniensi ecclesie venerabili dono dedit. Verum cum postmodum ad instantiam beati Egberti Treuerensium Archiepiscopi Warinus Coloniensis Archiepiscopus ipsum baculum secans per medium superiorem partem sibi retinuit, inferiorem partem reliquam Treuerensibus remisit.

## Seuerinus.

Secundo loco successit in pontificatu Coloniensis ecclesie beatissimus vir sanctus Seuerinus sub imperio scilicet Theodosii primi imperatoris, qui regnare cepit sub Anno domini 384. Cum enim, vt superius est habitum, post decessum beati Materni variis infidelium atque hereticorum perturbationibus lacerata Coloniensis ecclesia per annos circiter 300 14 absque certis et nominatis pontificibus damnabiliter fluctuasset, Sed cum quidam falsus presul nomine Eufrates arrianorum heresiarcha Coloniensis ecclesie prelaturam inuasisset, pontifices catholici galliarum plurimi congregati

[1]) Diese Schreibweise bietet die Chronik, wie auch später pungnare, congnitus, congnominatus etc.

prefatum Eufraten arrianum sinodali sentencia deponentes prefatum beatum virum Seuerinum in locum eiusdem Coloniensis ecclesie episcopum ordinauerunt. Qui sanctitate clarens atque miraculis predicatione sua et doctrina hereses in diuersis partibus gallie extirpauit. Hic, sicut in legenda ipsius habetur, dum quodam tempore hora noctis in Colonia cum clericis suis orandi gratia sancta loca visitando circuiret, audiuit ymnum angelicum in decessu sancti Martini Turonensium episcopi animam eiusdem beati Martini ad celos deferentium per sanctos angelos decantatum.[1]) Idem quoque beatus Seuerinus inter cetera suarum virtutum opera instituit in Colonia ecclesiam et conuentum fratrum in honore sanctorum Cornelii et Cipriani, que nunc mutato nomine ab eiusdem sancti viri nomine dicitur et vocatur ecclesia sancti Seuerini. In qua etiam ipse sepultus multis clarescit miraculis vsque in presens. Obiit autem idem sanctus Seuerinus in Aquitania videlicet in ciuitate burdagalensi, primo ibidem tumulatus sed postmodum inde translatus Coloniam per ciues Colonienses miraculis comitantibus, que sicut et cetera sanctitatis sue gesta in legenda sua et in sacris scripturis apud multas ecclesias auctentice reseruantur.

## Euergislus.

Tercio loco successit in presulatu Coloniensis ecclesie vir scilicet Euergislus. Qui vir sanctus, sicut in legenda ipsius habetur Seuerini, dum nocte illa et hora, qua idem beatus Seuerinus audiuit ymnum angelicum in obitu sancti Martini, vna cum dicto sancto Seuerino circuiret et quasi meritis eiusdem impar voces quidem audiret sed nesciret quid esset, cum ipse esset archidiaconus ipsius beati Seuerini, intellexit voces illas diuinitus esse sanctorum angelorum animam beati Martini deferentium ad gaudia supernorum. Igitur post obitum beati Seuerini cum dictus beatus pontifex Euergislus sibi in pontificatu Coloniensis ecclesie successiset, accessit quodam tempore Tongrim predicandi gratia et confirmandi populum in fide catholicas locum ipsum visitaturus,

---

[1]) Die Handſchrift gibt decantantium. Ich habe dafür decantatum geſetzt, welches auf ymnum zu beziehen iſt. Er hörte einen Engelsgeſang derjenigen, welche trugen ꝛc. von Engeln geſungen. Daß hier die Participialconſtruction (die Tragenden ſind auch die Engel) unrichtig gebraucht iſt, kann bei unſerem Chronikenſchreiber, der die Participien und namentlich die ablativi absoluti in ganz unlogiſcher Weiſe handhabt, nicht befremden.

vbi cum nocte surgens ad orationem accessurus ad ecclesiam pergeret, martirio fuit coronatus, prout hec et alia sanctitatis et vite sue gesta in legenda sua apud ecclesias plenius continentur. Corpus autem huius sancti Euergisli postmodum sub imperio Ottonis primi imperatoris per Brunonem archiepiscopum Coloniensem translatum est Coloniam, ibidem in ecclesia sancte Cecilie virginis honorifice tumulatum, vbi eiusdem sancti viri reliquie requiescunt miraculis choruscando.

## Solinus.

Quarto loco successit in pontificatu Coloniensis ecclesie venerabilis presul Solinus.

## Simeneus.

Quinto loco successit eidem in pontificatu Coloniensis ecclesie venerabilis presul Simeneus.

## Remedius.

Sexto loco sedit in cathedra Coloniensis eeclesie venerabilis *pater* et pontifex Remedius.

## Cunibertus.

Septimo de hinc loco successit in presulatu Coloniensis ecclesie sanctus presul Cunibertus sub imperio videlicet Eraclii Cesaris, qui cepit regnare sub anno domini 600 13 , Seditque sub eodem Eraclio et filio eiusdem Constantino tercio et nepote eius Constantino tercio imperatoribus temporibus quoque dagoberti primi regis Francorum et filii eiusdem Sigiberti annis 10. [1]) hic beatus Cunibertus fuit filius Crallonis illustris ducis lothringie. Cui etiam beato Cuniberto Rex francorum Dagobertus supradictus inter reges francorum fama et potencia nominatissimus prefatum filium suum Sigibertum in annis adolescencie sue constitutum transmisit Coloniam virtutibus et scientia educandum et ipsius sancti viri ductu in Austrasia regnaturum. Ipse quoque beatus Cunibertus nobilem illam possessionem videlicet opidum Susatensium cum suo territorio Coloniensi ecclesie sua industria acquisiuit. Extruxit quoque ecclesiam extra muros vrbis Coloniensis in honore sancti Clementis martiris conuentumque fratrum ibidem instituit et possessionibus magnifice dotauit, que tandem mutato nomine sancti Cuniberti ecclesia nuncupatur. In qua ipse tumulatus honorifice requiescit miraculis choruscando. Cuius vita virtutes et gesta in legenda ipsius plenius continentur.

[1]) Nach gewöhnlicher Annahme regierte Cunibert 40 Jahre.

## Bocaldus.

Octauo loco successit in pontificatu Coloniensis ecclesie venerabilis pater et presul Bocaldus.

## Stephanus.

Nono de hinc loco adeptus est presulatum Coloniensis ecclesie sub Theodorico primo francorum rege venerabilis presul Stephanus.

## Aldewinus.

Decimus inde sedit in cathedra pontificali Coloniensis ecclesie sub francorum rege Theodorico predicto venerabilis presul Aldewinus.

## Giso.

Undecimo postmodum loco pontificatum Coloniensis ecclesie adeptus fuit sedens sub Ludowico 3° et helderico primo francorum regibus venerabilis pater Giso. hic sepultus est Colonie in ecclesia sancti Seuerini.

## Anno.

Duodecimus inde sedit in pontificatu Coloniensis ecclesie sub Dagoberto 2° francorum rege venerabilis pontifex Anno primus. hic sepultus est Colonie in ecclesia sancti Seuerini.

## Pharamundus.

Tredecimo loco sub iam dicto francorum rege Dagoberto 2° successit in cathedra Coloniensis ecclesie venerabilis pater pharamundus.

## Agilolphus.

Quartus decimus de hinc sedit in pontificatu Coloniensis ecclesie sub ragnifredo et hilderico francorum regibus et Karolo marcello maiore domus venerabilis presul Agilolphus. His temporibus administrabat regnum francie prefatus princeps Karolus marcellus filius pippini secundi, qui etiam pippinus grossus cognominabatur. Fuit dictus Karolus pater pippini quarti, qui cognominabatur vanus, et auus Karoli magni. Cum autem quodam tempore surrexisset commotio magna guarrarum inter dictos Ragnifredum et Hildericum francorum reges et Karolum Marcellum memoratum, Idem Karolus in suo habuit consilio beatum Agilolphum Coloniensem episcopum prefatum, de cuius ipse consilio optima disponebat. Concurrentibus igitur ad arma principibus supradictis missus fuit per karolum idem beatus pontifex Agilolphus pro pace tractanda ad partes Ardennie iuxta mo-

nasterium Malmandariensium, vbi castra francorum consistebant et exercitus, vbi ipse beatus vir per impios francorum satellites in via mirabiliter fuit interfectus et martirio coronatus, sepultus in monasterio malmandariensium supradicto. Cuius corpus postea translatum est Coloniam et ibidem in ecclesia beate Marie ad gradus clarens miraculis honorifice tumulatum est. Cetera gesta huius sancti viri ac virtutes in legenda ipsius plenius continentur etc.

## Rangefredus.

Quintodecimo loco successit in cathedra pontificali Coloniensis ecclesie venerabilis pater Rangefredus.

## Hildegerus.

Sextus decimus accessit ad pontificatum Coloniensis ecclesie venerabilis pontifex hildegerus sedens sub Pippino tercio francorum rege. Iste pippinus tercius, qui congnominabatur vanus, fuit pater karoli magni filius autem karoli marcelli. dum esset vir prudens et bellicosus et principatum siue dignitatem prefecti palatii, a qua maiores domus dicebantur, ipse post patrem karolum marcellum strennue administraret, In regia autem dignitate sub regis tantummodo nomine presideret Hildericus desidiosus inutilis et luxuriosus, optimates regni consilio et auctoritate Zacharie pape eundem pippinum elegerunt in regiam dignitatem fuitque auctoritate et de mandato ipsius domini pape per beatum Bonifacium Archiepiscopum Maguntinensium in regem Francorum vnctus et postea per Stephanum papam secundum vnctione regali consecratus detruso in prefato monasterio prefato Hilderico, de quibus fit mentio in decretis videlicet 15 q. 3 c. alius.[1]) Iste siquidem Hildegerus Coloniensis Archiepiscopus cum predicto Pippino francorum rege cum magno exercitu contra saxiones preliante cum usque ad fluvium wasarum peruenisset in expeditionem exercitus eiusdam regis proficiscens, in bello extitit interfectus.

## Berthelinus.

Decimo septimo loco successit in episcopatu Coloniensis ecclesie sub predicto Pippino rege venerabilis presul Berthelinus sedens annis decem.

---

[1]) Die Chronik citirt unrichtig. Es muß ſtehen 15 q. 6 c.

## Ricolphus.

Decimus octauus adeptus est pontificatum Coloniensis ecclesie venerabilis episcopus Ricolphus seditque sub Karolo magno Imperatore et francorum rege annis viginti duobus.

## Hildeboldus.

Decimo nono loco ordinatus est ad pontificatum Coloniensis ecclesie venerabilis pater Hildeboldus sedens sub dicto Karolo magno et filio eius Ludowico primo imperatoribus annis 34. Qui etiam Hildeboldus prefatum Ludowicum vnxit in regem romanorum.

## Haldebaldus.

Vicesimo loco episcopalem cathedram Coloniensis ecclesie adeptus est venerabilis pater Haltebaldus seditque sub Ludowico primo predicto duodecim annis.

## Guntarius.

Vicesimo primo loco ordinatus est in Archiepiscopum coloniensis ecclesie Guntharius sedens in cathedra pontificali sub Ludowico 2° et Lothario secundo fratribus Imperatoribus Romanis. Cuius quidem Guntharii sororem dictus Lotharius habuit concubinam nomine waltradam. Cum igitur idem Lotharius imperator voluisset dimittere uxorem legittimam nomine Thebergham et eidem super ducere in matrimonium Waltradam concubinam supradictam, falso conposuit contra dictam vxorem inponens eidem crimen incestus et sentencia huiusmodi fuit per dictum Guntharium fratrem waltrade nec non Therigaldum Archiepiscopum Treuerensem synodali auctoritate confirmata. Causa autem huiusmodi ad audientiam domini pape videlicet Nicolai primi delata est et falsitate comperta depositi fuerunt ambo Coloniensis et Treuerensis Archiepiscopi memorati per Nicolaum papam supradictum. Cuius quidem depositionis sentencia ponitur in decretis XI. q. iii. in c Therigaldum et ii q. 1. in c scelus.

## Vilbertus.

Vicesimus secundus accessit ad sedem pontificii coloniensis ecclesie sedens sub Karolo 3°, qui dicebatur Junior sive grossus, fuitque nepos Ludowici primi cognominato pii atque sub Arnolpho Imperatoribus venerabilis Archiepiscopus vilbertus annis 20, qui dedicauit ecclesiam sancti petri in Colonia antiquam. In qua ipse idem habuit sepulturam.

## Hermannus.

Vicesimo 3° loco sub prefato Arnolpho nec non Ludovico 3° Conrado primo nec non Henrico primo Imperatoribus sedit in episcopatu Coloniensis ecclesie venerabilis presul Hermannus cognominato pius 35 annis, in dicta sancti petri ecclesia tumulatus.

## Witfridus.

Vicesimus quartus ascendit ad cathedram pontificalem Coloniensis ecclesie sedens sub Henrico primo nec non Ottone primo Imperatoribus 35 annis venerabilis presul Witfridus circa annos domini nongentos et 39.

## Bruno.

Vicesimo quinto loco ordinatus est ad Coloniensem ecclesiam venerabilis Archiepiscopus Bruno primus seditque sub dicto Ottone primo et magno, cuius quidem erat frater et germanus, annis 12. Hic dum Otto frater supradictus moram faceret in Italia recepta[1]) ab ipso Imperatore procuratione galliarum et *prouinciarum* cis alpinarum latrocinantibus fortiter francigenis intulit bellum et adepta victoria cepit vrbem insignem parisiensem et ipsam thesauris copiosis spoliauit. Idem etiam Bruno Archiepiscopus ducem Lothringie latrocinantem bello victum in vincula coniecit et iudicio fratris sui Imperatoris reseruatum ab eodem ducatum lothringie per sententiam dicti imperatoris et principum acquisiuit et Coloniensi ecclesie applicauit, Cum autem ante[2]) hec sua tempora Archiepiscopi Colonienses sui antecessores[3]) non iudicio gladii temporalis sed tantummodo iuredictione usi fuissent baculi pastoralis. Ipse quoque insuper castrum Tuiciensem propter frequentes aduersitates rebellancium confregit, pontem quoque ultra fluuium Reni ex aduerso ciuitatis Coloniensis deductum[4]) propter latrocinia frequenter de eodem commissa deiecit. Corpora etiam sanctorum Euergisli Patroclii Elisii et Priuati de diuersis collecta locis Coloniam transtulit vna cum cathenis, quibus in carcere fuit vinctus sanctus Petrus, et cum baculo sancti Petri, quem ipse ex Methensibus extorsit. Ipse similiter venerabilis presul multas ecclesias alias quidem a fundamento erexit alias possessionibus dotauit multas dirutas vel dilapsas magnifice

---

[1]) Die Handſchrift hat: recepto.
[2]) In der Handſchrift fehlt: ante.
[3]) Die Handſchrift hat: antecessoris.
[4]) In der Handſchrift: deductam.

restaurauit. Ad ultimum ipse idem cenobium monachorum ordinis sancti Benedicti pantaleonis monasterium extra muros Colonienses instituit, vbi sepultus feliciter in domino requiescit. Idem quoque venerabilis pater primus Coloniam a tributis liberam esse fecit.

## Volchmarus.

Vicesimo sexto loco tenuit cathedralem infulam Coloniensis ecclesie sedens sub Ottone magno et primo Imperatore predicto annis quatuor venerabilis presul wolchmarus.

## Gero.

Vicesimo septimo loco successit in pontificio ecclesie Coloniensis sedens sub imperio dicti Ottonis primi et filii eiusdem Ottonis secundi annis septem venerabilis Gero archiepiscopus vir multum religiosus. hic instituit Abbaciam in Glaidbach ordinis sancti Benedicti. Sepultus Colonie in ecclesia sancti petri. Iste, sicut fertur, per successorem suum Warinum nomine, dum adhuc viueret, fuit sepultus, laborauit enim dictus Gero infirmitate capitis, ita vt sepius per multos dies ipse iaceret quasi mortuus, vnde per successorem suum episcopatum ambientem sepultus dicitur ipse viuus.

## Warinus.

Vicesimo octauo loco sortitus est pontificalem cathedram Coloniensis ecclesie sedens sub Ottone secundo Imperatore annis nouem venerabilis pater warinus supramemoratus, qui de facto suo, quia videlicet antecessorem suum scilicet Geronem archiepiscopum utrum affectata vel incauta nescitur negligentia adhuc viuentem fecerat sepeliri, extitit infamatus, accedens ad romanam curiam penitens fuit et impetrata a sede appostolica de hac re indulgentia monasterium sancti Martini in Colonia collapsum decenter ornauit et in religione atque possessionibus habundanter meliorauit Instituens in eodem cenobio nationem Scotorum sub religionis habitu perpetuo permansuram. Idem quoque Warinus ad preces beati viri scilicet Egberti Treuerensis archiepiscopi baculum sancti Petri secans per medium superiorem ipsius baculi partem Coloniensi ecclesie retinuit partem vero inferiorem restituit ecclesie Treuerensi, que ipsum totum habuerat ab antiquo, prout in precedentibus continetur.

## Euergerus.

Vicesimo nono loco ordinatus est in pontificem Coloniensis ecclesie sedens sub Ottone tercio imperatore annis 15 venera-

bilis presul Euergerus. Qui obiit ac sepultus est Colonie in ecclesia sancti Petri.

## Heribertus.

Tricesimo loco successit in sede Coloniensis ecclesie sedens sub dicto Ottone 3° nec non Henrico secundo Imperatoribus annis 20 beatissimus pontifex heribertus. Iste vir sanctus in Italia in comitatu Ottonis tercii Imperatoris memorati in archiepiscopum Coloniensem canonice electus accepta quoque ab ipso Imperatore, qui plurimum sibi fauebat, anuli sicut baculi inuestitura auctoritate domini pape fuit in archiepiscopum consecratus. Tandem cum ipse reuertens cum Imperatore de Italia per aliquos annos stetisset in ecclesie partibus Coloniensis religiosissime presidendo, Reuertens iterum cum Imperatore in Italiam, Nam idem Imperator de precibus et consilio ipsius sancti viri multum confidebat, Inter cetera habuit in via sepius secreta cum Imperatore colloquia de salute animarum. Ad ultimum autem in *huius*modi sanctum propositum vterque conueniunt tam archiepiscopus quam Imperator, quod is ipsorum, qui primo sospes de Italia reuerteretur, instituere deberet decentem religiosorum conuentum in honore sancte dei genitricis marie, ad quod etiam perficiendum larga contradidit eidem Archiepiscopo predia Imperator. Ipso namque Imperatore vrbem romanam ingresso breuiter postea ibidem defuncto corpus ipsius per eundem sanctum Heribertum de hac re dudum in processu itineris per dictum Imperatorem adiuratum de vrbe ad ecclesiam beate Marie aquisgranum [1]) fuit translatum et ibidem honorifice tumulatum. Sanctus itaque Heribertus sponsionis sue, quam in via fecerat Imperatori, non immemor edificavit et instituit abbaciam Tuiciensem in castro episcopali Tuiciensium in honore beate Marie virginis ostenso sibi in visione diuinitus loco, ubi et ipse postmodum sepultus clarens miraculis feliciter in domino requiescit. Mortuo autem, sicut iam dictum est, Ottone 3° et Henrico 2° ad Imperium iam electo, cuius quidem electioni sanctus vir Heribertus presens non erat, dictus Henricus Imperator diu habuit ipsum sanctum Heribertum suspectum, quasi ipse habens scilicet apud se insignia Imperialia, que a prefato Ottone ipse superstes receperat, temptauerit in alium transferre regni diadema. Mansit igitur inter hos duos sanctos viros videlicet Heribertum archiepiscopum et Henricum Imperatorem 2^m^, qui etiam ipse postmodum canonizatus fuit, simulate

[1]) Die Handſchrift hat: aquisgrani.

pacis longa discordia et simultas. Cum igitur Imperator multa ad rem non pertinencia archiepiscopo sepe inponeret, que tamen idem archiepiscopus sustinuit pacienter, Tandem Imperator aduenies Coloniam et indignantem contra archiepiscopum animum gerens ab illo tamen archiepiscopo fuit officiosissime succeptus. Nocte itaque sequente Imperatori sompnium capienti apparuit in visu sibi astare vir terribilem vultum habens sacerdotali infula decoratus sibi dicens, quod nihil sinistrum contra virum dei Heribertum ulterius moliretur. In crastinum igitur Augustus in throno residens et ex industria per internuncios immensam pecuniam ab ipso archiepiscopo exigens, quod tamen in animo non gerebat, dum Archiepiscopus ad eum ingrederetur et mestus deploraret calumpnias, quas ab ipso innocens sustineret, Astantibus quidem nonnullis consiliariis animum Imperatoris contra archiepiscopum inflammantibus ad indignationem adhuc, Augustus surgens de throno prorupit in amplexus et oscula sancti viri confitens se fuisse contra eundem malorum consilio deprauatum et de commissis in ipsum ab eodem veniam suppliciter expetiuit. Dum igitur trino fuissent hii [1]) duo sancti viri sub testimonio trinitatis osculo federati, erubescentes aduersarii dilabuntur et Imperator et Archiepiscopus iuxta se in solio collocantur de negociis reipublice tractaturi. Sequenti vero nocte dum Archiepiscopus post matutinas in ecclesia solus persisteret, Imperator obseruata hora congrua vno duntaxat clerico comitante pulsans ostium oratorii subintrat et abjecta clamide pedibus Archiepiscopi aduolvitur confitens humiliter in eum peccasse et ita cessauit inter sanctos dei seruos simultas nullo de cetero rancorum vestigio remanente. Cetera huius sancti Heriberti vite et sanctitatis sue memoralia, que non sunt pauca, in eiusdem legenda, que in multis reseruatur locis ac ecclesiis, plenius continentur.

## Pilegrinus.

Tricesimus primus rexit Coloniensem ecclesiam sedens sub Conrado Imperatore primo annis quindecim venerabilis pontifex Pilegrinus. Hic instituit collegium sanctorum appostolorum in Colonia et ecclesiam per sanctum Heribertum antecessorem suum inceptam auxit et feliciter consummauit, vbi sepultus in domino requiescit.

## Hermannus secundus.

Tricesimo secundo loco ordinationem accessit ad regimen

[1]) Die Formen hii, hiis ſtatt hi, his kommen mitunter vor.

cathedre Coloniensis ecclesie sedens sub Henrico 3° Imperatore supra dicto annis 20 venerabilis pontifex Hermannus cognomento nobilis appellatus, qui sepultus est in ecclesia sancti petri.

**Anno secundus.**

Tricesimus 3ᵘˢ successit in pontificatu Coloniensis cathedre sedens sub Henrico 3° supradicto et Henrico 4° Imperatoribus annis 20 venerabilis presul sanctus Anno huius scilicet nominis secundus. Iste vir sanctus natione de Dasselle cum adhuc esset in statu minori et prepositus Goslariensis in expeditione exercitus, quem Henricus tercius Imperator predictus contra vngarios rebelles imperio direxit, eundem comitans Imperatorem in bello cum ipsis vngariis commisso fertur forcius omnibus dimicasse. quem etiam propter suc probitatis et indusrie preclare merita dictus Henricus tercius ad episcopalem dignum presulem prouehi procurauit. Hic Anno Archiepiscopus post obitum Henrici Imperatoris tercii supradicti, cum idem Henricus adhuc viuens Henricum quartum filium suum vix annum etatis habentem futurum regem Romanorum designasset et idem Henricus puer Agneti Auguste matri sue per optimates regni ad educandum fuisset commendatus, ipsum puerum nonnullis regni optimatibus annuentibus per vim rapuit a custodia matris vna cum lancea domini saluatoris et aliis regni insignibus et ipsum Coloniam secum ducens in suam recepit commendam. Ipse quoque beatus Anno quinque solemnes instituit congregationes clericorum atque religiosorum, Primam scilicet beate Marie ad gradus in Colonia, Secundam ad sanctum Georgium extra vrbis muros, Terciam in monte, qui dicitur Sibergh, vbi et in pace est sepultus, Quartam in westphalia in loco, qui Graiscap appellatur, Quintam vero in Turingia in loco dicto salvelt. Idem etiam vir beatus religiosis semper intendens actibus Sanctorum et religiosorum christi martirum duorum ewaldorum corpora in ecclesia sancti Cuniberti de neglectis colligens loculis ad capsas decenter ornatas transtulit et in iam dicti sancti Cuniberti ecclesia reuerenter reposuit Fecitque eorundem martirum memoriam translationis a fidelibus solemniter celebrari, quorum translatio facta fuit sub anno domini 1000 74 quinta nonas mensis octobris. Idem beatus pontifex Anno dum ecclesiam beati Georgii, quam ipse de nouo construxerat, in diebus festis paschalibus consecrasset habens in comitiua quosdam de suffraganeis episcopos, inter quos Episcopus Monasteriensis dicitur, et dum post ecclesiè dedica-

tionem ipse Archiepiscopus vna cum suis Coepiscopis et familiaribus in aula episcopali ad refectionem consedisset fuissetque per officialem Archiepiscopi ordinatum, vt prepararetur nauis ad deferendum res necessarias dicti Episcopi Monasteriensis, ministri quidem ad huiusmodi exequendum officium deputati nimis [1]) incaute agentes accedentes ad renum nauim cuiusdam mercatoris extranei ad huiusmodi opus ministri receperunt, vnde dictus mercator proclamans in publico per familiam archiepiscopi violentiam sibi factam vniuersum populum ciuitatis ad tumultum concitat. [2]) Tumultu igitur et vociferatione concitato in populo totum vulgus furore populari concurrens ad aulam ipsum Archiepiscopum inuadere crudeliter minabantur. Dictus vero Archiepiscopus ad ecclesiam confugiens sancti Petri ibi se conseruare inter sanctorum pignora nitebatur, donec potuisset furor populi mitigari, sed ipsis crudeliter insistentibus et infra triduum non cessantibus a tumultu et valuas templi obseruantibus Tandem vir sanctus quorundam ciuium, quorum erat mens sanior, auxilio per murum ciuitatis a domo ipsi muro adherente fuit submissus et per familiares eius exitum ab extra obseruantes abductus taliter ab huiusmodi imminenti periculo auxiliante deo liberatus. Quid plura? congnita per prouinciam huius sancti viri contumelia vniuersus populus opidorum urbium atque villarum circumquaque in vltionem iniuriarum sui pastoris vno spiritu concitati concurrentes ad arma ciuitatem Coloniensem per dies aliquot obsederunt, donec ciuibus, qui huiusmodi fuerant auctores mali, eis traditis vindictam in eos nesciente tamen ipso Archiepiscopo nec consenciente fecerunt Plures ex dictis ciuibus priuatis oculis excecantes. Verum post vindictam huiusmodi in dictos ciues taliter factam vir sanctus memorans in consciencia apud se ipsum, quod bonarum est mentium timere ibi culpam, ubi culpa minime reperitur, et de facto quamuis non suo sed propter ipsum perpetrato multum penitens Ad ultimum accedens ad Coloniam omnes in communi ad pacem et concordiam humiliter inuitauit et sacra exhortatione alloquens ad pacis et concordie imbuit vnitatem, Insuper ad prefatum charitatis in ipsis suis ciuibus vinculum confirmandum ipse sacra missarum solemnia celebrans omnes tam emulos quam communes communicans sacramento cor-

[1]) Die Handschrift hat: minus.
[2]) Die Handschrift hat: concitatur.

poris et sanguinis domini nosri iesu christi multa ex hinc fomenta exhibens pietatis. Postmodum accedens ad monasterium Sibergensem[1]) et cum fratribus religiosis tractans de uerbo uite et bonis operibus elemosinarum orationum et ieiuniorum insistens regressus Coloniam in pestem podagricam dextro pede incidit et ubi occubuit ibidem in domino feliciter obdormiuit anno domini 1000 75 anno episcopatus sui 21, sepultus ibidem tam in vita quam post mortem multis miraculis choruscando. Porro post decessum huius sancti viri cum corpus eiusdem iam 100 et 8 annis iacuisset in sepulchro, translatum est corpus eiusdem per venerabilem Joannem presbiterum sancte romane ecclesie Cardinalem et Petrum Lunensem Episcopum et reuerenter in capsa collocatum. Cuius tunc translationem deus, qui semper est gloriosus in sanctis suis, nouis miraculis decorauit, Dum tamen multi post mortem sanctitati sue detrahentes ipsum dicerent ecclesiarum fuisse dilapidatorem propter elemosinas, quas fecerat, et *ciuium* suorum excecatorem. Nam ipsa nocte dum translatio eius fieret nullo conscio ianuis obfirmatis audita fuerunt[2]) illa hora per omnes sub monte habitantes monachis quidem in monte habitantibus minime audientibus quatuor maiora signa campanarum ecclesie solemniter insonare, stupentibus omnibus, quid huiusmodi pulsatio pretenderet, donec facto mane res tam insolita cunctis innotescebat. Cetera sanctitatis huius sancti pontificis Annonis vite ac conuersationis et miraculorum insignia in legenda ipsius, que apud multas seruatur ecclesias, plenius continentur.

## Hildeboldus.

Tricesimo quarto loco sedit in pontificali cathedra Coloniensis ecclesie sub Henrico quarto Imperatore supradicto annis 15 venerabilis Archiepiscopus Hildolphus.

## Sigewinus.

Tricesimus quintus tenuit pontificalem cathedram Coloniensis ecclesie sedens suo Henrico 4° Imperatore supradicto annis 10 venerabilis presul Sigewinus.

## Hermannus tercius.

Tricesimo sexto loco ordinatus est ad regimen pontificale Coloniensis ecclesie sedens sub predicto Henrico quarto Impera-

[1]) Die Chronik bildet häufig den Accusativ des Neutr. der Adjective nach der 3. Decl. auf em. So liest man p. 25: castrum Tuiciensem etc.
[2]) Die Handschrift hat: fuit.

tore annis 10 et mensibus sex venerabilis pater Hermannus tercius, quem diuitem cognomento appellamus.

## Fredericus primus.

Tricesimus septimus successit in pontificalem cathedram Coloniensis ecclesie sedens sub Henrico 4° et 5° nec non Lothario 3° Imperatoribus annis 36 venerabilis presul Fredericus primus. Iste prefatum Lotharium vna cum vxore sua Ritza Colonie vnxit in Imperatorem. Idem quoque plus factione Henrici quarti Imperatoris supradicti quam electione priorum [1]) ascendit ad episcopatum. Nam usque ad hec tempora Imperatores Inuestituram anuli et baculi tradere consueuerunt. Porro ipse idem Fredericus contra iniuriam multitudinem Sweuorum et Bauarorum parua licet manu in campis Andernacensibus [2]) confligens feliciter triumphauit. Hic etiam fundauit monasterium in Rolanswerde et cellam religiosorum fratrum in Romago supra montem. Sepultus est in monasterio Sibergensi.

## Bruno secundus.

Tricesimo octauo loco successit ad regimen Coloniensis ecclesie sedens sub Lothario 3° Imperatore supradicto annis sex venerabilis pontifex Bruno secundus. Hic cum esset prepositus sancti Gereonis Coloniensis repulsa electione canonica priorum de persona Gotfridi prepositi xanctensis ecclesie facta fauore dicti Lotharii Imperatoris fuit per violentiam intrusus. Is autem cum dictum Lotharium in Italiam in expeditione armati exercitus fuisset comitatus, ad barum ciuitatem Apulie obiit, sepultus ibidem.

## Hugo.

Tricesimus nonus cum fuisset in pontificatu Coloniensis ecclesie venerabilis pater Hugo prius maioris ecclesie Coloniensis decanus, qui per Innocentium papam secundum in Archiepiscopum Coloniensis ecclesie consecratus paucis subuixit diebus dictum Imperatorem in Italiam similiter comitatus et apud barum dictam ciuitatem defunctus iuxta suum antecessorem ibidem extibit tumulatus.

## Arnoldus primus.

Quadragesimo loco sub Conrado 3° Imperatore sedit in cathedra pontificali Coloniensis ecclesie annis 10 venerabilis pontifex Arnoldus primus prius in ecclesia sanctorum Appostolorum

---

[1]) In der Handſchrift: prioris.
[2]) Die Handſchrift hat: Andernacencis. So auch p. 34.

Coloniensis prepositus. Cum autem his temporibus per Eugenium papam apud Remis frisset generale consilium habitum, Idem Arnoldus huic consilio absens ipse in concilio de symonia accusatus vna cum archiepiscopo Maguntino absente similiter sentenciam deposicionis accepit. dictis vero duobus Archiepiscopis pro sua reconsiliatione Romam accedentibus et dicto Maguntinensi Archiopiscopo gratiam gratis obtinente Idem Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus reconsiliationem non valuit obtinere, cum tamen ipse pro sua reconsiliatione obtinenda plurima obtulisset, quod quidem satis mirabile videbatur, cum romani semper diligant munera sequentes retributiones et regularitur nemo nisi ambitiosus consueuit ibi stare.

## Arnoldus secundus.

Quadragesimus primus adeptus est pontificatum Coloniensis ecclesie sedens sub frederico primo Imperatore annis quinque venerabilis presul Arnoldus secundus, qui ante pontificatum fuit ecclesie maioris prepositus et dicti Frederici Imperatoris Cancellarius. Iste monasterium in Ryndorp sancti Clementis in territorio Bunnensi multis decentibus ornamentis decorauit, vbi et ipse sepultus requiescit.

## Fredericus secundus.

Quadragesimo 2º loco successit in regimine pontificali Coloniensis ecclesie sedens sub predicto Frederico primo Imperatore nondum duobus annis completis venerabilis pater Fredericus secundus, qui natione de dassele prius ecclesie sancti Georgii Coloniensis prepositus repulsa electione canonica de Gerardo prepósito Bunnensi facta Juniorum [1]) de ecclesia electione et propinquorum intrusione fuit Archiepiscopatum [2]) Colonie assequutus. Iste Imperatorem Fredericum primum comitatus in Italia ab Adriano papa quarto consecratus obiit in papia. Cuius ossa inde translata in monasterio veteris montis Coloniensis diocesis sunt sepulta. Hic quidem castrum Randenrode propter rebellionem destruxit et solo coequauit.

## Reynaldus.

Quadragesimo tercio loco ascendit ad dignitatem cathedre Coloniensis ecclesie similiter nacione de dassele prius prepo-

[1]) Die Handschrift hat: Junioris. Das magn. chronic: iuvenum clericorum.
[2]) In der Handschrift: Archiepiscopus.

situs Hildeshemensis sedens sub Frederico primo Imperatore supradicto annis octo venerabilis memorie pontifex Reynaldus. Hic vir omni probitate conspicuus fuit dictum Imperatorem in Italiam comitatus eiusdemque fuit Cancellarius. Cum ipse itaque vna cum prefato rempublicam romani Imperii per multas sollicitudines et fatigatis laboribus vtiliter in Italia administraret, accidit, quod frater ipsius Imperatoris Conradus videlicet palatinus Ludouicus Turingie Lantgrauius et Fredericus Alamanie Conradi olim tercii filius Archiepiscopatum Coloniensem dicto Archiepiscopo absente hostiliter inuaserunt et concepto inter se consilio, vt terras Archiepiscopi pro libito percurrere et predari possent, montem illum, vbi nunc est castrum Rynecke positum, preoccupare et predari munitionem in eo facere intendebant. Quod cum industriam prefati Reynaldi Archiepiscopi in Italia cum Imperatore existentis non lateret, ipse conceptum et factum huiusmodi Philippo maiori decano Coloniensi, qui sibi in Episcopatu successit, et fidelibus ecclesie per nuncios intimauit et montem predictum per ipsos occupari mandauit. Quod cum ita factum esset et dicti principes in suo proposito se[1]) preuentos sentirent, Ipsi bellum ad feriam secundam in rogationibus in campis Andernacensibus Coloniensibus indixerunt. quo facto ex industria prefati Philippi decani et prelatorum Coloniensium tantus pedestris et equestris pariter exercitus occurrit, qualem ex tot preclaris nobilibus et fortibus teutonicis in acie congregatos[2]) in memoria non habetur. Nam computati fuerunt plus quam Centum et vigiati quinque milia bellatorum, vnde nullus dictorum principum fuit ausus venire, cum tamen fuissent per Colonienses diebus 12 expectati. Dictus igitur Philippus decanus cum ministerialibus et fidelibus Coloniensium in dicto monte Castrum posuit ad munimen Coloniensis ecclesie, quod usque hodie allodium Coloniensis ecclesie Ryneck nuncupatur. Inter hec autem idem dominus Reynaldus Archiepiscopus super omnes principes Imperatori deuotus et fideliter seruiens eidem hec tam iocunda noua percipiens in Italia impetrata ab ipso Imperatore grata licentia et acceptis ab

[1]) se fehlt in der Handschrift.

[2]) Ich habe congregatos, welches in der Handschrift steht und auf qualem exercitum zu beziehen ist, beibehalten. Der Chronikenschreiber setzt nämlich zuweilen zu nominibus collect. nicht bloß das Zeitwort, sondern auch das Beiwort in die Mehrheit. So heißt es z. B. p. 14: vniuersus populus concitati concurrentes etc. ciuitatem coloniensem obsederunt.

ipso in dono preciosissimis muneribus scilicet corporibus beatissimorum trium regum nec non duorum martirum videlicet Felicis et Naboris, que quidem sanctorum reliquie in ciuitate Mediolanensi per Imperatorem tunc capta atque destructa fuerant usque illuc recondite, cum dictis venerandis reliquiis in vigilia beati Jacobi appostoli sub anno domini 1164 cum gaudio et exultacione omni gloriose coloniam aduenit dictas ibi reliquias ad honorem et exultacionem ipsius ciuitatis Coloniensis usque in hodiernum diem ibidem relinquendo. Idem etiam venerandus pontifex corpora sanctorum martirum Cassii et Florentii et sociorum eorundem in ecclesia Bunnensi inuenta quidem sed sicco sanguine passionis ipsorum euidenter apparente, cum iam 700 72 annis sub terra quieuissent recondita, transtulit et ad capsas honorifice recollegit. Imperator siquidem Fredericus primus supradictus Italiam cum exercitibus pluries aggressus prefati domini Reynaldi Archiepiscopi probitate et industria omnem sibi Longobardiam Apuliam atque Italiam subiugabat. Accidit autem, quod quodam tempore ipso Reynaldo Archiepiscopo vrbem Tusculanam Imperatori fidelem ingresso romani ex eis infidelitate malicia Imperatori rebellionem molientes[1]) contractis copiis quasi ad 42 milia virorum dictum Reynaldum Archiepiscopum in ipsa ciuitate Tusculana obsidione posita vallauerunt. Ipse vero non plus nisi 100 et 40 milites secum habens tam ob reuerentiam sacre feste diei scilicet Penthecostes, que tunc erat, quam ob paucitatem suorum, quia non nisi dei fretus auxilio cum tanta multitudine pugnare non valuit, se infra muros ciuitatis continuit ipsa die. Interea existente pro tunc in partibus illis strennuo pontifice scilicet Christiano Archiepiscopo Maguntino, qui continue 40 annis in seruitio Imperatoris ibidem moram trahens totum ducatum Spoletanum et multas ciuitates atque castella[2]) sibi subiugauerat, cuius quidem timor et fama super omnes in circuitu prouincias intonabat, Idem Archiepiscopus Maguntinus et cum episcopo Philippus Coloniensis ecclesie maior decanus Imperatoris Cancellarius dicti Reynaldi in episcopatu successor cum 500 vel circiter viris armatis per longam et arduam viam gressi fessi in auxilium dicti Reynaldi Archiepiscopi venientes iuxta ciuitatem Tusculanam obsessam in confinio resederunt, quos statim Romani

---

[1]) In der Handschrift: molientis.
[2]) Die Handschrift hat: castellas.

inuadentes statim. retrocedere compulerunt. Sed ipse dominus Reynaldus spem sibi ponens in domino cum suis apertis portis[1]) obsesso ciuitatis erumpens romanum exercitum bello audacter inuasit et prostratum omnino fugauit, vbi de romanis passim per agros fugientes nouem milia ceciderunt et quinque milia capti fuerunt. nullis de parte Archiepiscopi perditis. preda tota cessit seruientibus, militibus tantum triumphi gloria seruabatur. Computatum igitur fuit postea per romanos, quod de quadraginta duobus milibus vix duo milia in vrbem sunt reuersi incolumes. Romani igitur hiis pressuris ad dedicationem coacti prefato Frederico Imperatori de cetero firmam obedientiam prestiterunt certis pactis iureiurando[2]) et scripturis valide roboratis. Cuius[3]) quidem domini Reynaldi Imperator exhileratus victoria eidem Archiepiscopo Coloniensis ecclesie largas fecit possessionum et priuilegiorum donationes, inter alia conferens eidem Archiepiscopo et ecclesie Coloniensi Curtes Imperiales in Andernaco et Echenhagen cum nonnullis aliis, quibus ipsa Coloniensis ecclesia gaudens habundat usque in presens. Obiit autem ipse dominus Reynaldus in Italia in vigilia Assumptionis beate marie vir sapientia et probitate mirabilis, cuius ossa translata sunt Coloniam et in ecclesia sancti petri honorifice tumulata.

## Philippus.

Quadragesimus quartus successit eidem Reynaldo in pontificatu Coloniensis Cathedre sedens sub Frederico primo supradicto et filio eiusdem Henrico sexto Imperatoribus annis viginti Philippus prius maior Coloniensis decanus predicti Frederici Imperatoris Cancellarius Natione de Heymisberghen oriundus vir quidem Reynaldo predecessore suo non impar fama prudentia et probitate. Defuncto autem in Italia, sicut supradictum est, Reynaldo Archiepiscopo Coloniensi supradicto Fredericus Imperator multum affectans eundem philippum suum tunc Cancellarium ad dignitatem Coloniensis pontificii promoueri scripsit epistolas suas Imperiales mirabiliter fauorabiles ad Henricum de Alpheu Henricum de volmersten et Gerardum aduocatum Coloniensem et ad ministeriales et vasallos Coloniensis ecclesie pro dicto Philippo

[1]) In der Handschrift fehlt: portis.
[2]) In der Handschrift: iurisiurandi.
[3]) In der Handschrift: quod.

*Cancellario* suo in Coloniensem Archiepiscopum promouendo, quarum quidem litterarum exemplaria apud nonnullos studiosos in scripturarum memoria usque in presens reseruantur. Votis igitur imperatoris in hac parte ad effectum productis dictus Philippus licet absens in Coloniensem Archiepiscopum electus in vigilia Assumptionis Henricum sextum filium Frederici primi de voluntate ipsius Frederici Imperatoris Aquisgrani vnxit in regem Romanorum. Huic Philippo Coloniensi Archiepiscopo ob probitatis et virtutum suarum merita et successoribus Coloniensibus Archiepiscopis Imperator Fredericus memoratus contulit ducatum Westphalie et Angarie et eundem in solemni principum atque optimatum Imperii curia apud Geylenhusen celebrata de dictis ducatibus vexillo Imperiali et banno solemniter inuestiuit. Cum igitur illis temporibus Henricus dux Saxonie vir multis diuiciis et potencia pollens, cuius quidem Henrici ducis fuit filius Otto quartus, qui postea vna cum Philippo 2° regnauit in Imperio Romanorum, contra Fredericum Imperatorem et contra rempublicam ceruicosa tirannide multa ageret insolenter, Idem Fredericus Imperator de consensu principum et optimatum Imperii et per sentenciam eorundem prefatum Henricum deposuit et priuauit honore et nomine ducatus, ducatum, quem sibi abstulit, secans per medium vnam partem contulit Garnardo duci Saxonie nepoti suo alteram vero partem concessit Philippo Archiepiscopo Coloniensi supradicto et eundem, sicut supradictum est, solemniter inuestiuit. Unde idem Philippus Archiepiscopus Coloniensis, prout erat vir audax et strennuus, huiusmodi concessionis Imperialis sibi assumens exequutionem cum exercitu trium milium militum electorum exceptis armigeris equitibus et pedestri exercitu, quorum non fuit numerus, intrans saxoniam prefatum Henricum ducem per Henricum Imperatorem iam depositum tribus continuis annis incessanter impugnans expulit et finaliter exterminauit et potenti manu obtinuit et sibi atque ecclesie Coloniensi acquisiuit possessionem ducatus Westphalie et Angarie et successoribus Westphalie et Angarie ducatum usque in presens derelequit. Idem quoque Philippus vir memoria dignus quadraginta milia et septingentas marcas argenti exposuit in emptionem possessionum ecclesie Coloniensis et prediorum. Fuit itaque, prout fertur, vir corpore fortis et persona pulcherrimus audax et animosus corpore et super omnes liberalis. Obiit autem apud ciuitatem Neapolim Imperatorem Henricum sextum in expeditionem Apulie comitatus. Cuius ossa

Coloniam delata in ecclesia sancti Petri sunt sepulta. O inestimabilis benignitas conditoris, qui Coloniensem suam ecclesiam talibus duobus principuis et egregiis viris illis temporibus successiue videlicet Reynaldo atque Philippo tamquam duabus columpnis ferreis feliciter stabiliuit.

## Bruno tercius.

Quadragesimo quinto loco sedit in pontificali sede Coloniensis ecclesie sub Henrico sexto Imperatore tribus annis Bruno tercius. Hic prius maioris Coloniensis ecclesie prepositus. Cum ad episcopatum Coloniensem Lotharius Bunnensis Canonicus fuisset electus, per manus nobilium et per impressionem manus laicorum repulsa dicti Lotharii electione fuit intrusus. Fuit itaque iste Bruno frater secundum carnem Frederici secundi, de quo habetur supra in precedentibus, qui similiter per intrusionem accessit ad episcopatum. Iste siquidem Bruno, quia senex fuit et debilis, resignauit episcopatui finiens vitam in monasterio veteris montis.

## Adolphus primus.

Quadragesimus sextus tenuit episcopatum Coloniensis ecclesie sedens sub Henrico sexto Philippo secundo et Ottone quarto Imperatoribus annis duodecim venerabilis Adolphus presul primus. Hic prius existens maioris ecclesie Coloniensis prepositus fuit filius Brunonis tercii supradicti. Cum autem post obitum Henrici sexti Romanorum regis supradicti Idem Bruno Coloniensis et Theodericus Treuerensis Archiepiscopi in electione discordes Ottonem quartum elegissent aliis quidem principibus eligentibus Philippum secundum in regem, de qua quidem electione facit mentionem decretalis venerabilis c. extra de electione, Idem Adolphus Archiepiscopus Coloniensis dictum Ottonem electum suum Aquisgrani coronauit. Fuit autem ille Otto quartus filius illius Henrici ducis Saxonie, cui Fredericus primus Imperator ducatum Westphalie abstulerat et contulerat ecclesie Coloniensi. Fuit quoque comes pictauiensis. Orta igitur longa et dira guarrarum inter dictos dominos scilicet Ottonem et Philippum ad regnum coelectos discordia cum Philippus potencia et auxiliis maioribus multo stipatus milite [1]) alteri scilicet Ottoni preualeret et propter

[1]) Anſtatt multo stipatus milite, welches das magn. chron. belg. gibt, ſteht in der Handſchrift: multo stipulatus iudice, was keinen Sinn zuzulaſſen ſcheint.

favorem[1]) Archiepiscopi Adolphi, qui eundem Ottonem elegerat, Episcopatum Coloniensem inuadens absque resistencia longo tempore deuastasset, fama ipsius Archiepiscopi Coloniensis cepit esse non integra apud Ottonem suum electum, quasi ipse Archiepiscopus contra Philippum manum validam non apponeret, cum tamen secundum veritatem ipse solus et auxiliis Ottonis sui electi destitutus potencie dicti Philippi resistere non valeret. Unde ipse Adolphus Archiepiscopus necessitate guarrarum compulsus vel sicut quidam coniecturantur, promissis et muneribus Philippi allectus receptis ab ipso Philippo Jureiurando et obsidibus per partem sibi faciens cum philippo in vigilia Epiphanie Aquisgrani similiter in regem coronauit. Suboritur igitur propter hoc inter prefatum Ottonem regem et Adolphum Archiepiscopum suspicionis et rancoris causa. Idem Adolphus de hac re per Ottonem regem apud Innocentium papam tercium accusatus et per papam propterea ad curiam romanam personaliter citatus sed non comparens per dictum papam Innocentium primo fuit excommunicatus, sed cum ipse excommunicationis sentenciam parvi penderet, Innocentius papa sentenciam depositionis in ipsum tulit, quam quidem deposicionis sentenciam Syfridus Archiepiscopus Maguntinus et Episcopus Cameracensis recepto legationis appostolice officio in Colonia presente dicto Ottone rege contra dictum Adolphum exequutioni mandauerunt.

## Bruno quartus.

Quadragesimo septimo loco deposito quidem, sicut premissum est, per sedem apostolicam Adolpho Coloniensi Archiepiscopo successit in episcopatu sedens sub predictis Philippo 2° et Ottone quarto Romanorum regibus annis tribus venerabilis Bruno quartus. Hic natione de heynbach existens post depositionem supradicti Adolphi ad episcopatum Coloniensem electus per Dominum Siffridum Archiepiscopum Maguntinensem et duos alios episcopos de anglia per Innocentium tercium papam in officio delegationis destinatos fuit in Coloniensem Archiepiscopum consacratus. His igitur taliter gestis dictus Adolphus depositus apud Spiram in conuentu regis per Philippum regem ibidem cum optimatibus regni celebrato comparens coram ipso Philippo rege sue deposicionis sibi miserias patefecit. Cui idem

[1]) In der Handschrift: fautorem.

Philippus rex compaciens Archiepiscopatum Coloniensem hostiliter ingressus et omnia depopulans inter multas munitiones captas cepit etiam opidum Nussiense, quod ipse dicto Adolpho deposito pro sue depositionis solatio assignauit. In hac siquidem armorum expeditione occurrunt cum exercitu Philippo regi prefatus Otto suus in regno aduersarius et cum ipso dictus Bruno quartus in Coloniensem Archiepiscopum iam promotus. Commisso autem inter ipsos bello iuxta Vasenberch dicti rex Otto et Bruno Archiepiscopus terga vertentes campum dimittunt. Ipseque Bruno Archiepiscopus per Philippum regem capitur et tentus per vnum annum in vinculis tandem per duos cardinales missos in legatione in Almaniam pro pace inter dictos duos reges tractanda domino pape Rome restituitur et postea prefato Philippo rege per suos interfecto dictus reuersus ad ecclesiam suam Coloniensem est, defunctus et sepultus ibidem in ecclesia sancti petri. Ea quoque tempestate Castrum landschrone in Episcopatu Coloniensi per Philippum regem supradictum ad oppressionem Coloniensis ecclesie fuit constructum, prout hec et alia hanc historiam contingencia in superioribus scilicet in Cronicis Imperatorum sub temporibus Philippi secundi et Ottonis quarti[1]) Romanorum regum plenius continentur.

## Theodericus primus.

Quadragesimo octauo loco assumptus est ad pontificatum Coloniensis ecclesie Theodericus primus ecclesie sanctorum apostolorum Coloniensis prepositus sub Ottone quarto Imperatore predicto seditque annis quinque. Iste Theodericus Coloniensis Archiepiscopus cum dominus papa supradictum Ottonem Imperatorem suborta inter ipsos turbatione excommunicasset et per prelatos almanie sentenciam huiusmodi executioni mandari precepisset, mandato appostolico non parens sentencam huiusmodi exequutioni mandare non curauit. Primo Ottoni excommunicato in omnibus communicans bona ecclesiarum, quarum prelati et rectores sentencie parebant, vndique depredauit suis ea consanguineis et familiaribus largiendo, propter quod idem Theodericus per Siffridum Archiepiscopum Maguntinensem commisso sibi per papam legationis officio vna cum dicto Ottone Imperatore excommunicatus publice nunciatur. Fertur autem ipse

[1]) Die Handschrift hat: tercii.

Theodericus ante suam promotionem ad Archiepiscopatum Coloniensem deo et beate Marie virgini plurimum fuisse devotus sed postea malorum consilio deprauatus adeo, quod modicam haberet inter personas ecclesiasticas et laycos differentiam rusticos et religiosos et monachos equo pertractans et his sicut ab illis thelonea atque pedagia nec non et indebitas exactiones per vim extorquens. Vnde contigit, quod pro his et aliis sue tirannidinis excessibus accusatus per Siffridum Archiepiscopum Maguntinensem supradictum auctoritate Domini pape sicut Adolphus eius antecessor, de quo in superioribus premissis agitur, dignitate et officio pontificali fuit priuatus. Quibus tamen depositis vtrique eorum de redditibus Episcopalibus quadringente marce pro sustentacione ipsorum fuerunt assignate remissa apud ecclesiam libera electione secundum canonum instituta. Porro dictus Theodericus Coloniensis Archiepiscopus ante sui depositionem construxit castrum Gudensbergh in monte, vbi prius fuit constructa et consecrata ecclesia in honore sancti Michaelis Archangeli, Vbi nullus [1]) ante ipsum munitionem ponere presumpserat, quod quidem castrum fertur edificasse de sumptu vsurarum cuiusdam iudei per eundem captiuati.

## Engelbertus primus.

Quadragesimus nonus deposito, prout iam dictum est, Theoderico primo electus fuit ad pontificalem Cathedram Coloniensis ecclesie sedens sub Ottone quarto et Frederico 2° Imperatoribus annis decem venerabilis pontifex Engelbertus primus, qui filius Comitis de monte ex matre filia Comitis Gelrie habuit paternos nobiles antecessores suos Colonienses Archiepiscopos videlicet Fredericum secundum et Brunonem quartum, Adolphus vero depositus similiter Coloniensis Archiepiscopus patrui ipsius filius fuit. Erat autem iste Engelbertus aspectu decorus statura corporis procerus robustus viribus et tante pulchritudinis, vt in clero et populo ei non posset similis inueniri. Vnde Fredericus Imperator secundus iam in regno sublimatus audita dicti Engelberti Archiepiscopi probitate et fama negocia regni citra alpes sibi commisit et filii sui Henrici eum tutorem constituit, tocius regni per uniuersam germaniam ipsum deputauit administratorem. Ipse igitur Engelbertus conuocatis regni principibus eundem Henri-

[1]) nullus, welches in der Handschrift fehlt, ist zugesetzt nach dem magn. chronic. belg.

cum Imperatoris filium quamvis adhuc puerum de beneplacito Imperatoris vnxit in regem Almanie, quem quidem ipse nutriebat vt filium et tanquam dominum honorauit. Tanta autem fuit per uniuersum regnum pax in diebus suis, vt antiqua Augusti tempora crederentur. Predictus tamen Imperatoris Frederici secundi filius Inter reges non computatur. Nam ipse adhuc adolescens accusatus apud patrem et in Apuliam [1]) ductus ibidem decessit squalore carceris suffocatus. Factum est autem, quod cum Fredericus comes de ysenberch dicti domini Engelberti Archiepiscopi consanguineus aduocacia regalis ecclesie Assindensis tirannica abuteretur crudelitate, Ipse dominus Engelbertus receptis super hoc mandatis apostolicis domini Honorii pape et Frederici Imperatoris monuit supradictum Comitem, ut a sua desisteret tirannide, prefata aduocacia legitime vteretur, quibus monicionibus idem Comes exacerbatus quodam tempore, dum prefatus Archiepiscopus in via prope villam dictam Swelme incederet sequenti die ibidem ecclesiam consacraturus, ipse Comes instinctu diabolico eundem Archiepiscopum nihil suspicantem viginti octo confossum vulneribus crudelissime interfecit. Post quod execrandum facinus dictus Comes velut alter cayn vndique vagus et profugus diffugiens nusquam potuit esse tutus Castro quidem dicto ysenberch, quod quidem inexpugnabile videbatur, per successorem domini Engelberti interfecti solotenus expugnato diruto atque confracto, quod quidem usque hodie ruine eius attestantur, in ultionem sanguinis venerandi pontificis supradicti. Deus autem, cuius est utique vindicta, et ipse retribuit et taliter ordinauit, quod ipse Comes sacrilegus pii pontificis interfector eodem fere die post annum elapsum, quo idem pontifex mortuus cum luctu omnium Coloniam est inuectus, dictus Comes iam captus cum gaudio multorum per portam alteram ciuitatis oppositam vinculatus est introductus et post triduum sentencia mortis in ipsum lata per portam ciuitatis, que dicitur sancti Seuerini, ad campos eductus, confractis tormentabiliter cruribus et brachiis suis et omnibus membris miserabiliter distractis super rotam positis in monticulo iuxta viam regiam Ipse, cuius usque in presens apparent vestigia, ad miserum transeuntium spectaculum est tormentaliter eleuatus. plurimi quoque ex eiusdem satellicio postea in breui monte pessima perierunt. Et quod dignum relatu duximus annotandum, omnis

[1]) Die Handſchrift hat: Apulia.

eiusdem sacrilegi Comitis posteritas post dicti venerandi pontificis interfectionem defecit in statu et honore et adhuc hodie deficit nec unquam postea resurrexit. Sepultus est autem iste venerabilis presul Engelbertus in ecclesia sancti Petri.

## Henricus primus.

Quinquagesimo loco successit in regimine pontificalis cathedre Coloniensis ecclesie sedens sub Frederico secundo Imperatore annis duodecim venerabilis presul Henricus primus. Hic de domo nobilium Mulenarken ducens originem de morte Engelberti sui predecessoris condignam sibi assumens ultionem Primo castrum dicti Comitis sacrilegi homicide potenter obsedit a fundamento diruit et solo coequauit. Demum apud sedem appostolicam obtinuit mitti vnum Cardinalem legatum in Coloniam pro anathemate reorum mortis antecessoris celebrius exequendo. Tandem accedens ad Imperium Nurenberch in curia solemni principum ibi congregata[1]) adductis secum et ostensis in publico spectaculo vestibus antecessoris interfecti sanguinolentis omnes in morte eiusdem reos banno Imperiali damnari et subici procurauit. Insuper ipse idem Henricus Archiepiscopus duos fratres dicti Comitis homicide videlicet Theodericum Monasteriensis et Engelbertum Osnaburgensis ecclesiarum Archiepiscopos tanquam de fautoria fratris suspectos ab episcopali dignitate et officio pontificali deponi procurauit. Ad ultimum dicto comiti profugo insidias vndique statuens ipsum in leodio captum a quodam milite pro duobus milibus marcarum redimens Coloniam adduci atque rotali supplicio plecti demandauit, prout hec supra in gestis dicti domini Engelberti Archiepiscopi plenius continentur.

## Conradus.

Quinquagesimus primus ascendit ad pontificatum Coloniensis ecclesie Conradus de Hostaden Maior prepositus vir honore et nomine dignissimus sedens in cathedra episcopali annis triginta tribus et dimidio. Hic suo tempore Coloniensem ecclesiam amplis possessionibus et nobilibus plurimum sublimauit. Fuit autem iurium et libertatum ecclesie pugil strennuus et propugnator prospera simul et aduersa secundum varietatem temporum equo animo ferre doctus, vnde ipse per Wilhelmum Comitem Julia-

[1]) Die Handſchrift hat: congregati.

censem ecclesie Coloniensis illo tempore infestissimum persecutorem in conflictu bellico captus in castro ipsius comitis scilicet Nydecke per nouem menses iacuit vinculatus. Iste in aggrediendis arduis [1]) intrepidus, cum Fredericus secundus Imperator per Innocencium quartum papam ab Imperio fuisset depositus, tamquam sedis appostolice filius obediens et fidelissimus de mandato ipsius domini pape ad excludendam ab Imperiali successione prefati Frederici Imperatoris posteritatem seu parentelam suam sua industria sagacitate atque potencia tres successiue principes ad regnum Romanorum elegit, associatis sibi et allectis aliis suis conprincipibus electoribus, prout tanti ardui facti oportunitas exigebat. Elegit namque primo Henricum septimum Lantgrauium Hassie atque Turingie, qui cognomento Raspo vocabatur, qui fuit filius beate Elizabeth vidue, eundem electum sine mora in locum prefati Frederici ab Imperio depositi surrogando, quod tamen absque difficultate fieri non potuit. Nam cum conradus dicti Frederici Imperatoris filius regnum iam inuasisset, Ipse Conrandus [2]) Archiepiscopus commisso cum iam dicto Conrando Imperatoris filio apud Frankeffort prelio eundem victum fugauit et sic tandem electionem huiusmodi de Henrico prefato fieri procurauit. Eodem autem Henrico non multo tempore post defuncto Idem dominus Conrandus Coloniensis Archiepiscopus Wylhelmum Comitem Hollandie in regem Romanorum substituit. Cuius ipse electionem in campis iuxta Worinck Coloniensis territorii fieri procurauit habens tunc secum in comitiua pro tanti solemnitate negocii preter principes et nobiles seculares Archiepiscopos et Episcopos numero 14, in quorum congregatione ipse tunc temporis ecclesiam nouam sancti Cuniberti in Colonia solemniter dedicauit. Sed eodem Wilhelmo ad regnum electo in breui postea per Frisonum gentem in bello interfecto dictus Conradus Archiepiscopus tercium ad regnum substituit Richardum videlicet ducem Cornubie fratrem regis Anglorum. Verumtamen illi sic electi ad Imperium propter temporis breuitatem nil dignum memorie facere potuerunt et benedictione Imperiali caruerunt. Iste venerabilis presul Conradus vir in omnibus prudens atque strennuus pro domo dei iuxta prophetam contra aduersarios ecclesie murum ex aduerso ascendens et intrepidum se opponens pro iuribus atque

[1]) In der Handschrift: arduus.
[2]) Diese Form hat die Handschrift einige Male.

libertatibus cleri et ecclesie cum ciuibus et ciuitate coloniensi sibi[1]) et suis superioribus semper emulis multas et quasi continuas suo tempore tulit guerras disceptans sorte varia iuxta varietatem temporum sedulo cum eisdem. Ad ultimum autem sua prudencia et strennuitate et iusto dei iudicio disponente contradictos cīues et ciuitatem diuturnis bellorum fatigationibus lacessitos votis potitus totam ipsam ciuitatem et regimen eiusdem Ipse dominus Conradus in suam redegit omnino potestatem, Ita vt etiam ipse cum suo satellicio omnem custodiam portarum et municionem pro libitu suo faceret,[2]) vt liberum haberet introitum et exitum ciuitatis. Multos insuper ex scabinis et rectoribus ciuitatis propter mala iudicia et peruersam iusticiam alios quidem exilio et banno perpetuo condemnauit alios extra ciuitatem ad fortalicia et castra ecclesie captiuos deducens vinculis et carceribus perpetuo mancipauit. Idem quoque Conradus Comitatum de hostaden cum omni iure suo et attinenciis nec non nobile castrum Are cum suo districtu vna cum castro de Nurberch cum pluribus allodiis ad ipsum ex successione paterna pertinentibus ecclesie Coloniensi contulit. Idem castrum Waldenberch et castrum Wede cum ministerialibus et villis atque possessionibus suis pecuniis comparauit et ecclesie Coloniensi usque in hodie nobiliter applicauit. Porro circa finem vite fundamenta noue structure ecclesie sancti Petri in Colonia idem Conradus nobilissime inchoauit Primum quidem suppositis propriis manibus fundamento. Cum autem ipse auxiliante deo rebellionem Coloniensem perdomuisset, obiit in pace in ipsa ciuitate Coloniensi, sepultus ibidem in ecclesia sancti Petri veteri, postmodum ad nouam translatus vna cum aliis antecessoribus suis, qui in antiqua ecclesia sepulturam habuerunt.

## Engelbertus secundus.

Quinquagesimo secundo loco sedit in pontificali officio Coloniensis ecclesie sub Radolpho[3]) Romanorum rege annis 14 venerabilis pater Engelbertus secundus. Hic prius maioris ecclesie prepositus de domo nobilium de Walkenburch extitit oriundus. Hic post longam vacationem Imperii prefatum Rodolphum ad Imperium per principes electum Aquisgrani vnxit in regem et co-

[1]) sibi und multas fehlen in der Handschrift.
[2]) In der Handschrift: faciens.
[3]) Diese Form hat die Chronik.

ronauit. Iste vir bonus sed in suis actibus, provt plerumque fieri solet, minime prosperatus, cum ad reprimendas ecclesie iniurias contra aduersarios sepius copiosas exercituum acies produxisset, semper tamen fortuna sibi contraria inferior videbatur. Nam per Wilhelmum Comitem Juliacensem in loco, qui ad silvam sancte Marie dicitur, inter Tulpetum et lechenich commisso bello cum multis suis capitur et in Castro Nidecke per tres annos cum dimidio in custodia detinetur, sicuti etiam dictus Comes antecessorem suum Conradum prius captiuauerat, prout in premissis continetur. Idem quoque Engelbertus postquam a captiuitate Comitis fuerat restitutus, quodam tempore, dum ipse in aula sua Archiepiscopali in Colonia cum ministerialibus et vasallis suis ad reddendum iura ex more pro tribunali sedisset, Ciues Colonienses suscitato tumultu super ipsum irruentes ipsum ceperunt et in quadam domo occultatum per aliquos dies captum tenuerunt. propter quam quidem ipsius pii pontificis iniuriam ciuitas Coloniensis per sex annos et ultra ecclesiastico fuit per dominum papam supposita interdicto. Hec autem calamitas sibi accidit, quia contra concilium supradicti domini Conradi antecessoris sui egerat inconsulte. dum enim adhuc superuiueret, Idem Conradus Archiepiscopus ipse propter frequentes ciuium Coloniensium rebelliones, postquam ipsos ad dedicionem coegerat, plures ex ipsis ciuibus meliores et potentiores receperat obsides et in castris suis extra ciuitatem illos tenuit in obstagio personali et dum circa finem vite [1]) esse se sentiret, vocauit ad se dictum dominum Engelbertum tunc prepositum Coloniensem et prenuntians ipsum post se Archiepiscopum sibique dixit, quod omnino caueret, ne propter aliqua pacta vel pecunias dictos obsides dimitteret, sed quia ipse concilio illo sano vsus non fuerat, Nam post mortem domini Conradi ipse dictos obsides restituerat, ipse calumpniam huiusmodi merito passus fuit. Sane postquam ipse dominus Engelbertus a captiuitate Coloniensi fuerat liberatus, consanguinei ipsius propter iniuriam in ipsum commissam exacerbati videlicet frater ipsius Archiepiscopi dominus de valkenburch dux quoque limbergensis Comes de cliuo et nobilis de hensberch anno domini 1268 forti armatorum manu contracta ciuitatem Coloniensem per quandam domum muro ciuitatis adherentem amplo aditu per murum ciuitatis per aliquos ciues corruptos fauore siue

[1]) In der Handſchrift: mortis.

pecuniis patefacto in eiusdem noctis intempeste silentio subintrarunt, sed ciues facto huiusmodi precognito ad arma conclamantes dictos nobiles vi armata repulerunt, vbi dictus dominus de Walkenburch frater Archiepiscopi primo congressu occiditur Dux Limburgensis capitur Plurimi alii occiduntur alii fuga dilabuntur. Tandem quoque per multas clades perpessas idem dominus Engelbertus obdormiuit in domino, sepultus in ecclesia Bunnensi. Nam ciuitas Coloniensis tunc temporis propter causas supradictas ecclesiastico subiacuit interdicto etc.

## Siffridus.

Quinquagesimo tercio loco fuit ordinatus in Archiepiscopum Coloniensem sedens sub Radolpho et Adolpho Romanorum regibus annis 23 mensibus quinque venerabilis pontifex Siffridus de domo nobilium de Westenburch natus prius ecclesie Maguntine prepositus vir honoris et fame preconio non indignus. Contra hunc Siffridum statim post suam ad ecclesiam prouectionem multi potentes et nobiles tam episcopi ecclesiarum quam layci temporales vehementer insurgentes omnem episcopatum igne et ferro vndique incauserunt. Quibus idem Archiepiscopus a sua iuuentute armis exercitatus nec non asperitatis algoris et inedie atque vigiliarum expertus nunc hiis nunc illis vicem viriliter rependebat. Inter quas sue probationis incursiones ipse nobilem Godefridum Comitem de Arnsberch et filium eius bello pulsos ad gratiam sibi venire compulit presidio illorum, quod Neyhem dicitur, capto bellico et destructo. Idem quoque Syffridus contra Comitem Juliacensem sicuti antecessores sui frequenter guarras agens pro iuribus ecclesie conseruandis, cum in hiisdem temporibus ipse Comes cum filiis suis et multis nobilibus atque militibus in ciuitate Aquensi tunc temporis ipsi Archiepiscopo confederata fuisset interfectus, Idem Archiepiscopus opportunum tempus ratus et ex casu inimicorum sumens audaciam et comitatum Juliacensem hostiliter inuadens et cuncta deuastans Opidum Juliacense valida anxit obsidione. Quo facto nobiles plurimi de parentela Comitis occisi superstites in vnum collecti et in dicto opido se recipientes quodam die obsidionis e portis erumpentes hostili acie Archiepiscopum bello petunt. facta igitur belli congressione cruenta Ipse Archiepiscopus potitus victoria cepit munitionem et Castrum forte infra septa opidi positum funditus destruxit, quod quidem

eiusdem ruine usque in presens attestantur. Cepit insuper [1]) opidum duren et quasi omnia fortalicia et munitiones Comitatus Juliacensis paucis exceptis vtpote Nydecken atque Heymbach et sic in dicto Comitatu omnino [2]) sibi subiugato pro libitu disponens cepit castrum Bedbur et in circuitu circiter viginti quatuor fortalicia, quorum alia comminuit alia sibi subiugauit. In quo quidem processu bellorum ciues Colonienses pro parte Archiepiscopi feruntur fortiter conflixisse. Eadem siquidem tempestate ipse Archiepiscopus opidum Tulpetensem fortiter communiuit et ibidem castrum forte in allodio beati petri construxit. Tandem dux Limburgensis cum aliis nobilibus de consanguinitate Comitis [3]) Juliacensis defuncti terras episcopatus hostiliter inuadentes dictum opidum Tulpetensem obsederunt, propter veram resistenciam dicti domini Siffridi, qui semper aduersariis viriliter se opposuit, Ipsi ab obsidione dicte munitionis in nocte recesserunt. Post longam itaque guerrarum fatigationem mediantibus amicis pax inter dictas partes interuenit munitionibus per episcopum captis ad Comitatum Juliacensem, que confracte nondum erant, restitutis. Tandem dictus Syffridus Archiepiscopus in cunctis pro iuribus ecclesie gerens animum indefessum obsedit castrum Kerpene octo septimanis et obtentum [4]) incendio deuastauit in contemptum videlicet Johannis ducis Brabancie, qui illud sibi comparauerat ab heredibus de Gymnich. Quod tamen castrum per dictum ducem postmodum fortius reparatum, quod quidem seminarium fuit odii atque rancoris inter dictum Archiepiscopum Coloniensem et ducem brabancie. Inter quos surrexit postea duci bella materia, prout inferius apparebit. Idem quoque Syffridus Archiepiscopus continuo bellis vicinorum ecclesie pulsatus duabus vicibus ducens exercitum aduersus Adolphum Comitem de Monte Tandem veniens cum ipso ad concordiam compulit eundem Comitem deponere duas turres, quas ad fortalicia contra ecclesiam fortiter munierat videlicet in Molenheim et Muaheim cum pacto, quod reedificari non deberent ad perpetuam rei memoriam taliter permansure. [5]) Porro cum Romanorum rex Radolphus conuocata solemni curia principum et prelatorum apud Herbipolim cum domino Martino papa

---

[1]) Die Handschrift hat: igitur.
[2]) In der Handschrift steht: omnia.
[3]) Die Handschrift hat: comitatus.
[4]) obtento hat die Handschrift.
[5]) In der Handschrift: permansuras.

quarto concordasset, quod ab omnibus terris cultis totius regni germanie certam ipsi simul vellent exigere pecuniam, prefatus dominus Syffridus, sicut vir constantis fuit animi, huic inaudite exactioni primus inter prelatos ecclesiasticos mira constancia contradixit et sic eiusdem Archiepiscopi probitate res ipsa remansit infecta et patria fuit ab huiusmodi graui exactione usque in hodie liberata. Hoc quidem in loco occurrit congrue aduertendum, quomodo ante tempora legis tempore scilicet gentilitatis, dum Joseph tempore famis egiptum opprimentis totam egipti terram redegisset in seruitutem regis preter terram sacerdotum, quam contulerunt ipsi reges ipsis sacerdotibus ultra porcionem eis datam et libere a seruitute dimissam, dabantur enim cibaria ex publicis horreis regis ad victum ipsorum quotidianum. Considerent igitur nostri temporis principes catholice fidei cultores, quomodo gentiles inmundi suis seruitoribus in seruitio deorum nephandorum deseruientibus ex publicis horreis ministrabant. Tandem proch e conuerso principes et milites nostri venerabilibus corporis et sanguinis iesu christi consecratoribus id solum dimittunt, quod rapere nequeunt, solum duntaxat vita sine libertate eisdem relicta et corrosis altaribus pauperes sacerdotes vnicum paupertatis habent solacium oblationes pauperum scilicet manducare et ipsi patronos nominant ecclesiarum, qui potius sunt predones et auctores rapinarum. Et vtinam sibi duntaxat principes et potestates seculares in talibus delinquerent et non principes atque prelati ecclesiastici forent eiisdem in huiusmodi excessibus et inpietatibus manifeste in scandalum et exemplum. His autem temporibus lamentabilis et magnarum rerum discordia inter Johannem ducem brabancie memoratum et Reynaldum Comitem Gelrie extitit suscitari propter videlicet ducatum Limburgensem. In quo quidem ducatu dictus Comes ratione uxoris sue [1]) sibi vsumfructum vendicabat Duce videlicet Limburgensi absque liberis tunc defuncto. Sed ipse dux brabancie iura successionis in ipso ducatu ab Adolpho Comite de Monte proximo quidem de consanguinitate Ducis defuncti sibi pecuniis preparauerat. Dux igitur brabancie prefatus predictum Comitem de Monte Walramum Comitem Juliacensem cum fratre suo Gerardo domino de castere Euerhardum Comitem de Merka Hinricum de windecke fratrem dicti Comitis de Monte et ci-

[1]) In der Handschrift: rone sue, wofür nach dem magn. chr. ratione uxoris sue aufgenommen wurde.

uitatem Coloniensem cum multis potentibus atque nobilibus sibi federauit. Ex aduerso vero dictus Comes Gelrie dominum Syffridum Archiepiscopum Coloniensem Hinricum Comitem de Lutzellinburch et Walramum fratrem eiusdem Walramum dominum de Valkenburch Johannem dominum de Limburch et Henricum dominum de Westerburch cum multis aliis potentibus atque nobilibus sibi in auxilium acquisiuit. Dum autem varios bellorum euentus experirentur hinc inde nunc istis nunc illis superioribus existentibus, Ad ultimum vero dux brabancie cum suis confederatis Episcopatum Coloniensem potenter ingressus cuncta in circuitu deuastans Castrum Woringh, quod dictus Archiepiscopus ibidem construxerat ad munimen coloniensis ecclesie presertim contra ciues Colonienses sibi continue aduersantes, anxit valida obsidione. Dictus igitur Archiepiscopus et sibi federati eiidem duci brabancie et suis prompte cum valido exercitu occurrentes in die beati Bonifacii episcopi sub anno domini Millesimo ducentesimo octogesimo octauo bellum adinuicem cruentissimum commiserunt. In quo quidem bello dux Brabancie victoria est potitus mortuis ibidem Comite Lutzenburgensi et fratre suo Henrico de Westerburch egregio milite fratre dicti Archiepiscopi et aliis multis notabilibus plusquam mille viris nobilibus interfectis de parte Archiepiscopi et plusquam mille captiuatis. Comes quoque Gelrie per ducem brabancie captiuus abducitur Et ipse Syffridus Coloniensis Archiepiscopus per Comitem de Monte similiter captus carceri mancipatur. Ex quo quidem lamentabili casu ecclesia Coloniensis nimium fuit humiliata. Nam eodem turbine Comes Juliacensis Castrum Tulpetum munitissimum cepit et destruxit. Comes vero de Mercka in ducatu Westphalie munitiones et castra ecclesie plurima deuastauit. Tandem post annos aliquos ipse dominus Syffridus Archiepiscopus a sua captiuitate restitutus sicut fortis adhletha et pugil ecclesie inuictus licet prostratus post casum tamen forcior resurgens Castrum illud nobile in Bruele videlicet ad ecclesie presidium contra ciuitatem Coloniensem et ad ipsorum superbiam reprimendam maximo sumptu presertim propter Coloniensem siue vicinam in proximo potenciam cum non modico militaris potencie apparatu de nouo construxit et forti munimine roborauit. Idem etiam in opido Berckensi extra portam super littus Reni fluminis turrim munitissimam ad custodiam Reni construxit sed morte preventus ipsam inperfectam reliquit, quam tamen successor ipsius Wickboldus Archiepiscopus nobiliter con-

summauit. Tandem idem Syffridus boni certaminis cursu laudabiliter consummato fortis adletha quasi seruus fidelis in gaudium sui domini intraturus vocatus a domino moritur et in ecclesia Bunnensi sepelitur. Nam ecclesia siue ciuitas Coloniensis propter aduersitates supradictas fuit ecclesiastico supposita interdicto. Sciendum preterea, quod Henricus Imperator octauus fuit filius Comitis Lutzelburch in dicto bello de Woringen interfecti. Cuius Imperatoris Henrici fuit filius egregius ille Johannes rex bohemie. cuius filius fuit Karolus quartus Romanorum Imperator.

## Wicboldus.

Quinquagesimus quartus successit in regimine pontificali Colonіensis ecclesie sedens sub Adolpho atque Alberto Romanis Imperatoribus annis septem venerabilis presul Wickboldus Primus maioris ecclesie decanus de natione nobilium de holte oriundus. Hic plus factione nobilium quam electione canonicorum gradum *episcopa*lem ascendens in Nussia fuit electus vir tamen tam humana quam diuina sciencia sufficienter eruditus. Idem siquidem Albertum supradictum Aquisgrani vnxit in regem. Et tandem solemni curia principum atque nobilium per dictum apud Nurenberch conuocata vxor dicti regis per eundem dominum Wickboldum in Reginam Romanorum solemniter coronata. Porro ipse dominus Wickboldus utpote vir senex atque grandeuus plus quidem consiliis aptus quam armis exercitatus prudencia et consilio ecclesiam regere satagebat. vnde in suo principio ciues Colonienses ab Interdicto ecclesiastico, quod ipsi diu sustinuerant, suo interuentu fuerunt absoluti. propterea nobiles et potentes patrie sibi vicinos vndique donatiuis et amiciciis sibi conciliauit sed quanto magis donauit tanto plus sibi et ecclesie sensit infestos. quod cum ipse aduertens prudenter intelligeret conuertens potenter animum ad resistendum Comitem de Mercka ecclesie infestissimum tunc temporis inimicum bello petit et propter hoc cum armatorum milicia in Susato se recepit personaliter. Quo comperto dictus Comes exercitum congregans copiosum Archiepiscopum ad conflictum sepius prouocauit Archiepiscopo vero caute utpote in rebus periculosis et fortune casibus expositis locum pugne non dante sed caute potius dissimulante, dum ipse comes propter expensarum penuriam exercitum, quem iam sepius adunauerat, non posset diucius sustinere et auxiliarii, qui ad ipsum confluxerant, necessariis copiis exhaustis ab ipso Co-

mite ad propria deflexissent, Ipse Archiepiscopus iam tempus aptum nactus terram Comitis cum suo exercitu potenter inuadens igne et ferro cuncta in circuitu depopulat atque deuastat Ipso Comite sibi resistere non valente. Et sicut fertur, si ipse Archiepiscopus morte preuentus non fuisset, dictum Comitem ad deditionem ultimam compulisset. Tandem, sicut deo placuit, in expeditione huiusmodi bellica languore correptus compulsus est reuerti in Susatum, ubi decumbens dum in infirmitate sacram communionem sepius recepisset et a suo confessore sibi diceretur nec opus esse sacram communionem sepius recipere, Ipse venerabilis presul fertur dixisse verbum memorie dignum „Anima, inquit, mea optat et plurimum affectat hoc sacramentum, quia bonum est viaticum.“ Post hec obdormiens in pace sepultus est in ecclesia sancti Patrocli in Susato. Siquidem ante prefati venerabilis pontificis obitum Albertus romanorum rex memoratus aduersus eundem Archiepiscopum sinistro deprauatus odio occasionem sibi sumens presertim ad instigationem ciuium vt fertur Coloniensium, qui cum suo Archiepiscopo stare quiete non consueuerunt, cum valido exercitu terram episcopi Coloniensis ingressus consedit super littora Reni in terminis villarum Surde Wisse et Rodenkirchen in territorio ecclesie Coloniensis fines terrarum ecclesie in circuitu damnabiliter depopulando. Cum autem ipse Archiepiscopus dicti regis potencie, cuius quidem exercitus absque numero videbatur, resistere non valeret, Tandem necessitate compulsus per tractatus pacis venit in concordiam cum dicto rege, quamuis non sine paruo ecclesie detrimento. Nam in compositione dicte pacis ipse Archiepiscopus dicto regi resignauit castrum Regium Werde cum theloneo et opidum Sintzich super fluuium Aer, que quidem allodia regia ab olim fuerunt per antecessores dicti regis Coloniensi ecclesie pro triginta sex milibus marcarum denariorum scerlingorum obligata et tandem per eundem Albertum regem ipsi domino Wicboldo Archiepiscopo confirmata. Alia quoque nonnulla pacta idem rex ante suum recessum a prefato Archiepiscopo extorsit ecclesie Coloniensi non minus damnosa.

## Henricus.

Quinquagesimo quinto loco post obitum videlicet prefati domini Wickboldi Archiepiscopi votis eligentium in plura diuisis ad regimen pontificale Coloniensis ecclesie tres persone pariter in discordia fuerunt electe Quibusdam videlicet eligentibus Hen-

ricum de Virnenburch maiorem prepositum Aliis Reynardum de Westerburch prepositum Bunnensem Aliis autem Wilhelmum de Juliaco prepositum sancti Seruacii Traiectensis. Sed idem Wilhelmus statim post electionem huiusmodi de se factam in bello flandrensium contra regem francorum suscepto, In quo quidem bello idem Wilhelmus capitaneus et patronus flandrensium fortiter egit, interfectus extitit. Eiusdem tamen prepositi traiectensis electio iam fuerat per bonifacium papam octauum confirmata, sed ipsius executio morte eiusdem preuenta. Duo vero alii superstites coelecti ad romanam curiam accedentes pro sua singuli confirmatione sorte varia contendebant. Ad ultimum autem electio dicti Henrici de Wirnenburch confirmatur, postquam in romana curia steterat ferme tribus annis. Sic igitur in regimine Coloniensis ecclesie confirmatus dictus Henricus secundus sedit sub Alberto predicto Henrico octauo nec non Ludouico quarto romanorum regibus viginti sex annis. Quanta autem idem Henricus Archiepiscopus in curia romana pro sua electione obtinenda expenderit donauerit et ad sumptus exposuerit, exactiones postea per ipsum facte in clerum lucide manifestauerunt. Idem itaque Henricus Archiepiscopus Henricum octauum Aquisgrani vnxit in regem, concordi de eiusdem persone electione per principes celebrata, Alberto quidem rege supradicto per quendam suum nepotem prodiciose interfecto. Tandem mortuo in expeditione Italie Henrico Romanorum Imperatore memorato Electores principes duos in discordia elegerunt ad Imperium Aliis scilicet eligentibus Ludouicum quartum ducem videlicet Bauarie Aliis vero consentientibus in Fredericum ducem Austrie, quorum electioni dictus Henricus Archiepiscopus assensit, et eundem Fredericum electum in Bunna in romanorum regem coronauit. Nam propter resistenciam principum, qui parti Ludouici ducis Bauarie similiter electi fauebant, Ipse suum electum dictum scilicet Fredericum Aquisgrani in opido regio non potuit coronare. Alter scilicet Ludouicus predictus Aquisgrani in opido regio per Balduinum Archiepiscopum Treuerensem extitit coronatus. Idem quoque Henricus Coloniensis Archiepiscopus vir grandeuus vtpote sue promocionis tempore sexagenarius animo tamen et viribus non deficiens contra inimicos ecclesie frequenter guarras gerens presertim contra gerardum Comitem Juliacensem aduersus Comitem de Mercka nec non ceteros nobiles Westphalie atque potentes et presertim contra ciuitatem Coloniensem aduersus quoque Comitem Cliuen-

sem per totum quasi sue vite[1]) decursum per varia bellorum discrimina fortiter decertauit. Qua quidem tempestate ciues Colonienses statim Coloniensi ecclesie semper aduersantes capta oportunitate temporum presertim propter potenciam dicti Ludouici quarti Imperatoris, qui contra Fredericum suum coelectum ad regem iam preualuerat, eiusdem freti titulo confederatis sibi multis principibus videlicet Johanne rege bohemie Wilhelmo Comite hollandie iohanne de hannonia eiusdem fratre Gerardo Comite Juliacensi Adolpho Comite de Monte Johanne Comite Seynensi et engelberto Comite de Marcka cum multis aliis post multas alias guerrarum fatigationes eundem Henricum Archiepiscopum continue lacessitum Ad ultimum in visceribus aggrediendo cum dictorum omni confederatorum auxilio Castrum Brucle valida obsidione cinxerunt. Sed cum ipsi dictum Castrum per quatuor fere menses obsedissent propter loci vero munitionem et[2]) dicti Archiepiscopi fortem resistenciam in captione castri proficere non potuerunt, interuenientibus tandem pactis ab obsidione dicti Castri sua frustrati intencione vacui recesserunt. Porro in his aduersarum rerum angustiis statu dicti Archiepiscopi continuo fluctuante Ipse tamen semper gerens animum eleuatum quamuis propter aduersitates guerrarum pecuniis et rebus necessariis exhaustus Ipse nobilem possessionem videlicet Castrum et Comitatum Huckerade ad usum et firmamentum ecclesie magnis pecuniis comparauit. Sed dictam pecuniam emptionis dicti allodii ecclesie collegiate Colonienses et abbacie et totus clerus Coloniensis de suo quasi totaliter[3]) persoluerunt. Nam maxima pars possessionum decimarum et victus dictarum ecclesiarum Coloniensium et cleri infra districtum et fines dicti Comitatus et in ipsius territorio situantur. Idem quoque Henricus Archiepiscopus pro defensione terminorum ecclesie opidum in Urdingen nec non opidum in Linse de nouo construxit siue communiuit. Castrum quoque rolanseccke construxit et ad fundamenta Castri Lechenich ponendo turrim fortem de nouo construxit et erexit. Sane post recessum aduersariorum ab obsidione castri in Brula, de qua suprafati sumus[4]), ecclesie persequutores et confederati complices denuo adunati Castrum dictum Volmersteyn in ducatu West-

[1]) In der Handſchrift: vie.
[2]) Die Handſchrift hat: in.
[3]) Nach dem magn. chron. belg. zugeſetzt.
[4]) sumus fehlt in der Handſchrift.

phalie longa obsidione vallantes tandem ceperunt et captum funditus destruxerunt. Idem quoque Henricus Archiepiscopus generali concilio viennensi per dominum papam Clementem quintum congregato personaliter interfuit, vbi per dictum dominum papam et prelatos eidem concilio presentes cum honore fuit receptus et familiariter pertractatus. Tandem post guerrarum multas et aduersitatum expertas perturbationes semper tamen stans imperterritus et emulis pro viribus vices rependens Ad ultimum plenus dierum in pace defunctus Sepultus est in Bunna in capella sancte Barbare ad latus ecclesie, quam ipse in vita de nouo construxerat, et vacauit ecclesia 21 diebus.

## Walramus.

Quinquagesimo sexto loco successit in pontificatu Coloniensis ecclesie sedens sub Ludouico quarto et Karolo quarto Imperatoribus annis sedecim mensibus sex diebus decem ac nouem venerabilis pontifex Walramus. Hic fuit frater Wilhelmi Comitis *Juliac*ensis prius prepositus Leodiensis et Coloniensis ecclesie Thesaurarius Juvenis etate vtpote viginti octo annos et paulo plus etatis[1]) habens. Cum autem vacante Coloniensi ecclesia Capittulum postulasset ad eandem ecclesiam venerabilem Adolphum Episcopum Leodiensem virum diutine probatum et in regimine Leodiensis ecclesie fama celebri conuersatum, Dominus Joannes papa vicesimus secundus tandem dicta postulatione non admissa prouidit dicto domino Walramo de Coloniensi ecclesia quamuis absenti. Hic licet in mundanis negociis, prout tante dignitatis sollicitudo requirit, non multum fuisset expertus, Nam a puericia in studiis generalibus videlicet Parisuis et Aurelanensibus[2]) iuuentutem suam exercuit, vbi tamen gradum licentiati in decretis baccularii obtinuit, nobilis tamen ipsius in studio litterarum conuersatio et generis alta nobilitas ad tantum ipsum honoris et dignitatis fastigium extulerunt. In principio igitur cum ipse ad regimen Coloniensis ecclesie accessisset, cessantibus propter parentele nobilem potenciam ecclesie consuetis ipsorum temporum guerris Ipse rexit ecclesiam in summa pace et tempore quiete per vndecim circiter annos. Sub qua quidem pacis amenitate tam clerus quam populus post preteritas longi temporis

---

[1]) In der Handschrift: prepositi.
[2]) In der Handschrift: vtpote viginti octo et paulo post etatis annum habens.

fatigationes excussas tranquilla felicitate gaudens temporum opulentissime respirauit. Ipse siquidem in huiusmodi quietis temporibus Castra ecclesie et fortalicia propter preteritarum guerrarum pressuras reperiens alia colapsa alia destructa nonnulla iniciata sed nondum perfecta multis magnificis et decentibus structuris nobilissime communiuit. Nam castrum Lechenich, quod quidem contra aduersitates Comitum Juliacensium vtpote in terminis positum semper fuit et esse potest ecclesie Coloniensis singulare presidium, Ipse dominus Walramus carni quidem et sanguini minime requiescens fratre suo Comite Juliacensi plurimum inuito atque renitente a fundamentis erexit et decentissimis edificiis ad magnam perfectionem usque produxit, quod quidem successor suus plenius consummauit. Ipse etiam plurima castra ecclesie videlicet Gudenberch Bruele Hart turribus et menibus fortiter communiuit, multas etiam nobiles possessiones et castra ad ecclesiam magnis pecuniis acquisiuit vtpote opidum et Castrum Roymbach Castrum Oede cum advocacia in Kempene et Curte in Hunff Castrum in popelsdorp medietatem Castri in Seynsberg cum attinenciis medietatem Castri quoque nordennaii, quod ipse a comite de Waldecken pro ecclesia obtinuit bellico apparatu. Ipse insuper Castrum Zelcanch supra mosellam ab ecclesia longo tempore alienatum [1]) a Comite veldentze pro magna quantitate pecunie recuperauit. Adhuc idem quoque Walramus opidum Menden in terra Westphalie, quod ab antiquo dirutum fuerat et destructum, in finibus Comitis de Mercka positum cum valido exercitu illuc tendens a fundamentis denuo reparauit et portis atque menibus fortiter communiuit, quod licet postmodum per Adolphum Comitem de Marcka et Godefridum Comitem de Arnsberchen nocturno tempore et treugis [2]) stantibus denuo fuisset captum et destructum, Ipse tamen illud denuo reparauit et ad munimen eiusdem opidi Castrum a latere ipsius apposuit et muniuit. Ipse etiam primus instituit et fundauit Claustrum et Conuentum fratrum Carthusiensium infra muros ciuitatis Coloniensis. Preterea cum ludouicus quartus Romanorum Imperator per Joannem papam 22$^{m}$ Benedictum 12$^{m}$ Clementem sextum longo tempore fuisset excommunicatus et ille sentencias in ipsum latas non curaret sed semper cresceret et forcior fieret, Idem dominus Walramus

---

[1]) Die Handſchrift hat: alleuiatum.
[2]) Die Handſchrift hat: trengis.

Archiepiscopus vna cum aliis quibusdam principibus congregatis insimul in villa dicta Rens supra Renum ad beneplacitum et votum dicti Clementis pape sexti elegit in regem romanorum Karolum quartum filium quidem regis Bohemie et eundem Karolum in Bunna vnxit in regem viuente adhuc ludouico quarto supradicto, Cui tunc ciuitas aquensis fidelitatis obsequio fortiter adherebat, propter quod Ludouicus Imperator Ipsum Walramum Archiepiscopum forciori persequens odio multas sibi aduersitates vndique procurauit. Tandem post quietem temporum deductam, quia inuida fata[1]) piis res in prosperitate diu stare non permittunt, ceperunt mutari tempora et dicto domino Walramo aduersitates insurgere guerre succrescere et emulationes ipsum pulsare. Nam plures episcopatus Coloniensis contermini terrarum domini potentes videlicet Comes de Marcka Comes de Arnsberchen Comes de Waldecken et Comes Lossensis, quamuis singuli essent predicto domino Walramo vel consanguinitatis vel affinitatis federe coniuncti, valida inter se contra ecclesiam Coloniensem conspiratione facta ceperunt fines et terras ecclesie vndique perturbare. Sed quia Comes de Marcka inter istos principalius ecclesiam infestabat, Ipse dominus Walramus multos nobiles ad stipendia conducens misit exercitum militarem ad Westphaliam ad tuendum fines ecclesie contra inimicos. Verum conflictu inter gentes ecclesie et Comitis de Marcka campestri habito victoria cessit Comiti de Marcka et nonnullis de stipendiariis Archiepiscopi interfectis trecenti vel circiter captiui sunt abducti. Sed propter hos casus aduersos Ipse Archiepiscopus a concepta defensione iuris ecclesie non desistens cito post resumptis viribus validum armatorum militarem pariter et pedestrem exercitum congregans applicuit ad terminos Comitatus de Marcka transiens Renum iuxta Berckam, vbi cum consedisset in finibus Comitatus, Wilhelmus Comes Hollandie vna cum Comite Cleuensi tractantes de pace certa concordie pacta inter partes tractauerunt et sic expeditio ipsius Archiepiscopi ab ulteriori progressu tunc fuit licet cum damno intermissa ecclesie. Nam exercitus Archiepiscopi et expensarum apparatus ad dictam expeditionem dispositus adeo multus fuit, quod ipse Comes resistere non valebat, quin ipse Archiepiscopus ad exinanitionem ultimam compulisset. In supradicto vero conflictu prius habito dictus Comes vulnera et fatiga-

[1]) In der Handschrift: invidia facta.

tiones virium corporis accepit, ex quibus non diu postea est defunctus. Porro cum ipse Walramus Archiepiscopus talibus pulsatus aduersitatibus et infortuniis expensis et sumptibus necessariis fuisset exhaustus et per fratrem suum Comitem Juliacensem nec non alios de sua parentela consanguineos, qui inimicis ipsius et ecclesie plusquam ipsi Archiepiscopo erant fauoli, derelictus, Cepit ipse per aliqua tempora peregrinari ab ecclesia et se absentare et in partibus regni francie cum paucis familiaribus parcendarum expensarum gratia conuersari commissa gubernatione rerum ecclesie et terre extraneis quibusdam personis etiam Laicis, quo quidem aduersarum rerum in turbine [1]) omnia quasi ecclesie Castra et mense episcopalis redditus fuerunt in persoluendis debitis in creditorum manibus obligata. Cum igitur ipse Archiepiscopus absens a patria taliter peregrinando exularet, obiit Parisuis in vigilia Assumptionis beate Marie virginis sub anno domini Millesimo tricentesimo quadragesimo nono. Cuius corpus fuit translatum Coloniam et in ecclesia sancti petri sepultum videlicet in capella sanctorum Angelorum a dextro latere chori, supra cuius tumulum successor ipsius fecit construi epitaphium· de marmore albo atque nigro arteficioso sumptu preparatum. Fuit autem dictus venerandus pontifex Walramus stature corporis mediocris plurimum liberalis humilem se prebens omnibus atque modestum mansuetus ad omnes neminem expetens ad vindictam pius in pauperes benignus in ecclesias et in clerum et pecuniis subdictorum et eorum exactionibus non auide intendebat. Quapropter licet ipse in fine sui regiminis ecclesiam dimiserit debitis pregrauatam, terram tamen atque patriam tam in clero quam in populo reliquit feliciter opulentam. fuisset itaque de multis laudabiliter commendandus, nisi concilia quandoque sua personis leuibus credidisset.

## Wilhelmus.

Quinquagesimus septimus in ordine rexit pontificalem cathedram Coloniensis ecclesie sedens sub Imperio Karoli quarti Imperatoris annis duodecim mensibus nouem et diebus quindecim venerabilis memorie dignus presul Wilhelmus. Hic de domo nobilium de Genepe oriundus prepositus Suzaciensis et Coloniensis Canonicus cessante quidem electione capittuli propter reseruatio-

---

[1]) Zugeſetzt nach dem mágn. chronic. belg.

nem appostolicam de ecclesiis cathedralibus illo tempore vsitatatam per Clementem papam sextum in romana curia presens fuit in Coloniensem Archiepiscopum ordinatus. Iste dominus Wilhelmus quamuis non multum prouecte etatis precipue tamen mundanarum rerum et agibilium experiencia pollens ab adolescentia sua imbutus, fuit namque sui predecessoris Walrami toto tempore sui regiminis familiaris [1]) et conciliarius, propter quod status ecclesie Coloniensis et negocia res et persone fuerunt plurimum sibi noti. Post igitur promocionem suam cepit idem dominus Wilhelmus sicuti fidelis dispensator et prudens manus ad arathrum ponere nec retro spicere, donec ipse ecclesiam sibi commissam licet tunc multis et grauibus debitis pregrauatam optime reformauit nec a multiplicatione talenti sibi crediti defecit, quousque ipse vniuersa debita ecclesie per antecessorem suum contracta, quamuis ipse interim de honorificentia sui status parum diminueret, absque damnis et fenore persoluit. Terras quoque Castra et possessiones obligatas *infra* paucos annos ad integritatem ecclesie mirabili industria reuocauit. Preterea quamuis dominus Walramus antecessor ipsius in muniendis et edificandis Castris et fortaliciis ecclesie multum fuerit commendabilis et apparens, Idem tamen dominus Wilhelmus in huiusmodi edificandi studio sibi non impar habebatur. Paucas siquidem suo tempore ipse dominus Wilhelmus notabiles habuit guerras, quamuis leuibus sepe stimularetur iniuriis et aduersis, prout in rebus prosperis non est rarum. Ipse namque prudenter aduertens, quod dubiis casibus subiacet bellorum euentus et sumptuum, quos guerre requirunt, non est terminus neque finis, Incitamenta guerrarum, quotiens aduersus ipsum surrexerunt, multa paciencia dissimulauit, aliquando quidem aduersitates donatiuis siue pecuniis redimendo memorans dictum sapientis videlicet, quod melius est marsubiis accommodare dolores quam mentem curis continuis anxiari. Adhuc supportabant eum ad inuasionem hostilium cuneorum felices gaze rerum necessariarum, quibus ipse super vniuersos potentes et dominos ecclesie vicinos siue conterminos presertim in vino et frumento et ceteris victualibus excellentius habundabat, quarum habundancia emulis, ne contra ipsum insurgerent, fuit terror. Fuit siquidem statura procerus corpore et aspectu pulcher et in conuersatione tractabilis in negociis consiliarius et expeditus sermone facundus ingenio prudens

[1]) In der Handschrift: familiarius.

et perspicuus in status magnificentia gloriosus in hospitalitate dapsilis atque magnificus in gestu habitu et incessu et morum grauitate plurimum venerandus. In curia Imperatoris, quam propter suam consiliatiuam industriam frequenter vocatus visitabat, nec non apud regem francorum, qui ipsius familiarem habebat noticiam, plurimum honoratus erat [1]), sed tam celebre nomen non caruit reprehensione, quia cupidus admodum videbatur non attendens illud verbum verissimum Sapientis Aristotelis videlicet, quod summa bonitas est in principibus abstinere a pecuniis subditorum. Nam cum ipse theloneis et exactionibus exquisitis tam in subditos quam extraneos nimium abuteretur, multorum contra se odium prouocabat. Adhuc quia subditos magis seruili quam ciuili dominatione premebat, multorum circa finem sibi concitauit aduersitates. Adeo namque ad ultimum cepit erga ipsum subditorum vacillare fides, quod communitates et populi bonorum villarum et locorum ecclesie factis et coniuratis inter se conspirationibus Jugum sue potestatiue dominationis rebellione publica excusserunt debitam sibi atque consuetam obedientiam et seruitia subtrahentes. Inter que populus et camere ville Andernacensis contra ipsum manifeste insurgentes sedicionis tumultu concitato irruentes in Castro Archiepiscopi in dicto opido positum ceperunt dictum Castrum constringentes et deponentes pontem, qui de dicto Castro protendebatur ad exteriora campi. Ciues quoque Colonienses sencientes id ipsum contumelias sibi non modicas inferebant. Porro idem dominus Wilhelmus in huiusmodi sui status fluctuatione positus cum ipso dolore et pedum et tibiarum grauiter ulceratorum diucius laborasset, Tandem curis continuis vigiliis atque laboribus, quibus propter zelum ecclesie sibi commisse frequenter insudabat, extenuatus viribus accedente febre Sub anno domini Millesimo tricentesimo sexagesimo 2° die Septembris quintadecima in Colonia est defunctus. In lecto autem egritudinis adhuc viuens ipse distribuit in promta pecunia magnas et notabiles summas ecclesie seruitoribus et amicis. Et quod dignum memoria non est pretereundum Idem venerabilis pontifex sicut in vita sic et in morte de statu et salute ecclesie sollicitus, dum infirmus decumberet, vocatis ad se consiliariis et amicis nominauit personam, que sibi ad futurum regimen ecclesie videbatur profutura, prepositum maioris ecclesie Wilhelmum de Bleda rogans, ut ipso de-

[1]) erat fehlt in der Handschrift.

functo ad romanam curiam accederet et pro consequendo pontificatu ecclesie apud summum pontificem laboraret, sciebat enim, quod obstante reservatione prouisionis ecclesie iam facte non posset ecclesie nisi pro prouisione sedis appostolice prouideri et ut ipse eundem prepositum ad huiusmodi propositum persequendum redderet promptiorem, donauit eidem adhuc viuens in prompta et numerata pecunia quinque milia florenorum auri ad expensas. Sed idem prepositus tam pio proposito et laudabili dicti venerandi pontificis testamento minime satisfaciens accepta dicti domini sui pecunia et ad instar inutilis serui in terra defossa nedum apud curiam romanam pro regimine ecclesie non laborauit ymmo facta electione cum nonnullis de parte sua Canonicis ecclesie de persona minus ydonea sed per summum pontificem postmodum cassata ipsam ecclesiam posuit in errore. Taliter igitur dicto domino Wilhelmo defuncto Ipse reliquit ecclesiam Coloniensem absque debitis locupletem et diuiciis plurimis habundantem Castra quoque et fortalicia ecclesie vino et frumento et necessariis rebus, ita vt eorum promptuaria eructuarent ex hoc in illud vndique communita. Qualiter vero tantarum diuiciarum copia, quas pro futuro statu ecclesie Idem Archiepiscopus thesaurizauerat nesciens vtique, cui easdem congregasset, post eius obitum fuerit dissipata, longa frequens ecclesie vacatio et diu sub incerto vacillans eiusdem prouisio lucide manifestat. Et quod dictus Archiepiscopus disposuerat ad bonum ecclesie totum postea cessit ad ecclesie nocumentum, nam famate ipsius diuicie insaciabilem auariciam romane curie ad modum voraginis semper pecunias sicientem irritauerunt et eidem occasionem prestiterunt ad asportandum omnia, prout ex sequentibus apparebit. Quamuis autem idem Archiepiscopus ecclesiam, sicut supradictum est, reliquit absque debitis et fiscum ecclesie locupletem dimiserit, tamen patriam et subditos ecclesie plurimum inopes et destitutos propter exactiones frequentes, quibus auide intendebat, in ipsos. Sepultus est itaque in ecclesia sancti petri infra chorum ecclesie in excelsa tumba, quam ipse sibi fabricari fecerat adhuc viuens de albo et nigro marmore sculpto plurimum artificiose. fecerat quoque idem consimilem tumbam super sepulturam domini Walrami predecessoris sui non minus preciosam.

## Tempora vacationis ecclesie Coloniensis.

Post obitum igitur prefati domini Wilhelmi Coloniensis Ar-

chiepiscopi per decem circiter menses vacante dicta sede Coloniensi [1]) et legittimo carente administratore Incepit ipsa ecclesia sub aduersitate temporum fortiter laborare. Nam post obitum dicti pii pontificis paucis elapsis diebus Capittulum Coloniensis ecclesie procedens ad electionem, quamuis ipsi scirent ex verisimilibus causis propter reseruationem sedis appostolice electionem liberam sibi interdictam, elegerunt in Archiepiscopum nobilem virum Joannem de virnenburch maiorem decanum ad electionem quidem suam ambitione manifesta valide aspirantem eundem electum tumultuosa laicorum potius acclamatione quam canonica seruata moderatione in sede pontificali solemniter collocantes. Cuius quidem electioni vnus duntaxat de capittulo scilicet Subdecanus ipsius ecclesie, licet plures de capitulo eiusdem electioni non consentirent, contradixit et opposuit manifeste. Negocio igitur electionis huiusmodi in romana curia discusso Tandem cum dictus electus pro sua confirmatione ad romanam curiam personaliter accessisset, electio sua fuit cassata finaliter et repulsa. Interim vero prefatus decanus pro electo se gerens et statum Archiepiscopalis dignitatis pompose plus debito sibi assumens cepit bona ecclesie per supradictum dominum Wilhelmum copiose relicta nec non et omnia de mensa Archiepiscopali pro tempore vacationis obveniencia pro libito expendere et ecclesiam nouis debitis obligare. Hic autem in numero pontificum Coloniensium non ponitur, quia episcopali caruit benedictione.

## Adolphus secundus.

Quinquagesimus octauus numero accessit ad regimen Coloniensis ecclesie Adolphus secundus frater Comitis de Marcka prius Episcopus ecclesie Monasteriensis, quem dominus Vrbanus papa quintus statim post electionem prefati Joannis decani Coloniensis cassatam transtulit de dicta Monasteriensi ecclesia ad Coloniensem ecclesiam nimirum insperate, [2]) Quippe cum nec ipse pro sua huiusmodi translatione instaret nec Capittulum Coloniensis ecclesie ipsum sibi in episcopum dari postulasset. Erat namque idem dominus Adolphus etate iuvenis neque ad tante dignitatis fastigium aliqua grauitate morum pollens. Nam cum ipse dictam Monasteriensem ecclesiam ante huiusmodi suam translationem iam per

---

[1]) Die Wörter: vacante dicta sede Col. ſind nach dem magn. chron. zugeſetzt.
[2]) In der Handſchrift ſteht: inspirate.

quinquennium tenuisset, ad sacrum tamen ordinem nondum fuit promotus per hoc satis lucide Manifestans, qualis possit esse futurus in rebus ecclesiasticis procurandis. Translatus igitur ad dictam Coloniensem ecclesiam ipse Adolphus taliter inconsulte, cum ipse inuenisset bona ecclesie per sepe dictum quondam Wilhelmum antecessorem relicta per supradictum Joannem electum in magna parte huiusmodi vacationis tempore dissipata et aliqua ecclesie castra in potestate et manibus consanguineorum eiusdem decani fortiter detenta, compulsus est ipsis detentoribus non modicas pecunie quantitates persolvere pro restitutione bonorum ecclesie detentorum. Accessit eo tempore dicte Coloniensi ecclesie aliud malum non minus damnosum. Nam prefatus papa Vrbanus, qui noue quidem auaricie commento vniuersa bona prefati quondam domini Wilhelmi Coloniensis Archiepiscopi per eundem in morte relicta camere appostolice reseruauerat, statim post dicti domini Adolphi translationem misit ad Coloniensem ecclesiam quendam nuntium appostolicum dictorum bonorum relictorum importunissimum exactorem subaudiendum dominum petrum Begonis, qui quidem omnia et singula tam vilia quam preciosa in bonis ecclesie inuenta victualia quoque in frumento et vino in castris ecclesie pro conseruatione eorundem reposita omnia insuper utensilia et suppellectilem vasa aurea atque argentea vniversa iocalia sive ad prophanos vsus sive ad ministerium altaris et pontificale officium deputata in vnum congregata [1]) studiose pro camera sedis apostolice secum ad Romanam curiam asportauit dictam Coloniensem ecclesiam cum maximo omnium scandalo inusitato damnabiliter spoliando. Preterea sepe dictus Adolphus ad nobilem Coloniensem ecclesiam sic translatus, de cuius quidem indole meliora sperabantur, contra spem agens et ad ea, que suis conveniebant moribus, animum mox conuertens, Nam sicut postea in propatulo claruit ipse non proposuit in clero remanere, cepit etiam bona ecclesie, que superesse poterant, licentissime dissipare, Castra et possessiones distrahere alia creditoribus obligando alia in laicorum beneficia dispergendo et maiora prioribus debita cumulando. Ad ultimum vero cum ipse dictam ecclesiam Coloniensem cum tanto discrimine per spacium decem mensium atque dimidii administrasset, aspirans ad laicatum et sentenciam iam metuens depositionis sibi de proximo imminere Idem de neces-

[1]) In der Handschrift: congregatis.

sitate virtutem faciens ipsam Coloniensem ecclesiam per procuratores in manibus dicti domini pape Urbani resignauit anno domini videlicet Millesimo trecentesimo sexagesimo quarto die Aprilis quintadecima asportans secum pecunias et pretiosa queque, que de bonis ecclesie promptioribus sibi poterant superesse. Vtrum autem cessio uel resignatio huiusmodi ipsius Adolphi pura fuerit et simplex an inter ipsum et successorem eiusdem pacta aliqua vel conuentiones pessime interuenerint, suspicione ex coniecturis quidem verisimilibus non carebat ymmo dubium non existit. Constat namque, quod idem Adolphus post suam cessionem sibi retinuit per omnia tempora successoris magnam atque nobilem partem possessionum reddituum et bonorum ecclesie videlicet Castrum et opidum Bercke cum theloneo et toto districtu. Suspicionis quoque huiusmodi opinionem[1]) adaugebat vehementer, quod idem Adolphus post obitum successoris sui, qui fuit patruus ipsius et post cessionem suam in locum suum, sicut infra patebit, translatus petiuit sibi assignari plura bona et possessiones ecclesie videlicet opidum Kempense et castrum Oede cum districtibus eorundem ex condicto et forma litterarum et instructionum dicti successoris patrui sui, per que constabat manifeste, quod castellani siue officiati dictarum ville et castri de mandato ipsius successoris eidem Adolpho iuramenta prestiterant de dictis possessionibus ecclesie post obitum successoris eidem Adolpho assignandis et quod in illis ipse sibi retinuerat obligationem usque ad solutionem certe quantitatis pecunie, que quidem pecunia post patrui sui obitum fuit etiam persoluta.

## Engelbertus tercius.

Quinquagesimo nono loco translatus est de ecclesia leodiensi ad ecclesiam Coloniensem venerabilis presul dominus Engelbertus tercius sedens sub Imperio karoli quarti Romanorum Imperatoris annis quatuor mensibus quatuor et diebus viginti. Iste de domo Comitum de Marcka ducens originem Patruus videlicet Adolphi resignantis supradicti prius erat Episcopus Leodiensis, quam quidem ecclesiam Leodiensem ipse fere per viginti annos strennuo et laudabiliter administrauit. Tandem resignatione facta per consanguineum suum dominum Adolphum Dominus Vrbanus papa quintus eundem transtulit ad ecclesiam Coloniensem virum qui-

[1]) In der Handschrift: opinionnm.

dem mature etatis et fame ac probitatis in regimine Leodiensis ecclesie plurimum gloriosum. Qui ob spem recuperande salutis Coloniensis ecclesie, que a tempore domini Wilhelmi quondam Archiepiscopi usque ad hec [1]) tempora multis pressuris et incommodis subiacuerat, cum omni gaudio tam de clero quam de populo intimo fuit affectu [2]) susceptus verum, quia de occulto dei iudicio Coloniensis ecclesie opprobrium nondum fuerat exanitum sed supererat, [3]) vt de fece eiusdem biberent peccatores, votiuis contraria successerunt. Nam cum idem dominus Engelbertus propter preterita mala et nunc in noua sua translatione propter expensas apud Romanam curiam inminentes inuenisset ecclesiam necessariis rebus omnino exhaustam, Surgentibus quoque circa principium sui regiminis pluribus sibi guerris compulsus est de alieno ere necessitatibus ecclesie subuenire, propter quod plura prioribus debitis cumulans Ipse castra et fortalicia ecclesie et possessiones, quecunque superfuerant libera, in creditorum manibus obligauit. Porro in sui regiminis principio fortiter agens cum communitates villarum et opidorum ecclesie propter colligationes, quas inter se fecerant, iam incepissent contra iura et superioritatem Archiepiscopi fortiter superbire, Idem dominus Engelbertus erexit nouum Castrum infra Opidum Lyns et fortiter communiuit, per quod scilicet ipse frangeret superbiam dictarum communitatum, ne per transitum reni possent ad inuicem se iuuandum libere conuenire. Vbi quidem, dum ipse consisteret cum exercitu suo ad munitionem dicti Castri, Communitates videntes se non posse resistere potencie Archiepiscopi compulsi sunt renunciare conspirationibus et obligationibus, quas inuicem fecerant, et litteras super illis confectas ipsi domino Engelberto in manus dare et in ipsius presentia in scandalum eorundem et confusionem lacerare. Tandem idem dominus Engelbertus debitis et expensis grauatus, cum esset vir plane sincerus et de suo ingenio circa agibilia non multum acutus plus quidem bellis quam conciliis aptus, deprimente iam senio vires ipsius cum iam esset ex morbo membrorum artico, quo dudum et iam diu laborauerat, confractus corpore, Ipse senciens se deficere in regimine

---

[1]) hec fehlt in der Handschrift.

[2]) Die Handschrift hat: vicino effectu suspectus, statt dessen ist nach dem magn. chron. intimo affectu susceptus gesetzt worden.

[3]) In der Handschrift: superbierat.

ecclesie, accepto consilio saniori assumpsit sibi coadiutorem venerabilem patrem dominum Cononem Archiepiscopum Treuerensem anno scilicet sui pontificatus tercio virum quidem strenuum atque industrium et in rebus necessariis opulentum[1]) et hoc quidem de concilio Capituli Coloniensis et assensu, ad quod etiam confirmandum auctoritas sedis appostolice interuenit et sic idem dominus Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus prefato domino Archiepiscopo Treuerensi administracione Coloniensis ecclesie commissa Ipse deinceps priuatam duxit vitam retentis sibi duntaxat duobus Castris ecclesie et de mensa Archiepiscopali pro suo statu reddituum congrua porcione. Denique quinto anno sui regiminis post longas morborum fatigationes ipse decumbens in Castro Bruele rebus humanis feliciter est exemptus die vicesima sexta mensis Augusti Sub anno incarnationis dominice Millesimo tricentesimo sexagesimo octauo. Cuius corpus translatum Coloniam sepultum est in ecclesia sancti petri ante armarium ecclesie in sinistro latere chori ipsius ecclesie in tumba noua, quam ipse sibi preparari fecerat adhuc viuens.

## Tempora vacationis ecclesie Coloniensis.

Igitur prefatus dominus Cono Treuerensis Archiepiscopus per supradictum dominum Engelbertum in coadiutorem ad regimen Coloniensis ecclesie assumptus statim vt ad Coloniensem ecclesiam accessit, cepit eandem ecclesiam in quantum paciebatur angustia temporis ipso[2]) domino Engelberto adhuc superviuente per suam prudenciam congrue reformare debita ecclesie persoluere et possessiones ecclesie obligatas in magna parte absoluere atque ad integritatem ecclesie reuocare. Inter alia autem allodia eeclesie alienata[3]) Ipse dominus Cono Treuerensis Archiepiscopus absoluit a Wilhelmo duce Juliacensi nobilem antiquam possessionem ecclesie Coloniensis videlicet opidum Tulpetense cum suis iuribus et districtu, quod quidem allodium a longissimis retro temporibus videlicet a pontificatu olim domini Wicboldi Archiepiscopi in manibus Comitum Juliacensium iam steterat obligatum. Idem quoque dominus Treuerensis Archiepiscopus fecit publicam vindictam et fortem iusti-

---

[1]) In der Handschrift: epulentum.
[2]) ipsi in der Handschrift.
[3]) In der Handschrift steht: alleuiata.

ciam de sediciosis opidi Andernacensis, qui contra dominum Wilhelmum quondam Coloniensem Archiepiscopum inobedienter se erexerant, auctores quidem sedicionis faciens plecti sentencia Capitali alios ex ipsis secundum merita perpetuo banno et exilio relegari et pontem Castri Andernacensis dudum per dictos rebelles Andernacenses confractum ipse fecit forcius et melius reparari. Porro idem dominus cono Treuerensis Archiepiscopus cum pace et optata subditorum quiete adminitrauit Coloniensem ecclesiam sine guerris usque ad obitum domini Engelberti supradicti. Nam famata ipsius probitas et animosa constancia eiusdem comprobata potentibus et conterminis dominis et maioribus illarum partium per experientiam fuit nota et cum hoc illarum duarum ecclesiarum videlicet Treuerensis et Coloniensis in vna et eadem persona adunata potencia conatus aduersariorum fortiter terrebat. Post obitum autem supradicti Engelberti Coloniensis Archiepiscopi vacauit ecclesia Coloniensis stans absque pastore annis duobus et per tres menses. Interim vero statim post dicti domini Engelberti obitum Capittulum Coloniense assumpsit denuo in administratorem Coloniensis ecclesie dominum Cononem Treuerensem Archiepiscopum sepe dictum. Cuius administracionis officium sedes apostolica confirmauit. Tandem dictum Capittulum Coloniense fecit domino pape Urbano quinto solemnem postulationem de persona eiusdem domini Treuerensis ad Coloniensem ecclesiam transferenda. Cui quidem postulationi idem dominus papa assensum prebens transtulit eundem dominum Cononem de Treuerensi ecclesia ad ecclesiam Coloniensem, dum tamen ipse dominus Treuerensis vellet sue translationi consentire, sed quia ipse translationi sue non consensit, nam ipse maluit in ecclesia sua remanere Treuerensi, Idem dominus papa mutato titulo administratoris dedit sibi ipsam Coloniensem ecclesiam in commendam. Postea vero mutato titulo commende Idem dominus papa reseruans sibi ad usus Camere apostolice dictam Coloniensem ecclesiam fecit eundem Archiepiscopum Treuerensem in Coloniensi ecclesia suum et appostolice sedis vicarium generalem. Quo iterum titulo postea mutato fecit eundem denuo ipsius Coloniensis ecclesie administratorem et hoc rerum ordine status Coloniensis ecclesie post obitum quondam domini Wilhelmi Coloniensis Archiepiscopi multis aduersitatibus agitatus nunc denuo diuturne sue vacationis tempore sub varietate dubii et incerti regiminis admodum febricitantis a spe crotica crebro recidiuantis sue de-

solationis apud alienos solatia mendicabat. Inter hec autem prefato domino Archiepiscopo Treuerensi Coloniensem ecclesiam post obitum domini Engelberti iuxta ordinationem sedis appostolice taliter administrante res ipsius ecclesie Coloniensis sibi auxiliante domino satis prospere successerunt. Nam cum quidam nobiles contracta valida manu fines Coloniensis ecclesie subito et ex inprouiso hostiliter inuasissent, officiati et satellites eiusdem Treuerensis Archiepiscopi in confinio et in constrictu opidi de Lechenich cum ipsis confligentes felices de inimicis sunt victoriam consequuti ex illis plusquam sexaginta viros militares capientes. Eisdem temporibus videlicet anno dominī Millesimo tricentesimo sexagesimo nono surrexit magna commotio et turbatio valida inter rectores et vniuersitatem ciuium Coloniensium ex vna parte et inter ecclesias atque clerum ipsius ciuitatis communiter ex aduerso. Nam consules et maiores ciuitatis clero semper infesti quedam statuta et edicta publica statuerunt de talliis scilicet rerum venalium generaliter per omnes soluendis[1]) de euectionibus rerum necessariarum presertim vinorum extra renum, de vinis ad forum commune non nisi certis locis sub certo precio et mensura vendendis et huiusmodi similibus, per que ipsi sub fucatis coloribus vtilitatis rei sue publice personas ecclesiasticas et res ipsarum talliare et collectare nec non libertates ecclesiarum et emunitates supprimere subtiliter nitebantur. Clerus igitur ciuitatis aduertens peruersam maliciam eorundem vnanimi concordia pro sua iusticia et libertatibus conseruandis se ipsis vtiliter opponentes et minas, quas ciues contra ipsos atrociter fulminabant non curantes, totam ciuitatem per spacium duorum fere annorum tenuerunt sub ecclesiastico Interdicto. sed cum ipse clerus per obseruationem huiusmodi interdicti nequirent conuincere maliciam ciuium predictorum, Ipsi in suo proposito constanter perseuerantes et pro domo dei iuxta Propheticam sententiam murum ex aduerso conscendentes[2]) et se hostilibus ciuium conatibus opponentes Tandem vniuersi relictis ecclesiis et loco domibus et habitationibus suis se et capittula sua cum omni suppellectili sua extra ciuitatem ad alia loca vniuersaliter transtulerunt. Cum igitur clerus ipse extra ciuitatem per annum et dimidium iam stetisset, dicti rectores et populus ciuitatis ad cor reuertentes et absenciam cleri propter

---

[1]) Die Handſchrift hat: soluendos.
[2]) conscendentes fehlt in der Handſchrift.

multas nedum honestates verum etiam vtilitates atque commoditates plurimas sencientes sibi minime expedire, venerunt ad concordiam cum clero reuocantes ipsos ad ciuitatem cum pace, statuta sua et edicta quatenus [1]) communitates libertates et emunitates ecclesiarum tangebant penitus abrogantes restitutis nihilominus ecclesiis et singularibus personis de clero vniuersis ablatis, que per talliationem dictorum statutorum ipsis indebite abstulerant. [2]) Porro cum dictus dominus Cono Archiepiscopus Treuerensis administrationis sue decursum in ecclesia Coloniensi usque ad tempora Frederici tercii Coloniensis Archiepiscopi, de quo infra sequitur, sub satis congruo pacis silentio taliter transegisset, obtinuit apud Capittulum Coloniense et aliarum ecclesiarum Coloniensium Capittula, quod omnium illorum concorditer vota Jam dictum dominum Fredericum tercium ipsius domini Archiepiscopi Treuerensis consanguineum Canonicum Coloniensem licet iuuenem in etate mōrum tamen maturitate pollentem sibi *prefici* in pastorem a sede appostolica vnanimiter postulabant. Cuius quidem postulationis effectum dominus Imperator Karolus quartus quamdiu potuit inpediuit. Satagebat namque dominum Episcopum Argentinensem consanguineum suum, vt ad Coloniensem transferretur ecclesiam, pocius promouere. Sed misericors deus ipse quidem omnium ecclesiarum summus pontifex gubernator atque rector Coloniensem ecclesiam viduitatis sue calamitates longo iam tempore deplorantem volens respicere, nam venerat tempus miserendi eiusdem, aliter ordinauit. Nam cum dominus papa Vrbanus quintus famam bone indolis dicti domini Frederici postulati fide digno testimonio audiuisset, et tandem eiusdem conuersationem, quam deduxit in studio Bononiensi, familiarem quoque ipsius noticiam, et apud urbem Romam, vbi postulatus ipse eiusdem domini pape et dominorum Cardinalium collegio se presentauit, personaliter aliquo tempore per experienciam cognouisset, Idem dominus papa Vrbanus quintus dictum postulatum tercio decimo die mensis nouembris Sub anno domini Millesimo tricentesimo septuagesimo prefecit desideratis effectibus Coloniensis ecclesie in Archiepiscopum et pastorem.

---

[1]) quatenus fehlt in der Handschrift.
[2]) Die Handschrift hat: abstulerunt.

## Accessit nobilis comitatus de arnsberch.

Interea prefato domino Archiepiscopo Treuerensi adhuc Coloniensem ecclesiam gubernante accessit eidem ecclesie Coloniensi nobilis possessio videlicet Comitatus de Arnsberch cum vniuersis castris terris dominiis et Juribus et pertinenciis suis hoc modo. Godefridus siquidem ultimus Comes de Arnsberch habens vxorem nobilem de domo Comitum Cliuensium, cum ambo ipsi ad senilem peruenissent etatem et liberos non haberent, Idem quoque Comes statum Coloniensis ecclesie in partibus ducatus Westphalie Coloniensi ecclesie pertinentis concussione guerrarum et atroci bellorum atque inuriarum incursu in suis diebus multociens perturbasset, Tandem sane mentis concilio sue condicionis tempora recensens et improuide gesta meliori commutacione satagens reformare Idem ipse prefata sua coniuge Comitissa similiter annuente contulit donatione perpetua inter viuos dictum Comitatum de Arnsberch ecclesie Coloniensi cum Castris fortaliciis terris et dominiis hominibus ministerialibus atque vasallis et cum omni patrimonio et attinenciis dicti Comitatus, quorum quidem nonnulla de Castris opidis atque iurisdictionibus eiusdem Comitatus antea ad ius Coloniense Jure directi videlicet dominii pertinencia ab eadem ecclesia in feudo descendebant. Et ut huiusmodi donatio prefati Comitatus pro firmiore subsisteret stabilitate, Ipse comes cessit personaliter dicto Comitatui adhuc viuens dimittens realiter possessionem Castrorum et terrarum et omnium bonorum ipsi Comitatui pertinencium Coloniensi ecclesie supradicte Recipiens pro commutacione huiusmodi cessionis alia certa bona ecclesie ad estimationem reddituum atque prouentuum ipsius Comitatus videlicet nobile Castellum Bruele cum suis pertinenciis et nonnullis aliis prouentibus atque redditibus certis ad vite ductum eidem Comiti assignatis Retentis duntaxat prefate Comitisse quibusdam Castellis et bonis pro suo dotalicio in dicto Comitatu pro ipsius vite ductu. Idem quoque Comes paucis postea superstes annis vita decessit donatione quidem prefati Comitatus ipsius obitu taliter confirmata.

## Fredericus tercius.

Sexagesimus numero accessit ad regimen Coloniensis ecclesie Fredericus tercius huius nominis natus de Comitatu nobilium de Zerwerden receptus est et installatus cum magno cleri et populi gaudio et tripudio, sicuti habetur ad longum in precedenti folio.

Prefuit autem idem venerabilis presul episcopatui annis quadraginta quatuor. Tandem post multarum virtutum patracionem obiit anno domini 1414 die nono mensis aprilis. Sepultus in ecclesia Coloniensi ante altare virginis marie in tumba valde sumptuose constructa etc.

## Theodericus secundus.

Anno domini 1414 octauo idus aprilis obiit dominus Fredericus Archiepiscopus Coloniensis Et die ad preficiendum Coloniensi ecclesie pastorem per capittulum eiusdem decreto adueniente multi principes et nobiles intercesserunt pro domino Wilhelmo de monte electo paterburnensi, ut ipse postularetur, et conuenientibus paucis canonicis ad locum capittularem alii recedentes de ciuitate ad opidum bonnense se transtulerunt, Quia dominus Theodericus de moersa prepositus bonnensis nepos supradicti Archiepiscopi Frederici thesaurum et clenodia per eum relicta et castra quedam ipsius diocesis Coloniensis iam apprehendit multorum fauores conquirendo sibi pro sui electione fortiter instabat. Unde electio facta est[1]) bipartita. Illi quidem canonici, qui Colonie remanserant, dominum Wilhelmum prefatum postulabant. Alii vero in prefato opido bonnensi dominum theodericum predictum quinta die post diem ad hoc primo decretum elegerunt. Postquam igitur postulacio de domino Wilhelmo de monte et electio de domino theoderico de morsa predicte fuerunt celebrate, ad dominum Joannem papam pro confirmatione seu prouisione solemnes viri cum maximis mittuntur expensis partem per vtramque. Et quia maior pars capituli domino Theoderico adhesit, quia ipse castrorum et terrarum pro maiori parte sibi vendicabat possessiones, Cum enim dominus Fredericus auunculus eius supradictus vita functus fuerat, Iste theodericus thesaurum et clenodia ipsius auunculi primo, deinde plura castra episcopatus nondum electus apprehendit Sicque canonicorum et multorum aliorum fauoribus acquisitis plura de castris distraxit et pignore obligauit, vnde magnas pecuniarum summas collegit et sic eo multa milia florenorum expendente et promittente papa presertim ad importunam instanciam Sigismundi regis romanorum et vngarie et domini Joannis Archiepiscopi Maguntinensis eum

---

[1]) et in der Handschrift.

dixit confirmandum et uerbo primo confirmauit non obstante, quod plures principes theutonie pro domino Wilhelmo supplicabant. Quapropter dominus Wilhelmus tanquam intrusum et symoniace confirmatum ad vnicum verum et indubitatum pontificem summum et ad sedem appostolicam et ád consilium generale constancie celebrandum appellauit Et in appellatione sua dominum Joannem papam non simpliciter papam sed dominum Joannem, quem Bononiensem et quidam alii papam modernum appellabant, nominauit et hanc appellationem valuis ecclesie Coloniensis fecit affigi. Et nihilominus dominus Adolphus dux montensis ad gregorium pro confirmatione seu prouisione domini Wilhelmi videlicet fratris sui legationem misit et quia multi principes et domini cum domino Wilhelmo confederationem inierunt, guerre gravissime inter ipsas partes facte sunt, quibus capittulum et ciuitas paderburnensis cum lige sue consortibus immiscere se cupientes cum dicto domino Theoderico et sibi adherentibus fedus inierunt, postquam de decreto confirmationis eius supradicto certificati fuerunt. Anno sequenti scilicet salutis 1415 die secunda mensis octobris theodericus Archiepiscopus Coloniensis venit paderburne et admissus est pro administratore ibidem et ciues prestiterunt ei iuramenta fidelitatis et quinta decima die post hoc Bernardus de hoerde tradidit nouum castrum in manus eius. Videns igitur dominus Wilhelmus electus paderburnensis emulorum suorum fraudibus non posse resistere se viribus et dispensationis super munerum consecrationis dilatione sibi quantum ad ecclesiam paderburnensem a sede appostolica concesse tempus infra annum expirare nec presumens se posse ad ecclesiam Coloniensem peruenire, quamuis Adolphus dux Montensis frater eius guerris grauissimis Archiepiscopum Coloniensem continue fatigauit, emulorum predictorum commenta idem et fallacias alia quadam via cautulose dissoluit, Quum cum dicto Archiepiscopo amicabiliter compositus se eidem affinitate coniunxit. Nam filiam sororis sue Adelheidem videlicet filiam Comitis de Tekelenburch duxit uxorem Et celebrate sunt nuptie in castro Arnsberch decimo nono die mensis februarii eodem domino Theoderico Archiepiscopo presente. Sicque prefati emuli illum, quem sibi asciuerant in ipsius Wilhelmi exterminationem, coacti sunt eius tollerare defensorem. Et pacifice dominus Theodericus de morsa retinuit episcopatum. Iste magnificus presul honor et decus tocius ecclesie ac prepotentum do-

minorum temporalium gloria semel ad honorem dei deduxit principaliter magnum exercitum in finibus prucie ad bellandum gentiles, quorum multa milia ibidem bellorum viribus contriuit et post longum conflictum paucis suorum amissis cum triumphali laude rediit. Itemque bis cum maximo exercitu debellauit perfidos hereticos pragenenses regni Bohemie, vbi deuictis adiutorio christi fidelium caractere crucis insignitorum pluribus municionibus perfidorum cum magno honoris preconio repatriauit. Tandem hic inclitus ac reuerendus pater dominus Theodericus de moersa huius nominis secundus inter pontifices Colonienses vir gloriosus bene litteratus et ab omnibus terre circumvicinis principibus plurimum honoratus et in condigna reuerencia habitus dei omnipotentis adiutorio episcopatum suum Coloniensem annis quadraginta nouem honorifice et strennue gubernauit multisque potitus victoriis pacem ecclesie et terre bonam fecit conseruauit et reliquit. obiit anno domini 1463 in die sancti Valentini martiris in castro suo in zoens, sepultus Colonie in ecclesia sancti petri in opposito trium regum in humili et non eleuato sicut alii sepulchro et cetera.

## Ropertus de bauaria.

Post obitum reuerendi patris domini Theoderici de moersa Ropertus de bauaria frater domini Frederici Comitis palatini reni sexagesimus secundus Coloniensis ecclesie electus est episcopus Anno domino 1463 in die sancti Quirini martiris in quadragesima anno pontificatus pii pape secundi sexto. Iste ropertus dux de bauaria minus deliberate, ut postea in propatulo patuit, extitit electus, presertim cum illo in tempore capittulum maioris ecclesie Coloniensis ydoneoribus tanto pro presulatu spectabilibus et illustribus habundabat viris personali elegancia venerandis morum grauitate perspicuis eloquio nitidis, sentenciosos etiam qui nouerunt proferre sermones et allegare scripturas etc. Iste autem dominus ropertus dux de bauaria predictus electus fuit parue statute leuis mente venationi insistens et aucupio. Fuit tamen electus, vt tunc famebatur, propter nobilitatem et simplicitatem suam, forsitan alium de canonicis elegissent sed cupiebant hunc magis regere quam ab alio intelligenti regi etc. Quod tamen successu temporis aliter euenit. Nam concanonicos bona consilia ei dantes non audiuit sed pocius laicos, qui sua pocius querebant quam

que Iesu christi sunt[1]), propter quod statim post electionem suam oriri inter ipsum capitulumque suum ceperunt simultates, quare ipsum dominum ropertum vilipendentes ac detestantes in tantum, vt nonnulli, qui promotionis ipsius auctores fuerunt, sollicitarent, ut presulatum resignaret. Sed serenissimus dux dominus Fredericus de bauaria et Comes palatinus frater predicti domini roperti Archiepiscopi Coloniensis vir perspicacis ingenii magnus triumphator in armis repetitis vicibus ipsum Archiepiscopum fratrem suum magna cum comitiua sumptuose visitauit et controuersie causas inter ipsum fratrem suum Archiepiscopum et capitulum maioris ecclesie Coloniensis perscrutatus est. Causis tandem intellectis indignans canonicis et aliis optimatibus dixit, quod quemadmodum sine ipsius sollicitacione fratrem suum elegissent Ita etiam vellent nollent in presulatu eundem optinerent. Sed cum etiam idem Fredericus animaduerteret per minus ydoneos consiliarios memoratum fratrem suum Archiepiscopum in regimine destitui, aptiores ei de terra sua misit consiliarios, quos si Archiepiscopus semper audiuisset, ad honoris tanta rerumque dispendia suo cum presulatu minime peruenisset. Cumque illi consiliarii suis in suggestionibus et consiliis minus se audiri considerarent, ad dominum suum memoratum remearunt Fredericum Archiepiscopum in manibus consiliariorum suorum derelinquentes, vnde ad extremam calamitatem in fine vite sue perductus est, ita vt excommunicatus et in vinculis moreretur. In initio igitur bene rexit, nam acceptans episcopatum Coloniensem inuenit debitis maximis grauatum. Nam omnia fere castra et thelonea cum ceteris prouentibus et redditibus optimatibus diuersis erant impignorata, Ita vt idem Archiepiscopus plus ante electionem suam in prebendis haberet quam postea de episcopatu. Misit interea frater eius dux et Comes palatinus Fredericus Archiepiscopo in auxilium strennuum quendam militem dominum videlicet Martinum ruysschener et quendam alium militem satis animosum, qui congnominabatur buck, Unde et alii armigeri etiam hoc nomine vocabantur. Ut igitur memoratus dominus Ropertus Archiepiscopus prouentus redditus cum theloneis vidit impignorata, cepit attemptare, vt illa rehabere posset. Per consilium igitur fratris sui et aliorum satis industriose cepit castra impignorata et alios redditus ecclesie. In

[1]) sunt fehlt in der Handschrift.

quo facto ei ciuitates assistenciam fecerunt precipue ciuitas Nussiensis, Quamuis postea eadem ciuitas minime cum episcopo concordaret, quia duos militares scilicet magistrum milicie sue congnomento buck et Fredericum scoiff decollauerunt ac in quatuor partes diuiserunt suspendentes ante portas singulas partem vnam capitaque ac intestina eorum sub rotis circa leprosorium.[1]) Acta sunt hec anno domini 1472. Unde exacerbatus Archiepiscopus cum suis propter hec et alia valde vexauit Nussienses per dominum Martinum ruyschener ex castro suo lyn, Qui postea captus cum aliis duobus militibus in auro(?) et multis militaribus ac rusticis ex terra lynnensi et Kempensi exactionati sunt a Nussiensibus et positi in turribus. Videns igitur Archiepiscopus se non posse resistere ciuitati Nussiensi et Coloniensi ac aliis ciuitatibus adduxit bellicosum ducem Carolum burgundie, vt sibi succurreret, sicut ante aliquot annos succurrit episcopo Leodiensi. Qui precibus Archiepiscopi obtemperans non propter iesum tantum Venit circa festum sancti Jacobi appostolicum magno exercitu et obsedit ciuitatem Nussiensem fere per annum anno videlicet domini 1474. Quapropter ciuitas Coloniensis cum consensu capituli in summa ecclesia misit pro capitaneo Nussiensibus illustrem dominum hermannum Lantgrauium hasshie decanum ecclesie sancti gereonis martiris, qui intrauit ciuitatem nussiam cum satis magna comitiua equitum peditumque. In qua ciuitate multas angustias periculaque sustinuit semper discordantes concordans ac sana consilia prestans totamque spem suam in deo sanctoque quirino figens, defenderuntque se nussienses fortiter nunc sagittando nunc fundendo aquam calidam calce mixtam et stercore humano super eos. Exierunt etiam extra portas ad eos iugulantes capientesque multos, ita vt dux miraretur animositatem ciuium ciuitatis nec vnquam ei simile contigit. Sustinuerunt tamen magnam penuriam in victualibus in ciuitate, quia comederunt quingentos equos absque aliis porcis vaccis et ouibus raptis infinitis. Ciuitas coloniensis cernens animositatem Nussiensium et percipiens penuriam eorum nec valens eis succurere propter artam obsidionem vndique Misit cum magnis expensis ad Imperatorem Fredericum, quatenus misericordia motus, quia misericors fuit, dignaretur descendere et succurrere ciuitati liberando eam ab obsidione non solum propter destructionem ciuitatis nus-

[1]) In der Handschrift steht: leprosorum.

siensis sed propter pericula infinita tocius episcopatus. Intendebat enim dux burgundie habita ciuitate nussiensi procedere ad ciuitatem Coloniensem et ad alias ciuitates. Imperator igitur difficulter descendit, Venit tamen cum magna comitiua equitum peditumque Anno domini 1475 circa festum natiuitatis sancti Joannis baptiste quiescens et muniens locum, in quo se posuit cum exercitu suo inter ciuitatem nussiensem et zoens deliberans, vtrumne vellet ducem repellere a ciuitate mauu violenta, quod in civitate Nussienses et plures barones exercitus sui plurimum affectabant. Sed imperator, quia pacificus fuit, misit legatos suos ad ducem burgundie precipiens ei, vt a ciuitate discederet eamque in pace illesam dimitteret, in casu si inobediens existeret, eum violenta manu repelleret. Dux igitur cum audisset legatos et preceptum Imperatoris, inuitus obediens fuit Imperatori et ciuitatem inuictam dimisit, quamuis infinitas expensas expendisset et multos mortuos de suis ante ciuitatem amisisset. Imperator tamen eundem ducem rationabiliter informans amicabiliter ab eo decessit faciendo contractum inter filium suum vnicum postea regem romanorum maximilianum videlicet et filiam ducis Karoli vnicam, qui contractus efficaciam habuit. Insuper Imperator suspendit causam ciuitatis nussiensis et episcopi Roperti iudicandam ab eo et summo pontifice sixto quarto dimittens episcopum in summa desolatione et desperatione, Ita vt postea omni spe frustratus se transferre vellet ad ducem cliuensem Joannem cum pallio et omni iure Archiepiscopatus sed in via captus fuit a ministris Henrici Lantgrauii hasshie, a quo per quinquennium captus fuit et in vinculis excommunicatus a ciuitate Coloniensi obiit. Laborauit tamen Lantgrauius Hermannus hasshie tunc temporis regens et administrator Archiepiscopatus pro absolutione eiusdem Archiepiscopi roperti et absolutione obtenta sepultus est bonne in sepulchro satis precioso et eleuato, quod expensis eiusdem Hermanni Lantgrauii edificatum est.

## Hermannus quartus.

Sexagesimus tercius numero et ordine rexit pontificalem cathedram Coloniensis ecclesie sedens sub Imperatoribus Frederico 3° et filio eiusdem Maximiliano annis etc. venerande memorie dignus presul Hermannus Lantgrauius Hasshie et huius nominis quartus. Iste de progenie sancte Elizabeth fuit prius prepositus

ecclesie Aquensis et Decanus sancti Gereonis in Colonia Canonicusque maioris ecclesie Recepitque benedictionem appostolicam et pallium a pontifice summo Sixto quarto Anno 1481. Iste dominus Hermannus quamuis non multum prouecte etatis precipue tamen mundanarum rerum et agibilium experiencia pollebat et ab adolescentia fuit imbutus. Fuit namque contra predecessorem suum Ropertum regens episcopatus Coloniensis ordinatus, vt in precedenti tactum est. Propter quod status ecclesie Coloniensis et negocia res et persone fuerunt plurimum sibi note. Valde enim intelligens fuit consiliariosque bonos habuit totamque spem suam in deo ponens pacem diligens pacificus enim et paciens valde fuit munera sua religiosis sepe misit petendo orationes pro se et causis sibi commissis precipue pro pace terrarum. Post igitur promocionem suam cepit idem dominus Hermannus sicuti fidelis dispensator et prudens manus ad arathrum ponere nec retrospicere, donec ipse ecclesiam sibi commissam licet tunc multis et grauibus debitis pregrauatum optime reformauit nec a multiplicatione talenti sibi traditi defecit, quousque ipse vniuersa debita ecclesie per antecessores suos contracta, quamuis ipse tamen de honorificentia sui status parum diminueret, absque damnis et fenore persoluit. Terras quoque castra et possessiones obligatas infra paucos annos ad integritatem ecclesie mirabili industria reuocauit. Paucas siquidem suo tempore habuit notabiles Ipse dominus Hermannus guerras, quamuis leuibus sepe stimularetur iniuriis et aduersis, prout in rebus prosperis non est rarum. Ipse namque prudenter egit et aduertit, quod dubiis casibus subiacet bellorum euentus et sumptuum, quos guerre requirunt, non est terminus neque finis, incitamenta guerrarum, quotiens aduersus ipsum surrexerunt, multa pacientia dissimulauit Aliquando quidem aduersitates donatiuis siue pecuniis redimendo Memorans dictum sapientis, quod melius est marsubiis dolores accommodare quam mentem continuis curis anxiari. Adhuc supportabant ipsum ad inuasionem hostilium cuneorum felices gaze rerum necessariarum, quibus ipse super vniuersos potentes et dominos ecclesie vicinos siue conterminos presertim in vino et frumento et ceteris victualibus excellencius habundabat, quarum habundancia emulis, ne contra eum insurgerent, fuit terror. Fuit siquidem statura procerus corpore et asspectu pulcher et in conuersatione placabilis et tractabilis in negociis consiliarius et expeditus sermone facundus ingenio pr

Proinde die 18. Januarii omnes sex sacerdotes nostri in scriptis determinarunt medium accelerandae residentiae et consilium pacificationis termini eoque praeuio personaliter cum F. Lutgero Kettwig perrexi versus Arwiler atque P. Joannem Cupper ex termino Lufftelberg die 24. Januarii comitem accepi. Postridie apud clarissimum dominum Nicolaum Stappelberg seniorem consulem et scabinum (qui clauum tenet) seriam propositionem fecimus et eius applausu consilioque consulem primariosque scabinos salutauimus inclinauimusque, vt de foris aliud non aduertimus, [1]) qui die 26. Januarii ad oblatam scripto petitionem nostram desuper consulum et scabinorum solemni conuentione facta per consulem nobis responderunt, dominis petitionem nostram scripto exhibitam gratam fuisse et dignam visam, quae vlterius pleno senatui (ad quem octo alii adhuc requirebantur) proponeretur feria 6. in senatorum conuentione ordinaria, sicut factum est; verum nec primae nec secundae conuentioni interfuit praefatus dom. Stappelberg, et cum domini senatores pro tunc absolute vellent negatiuum dare responsum, vt refert P. Joannes Cupper, dominus Stappelberg mitiorem et quasi delatorium recessum die 28. Januarii prothocollatum promouit. Ego quidem in priuato congressu suprascriptorum dominorum suggesseram pro pede primum figendo

1) *Wie wir von außen nicht anders wahrnehmen konnten.*

tria media, primo quod darent nobis montem Caluariae in colle e regione ciuitatis, locum ante annos 1202 (sic) tunc florentem a cardinalibus solemni diplomate indulgentiis dotatum, deuotum, miraculosum, pereginationibus famosum et amoenum, qui et riuo fonteque instrui potest et recens inuento lapide insigniter exaedificari muroque cingi in toto circuitu et a suburbio siue pago in pede collis siue montis Caluariae sito continuis seruitiis gaudere, vbi nostris existentibus omnes vicini populi plus vota sua et simul oblationes, quae modo copiose fiunt, abundantius offerent, et quia probabile erit, pauciores ibi commoraturos, proinde fratres deuotarii solemne officium semper non facientes melius in tali monte quam in ipsa ciuitate absque officio canonico quasi residerent otiosi, vel si in eodem monte pusillus conuentus coaedificari non deberet, possent nihilominus nostri ciuitatem incolentes isti loco subseruire sanctius, cum triplo sit vicinius, quam sacellum S. Helenae in rupe Romerii absit a conuentu Buricensi. Secundo loco suggessi, quod locum seu domum vicariae et confraternitatis B. Mariae virginis (in qua ex testamento perpetuum hospitium habemus), eo quod beneficium adhuc nulli collatum esset, nostris conferrent auctoritate serenissimi, quam nos impetrare deberemus, cui speculationi gratiose fauet, quod fundator reu. dom. Jacobus Rick omnia ista bona, vt toti patriae constat, obtulerit in fundationem nostri conuentus, nouissime adhuc ante quadriennium nostris recusantibus; vel pro tertio indifferenter reliqui [1]) iudicio et beneplacito dominorum assignare nobis locum qualemcunque nostra industria, cura et labore aptandum seu exaedificandum, et super hoc solum generaliter loquitur nostra in scriptis exhibita petitio supratacta. Optimus quidam in meditallio ciuitatis est locus in concurrentia trium insignium plateārum nuper a Capucinis [2]) lustratus, Metternicher Hoff, retrorsum riuo adiacens, vinea scilicet absque domo; sed forte pro 2000 imperialibus non prostabit venalis.

Et licet de Richer Hoff aliisque locis alii consilia formarint, mihi tamen in hac annona et pro nostra tenui fortuna, statu et qualitate mediorum visa fuit nulla domus melior quam antiqua valde deserta vulgo Esser Hoff prope introitum ciuitatis

1) Ich habe anheimgegeben.
2) Die Handschrift: *Capuccinis*.

(quam viliori pretio fore sperarem) etiam riuo adiacens et in circuitu hortis et aediculis pauperculis cincta, quae mediis successiue et moderate obuenientibus variis vicibus coëmi possent in circuitu, et materialia congeri, vt pluribus annis .... iam fecerunt fratres nostri Monasterienses.

Causae impellentes, cur locus iste ambiendus videatur: quia prouincia Coloniae hinc inde a Saxoniae et inferioris Germaniae prouinciis conterminis iam nunc circumscripta est, vnde aduigilandum in tempore (fronte capillata, post est occasio calua), quando totius prouinciae conuentus fratribus abundabunt, vt in prouincia inferioris Germaniae, quem diem plane confido adhuc aliqui nostrum videbunt. Deinde si Capucini praeueniant, excludemur in termino, vt in Lintz et Cosfeldia, habebimusque continuos discursus illorum vicinissime in omnibus locis huius termini Brulensis cum aemulationibus multis et dispendio temporali. Tertio carebimus lucro animarum, et bonae indolis filii Arweilerenses in magna copia literis operam dantes non ad nostram, sed ad religionem Capucinorum confluent, sicut Marcoduri et alibi nati, vbi conuentus habemus ad nostros. Quarto dilatabitur hospitii commoditas versus Mosellam, Buricam, et Sircaeam, cum via peregrinationis Treuirensis non multum ab Arweiler distet. Denique ob situm amoenitatemque terrae et milliare,[1]) quod vocant aureum, plurimasque arces nobilium facilis ibi foret sustentatio, sanitas corporum exoptatissima, lignorum, vini optimi, carnium, siliginis et olerum abundantia pro paruo conuentu vel bona residentia, sicut iu reuerendissimo P. Gonzaga in plurimis prouinciis plurimas inuenimus residentias, quae hospitia vocantur.

Verum, quia frigida fuit prima resolutio supra allegata, et negotiorum Arwilerensium gestor dom. Nicolaus Stappelberg bis se absentauit, qui mea opinione, si voluisset, rem totam statim conficere potuisset, ipsemet quoque nihil nisi moras et remoras ponit (et forte illusionem nostram quaerit) in consilio, quod scripto P. Joanni Cupper ad pennam dictauit meo iudicio debili nimis, immo contra nos plane confusibili, proinde quid facto opus putetur, praelatis et patribus meis deliberandum resoluendumque relinquo.

Putatur autem praedictus Stappelberg velut ciuitatis vicedo-

---

1) *Die goldene Meile*, die fruchtbare Ebene zwiſchen Remagen und Sinzig.

minus et omnium quasi nobilium schultetus aduocatusque suorum potens timere, ne accipiat inspectores et censores suorum operum maioris quam ipse auctoritatis. Deinde suspectus est, quod Patres societatis Monasterii Eiffliensis (qui insignia bona et vineas in Arweiler recenter emere tentarunt) singulari aliquo modo promouere cogitet, misso siquidem nuntio, eorum consiliis plane secretis et nemini consciis, ad aliquot dies nuper ipsos domi suae habuit, qui eius coniugem mulierem viraginem et oratricem potentissimam pro se habent, matrem cuiusdam religiosi de societate ipsorum, foret autem res Jesuitis commoda, iucunda, proficua (sic) et splendida valde semel in vere, quando peregrinationes in monte Caluariae florent et vineae aptandae sunt, alia vero vice in autumno, dum vinum colligitur ad domum in Arweiler praetextu praedicandi, catechisandi et confessiones audiendi excurrere, simulque prouentibus montis Caluariae et vicariae necdum collatae gaudere, celebrationes autem more suo in collegio facere.

Sacerdotum Brulensis connentus allegata resolutio.

Cum constet diuersis patribus et fratribus huius conuentus Brulensis, quod patres Capucini inibi pro figenda residentia locum lustrarint et super insignioribus nobilium domibus Elsser vndt Metternicher hoff tractare coeperint, alia etiam via patribus societatis locus aliquoties oblatus fuerit, ne subito praeoccupati praeueniamur et tandem sicut in Lintz, Cosfeldia, Aschaffenburg, Cochem aliisque locis obtigit, serius sapere incipiamus etc., visum fuit nobis infrascriptis citius maturare negotium et impetrare senatus populique Arweilerensis consensum et declarationem in scriptis tali medio, quod fratres nostri occupent solitam mansionis residentiam in domo venerabilis quondam dom. Jacobi Rick iurium licentiati et vicarii cum emolumento bonae summae pecuniariae in fundationem vicariatus b. virginis Mariae necdum impensae praestando videlicet onera vnicae missae in sabbatho et concione in festiuitatibus b. virginis Mariae, quae onera forte aliquando succedente tempore fauore populi vel auctoritate archiepiscopi in loco fratrum abundantius praestari vel si importabilia viderentur quolibet tempore a capitulo prouinciali rescindi omniaque in integrum restitui possent, quod intuitu maioris mali nunquam futurum speramus. Quoad terminum Brulensem, vt magnates suggesserunt, favor vtique sic accresceet nostris, quod in

Arweiler residentibus per annum sufficeret saluo Brulensibus solito termino vel, vt nos putamus, minus malum foret, exemplo Limpurgensis conuentus vinum annue mendicandum ex aequo partiri, quam occasione aliorum religiosorum, vt in Lintz nostris Andernacensibus iam primo anno nimis cito obtigit, porsus excludi et ad omnia loca nobis vicina perpetuos talium concursus et praeuentiones sustinere.

Signatum Brulae die XVIII Januarii anno 1628. — Frater Jacobus Polius, commissarius Brulensis. F. Bonifacius Lemss, vicarius. F. Joannes Syluius sacerdos. F. Joannes Cüper sacerdos. F. Hieronymus Schenckart sacerdos. F. Paschalis Bartholomaei Instructor.

Petitio loci.

Amplissimi clarissimi prouidi ac circumspecti Domini Consules et Scabini.

Cum pro incremento cultus diuini maiori animarum lucro atque gratitudine terminorum ab immemorabili tempore seruatorum nostri aliquando desiderati et expetiti fuerint ad figendam in hac ciuitate residentiam, quod opus suum deus (in cuius manu sunt omnium corda regum) in haec tempora reseruasse videtur, tam nostri reuerendissimi Patris commissarii generalis huius nationis quam totius prouinciae nomine humillime supplico, quatenus dominationes vestrae ad effectum praedictum locum aliquem nostra industria, cura et labore aptandum seu exaedificandum amore dei nobis assignare dignentur, quod faciendo conciliabunt sibi dominationes vestrae copiosam altissimi benedictionem potentissimumque Seraphici Patris nostri sancti Francisci patrocinium et pro bono totius patriae agent gloriose.

Dominationum vestrarum humilis seruus: Frater Jacobus Polius ordinis s. Francisci de obseruantia, prouinciae coloniensis Definitor et guardianus Brulensis.

Recessus per senatum scripto extraditus et extractus prothocolli ad reuerendi domini Guardiani in Bruell eiusque reuerentiae reuerendi patris adiuncti exhibitam in scripto petitionem.

Burgen Meyster, Scheffen vndt Rath zu Arweyler thuen sich hefftig erfrewen, dass der Orden sancti Francisci Seraphici gegent *diesse obgemelte* Statt vndt Gemeindt sich alsso wohll affectio-

nirt erkleret vnd residentiam begehrn thuen, sagen ihnen deswegen danck mit erpietung vorfallender gelegenheitt alsolches vmb Ihro Ehrwürden undt deroselben Orden hintwiderumb aller Vermögenheitt nach zu erkennen; wahn aber nuhn dissmahll auff Ihro schrifftliches Vortragen mahn sich allerdings nicht finaliter erklern können, theils wegen etlicher scheffen vndt Raths Verwahnten abwessen, dan auch weilen diesse sach ahn die Eylfferen (?) [1]) vndt Gemeinde muesse noch weyters vorgebracht werden, alss erpieten sie sich hernacher nach mehrerem gemeinem reifflichem vorgangenem bedencken zu erklern. Datum 28. Jan. anno 1628.

Consilium domini Stapelbergs ad pennam dictatum.

Churf. Durchlaucht vnseren gnadigsten herren vnderthänigst zu erpitten, dass dieselbe ahn Burgen Meyster, Scheffen vndt Rath zu Arweyler folgendt ihnhals vngefehr schreiben vndt gnädigst befehlen wollen. Ihre Churf. Durchlauchtt haben sich vnderdienstlich referirendt berichten lassen, wie es ihn vndt vmb Arweyler mitt den geistlichen angelegenheit habe, (?) befinden dienlich, auch hochnöthig zu sein, dass ihn Arweyler aliqua residentia vnius aut alterius ordinis seye, derowegen dieselbe Burgen Meyster, scheffen vndt Rath gnädigst befehlen, die von dem Ehrw. herren P. Guardiano vndt Fratribus begehrte residentiam nigt zu behindern, sonderen viell mehr solches besten feisses zu befurderen oder erhebliche vrsachen vorzuwenden, warumb solches nigt geschehen oder ihns werck gericht möght werden. Wahn nuhn alsolcher gnädigster befelch insinuirt, werden dieselbe, so diessem werck gewogen seint, mit mehrerer Auctoritet können diss werck fortsetzen. Ursache, warumb die begehrte Residents beförderen sollen, ist diesse, dass zwischent (sic) Andernach vndt Bonn keine Religiosi sich verhalten, bey welchen die pfarherren in casibus conscientiae auch selbsten zu beichten gelegenheitt haben. Arweyler ligt in medio zwischent beyden genandten Stätten, stossen daran die Ampter Vallender, Newenahr, Sintzig, ist auch Nurreberg [1]) nigt vngelegen, ligen

1) Das Wort ist undeutlich geschrieben; es scheint aber einen Gemeinde-Ausschuss aus 11 Bürgern bestehend zu bezeichnen.

1) Nürburg.

umbher ein oder anderthalb meyll wegs sehr schöne adelige vnd herlige Häusser, können ihn disser Circumferents (ohne wass innerhalb Ahrweyler geschehen wurde) grossen nutzen mit predigen, Beichthören, kinderlehr schaffen, auch genugsahme mittell, sich zu vnderhalten ihn dissen orten finden.

Contra praefatum domini Stappelbergs consilium replicae et opiniones reu. P. Polii.

Etsi serenissimus non putetur daturus tale rescriptum, tamen posito, quod daretur cum clausula, vt praefertur, vel sine tali clausula, via nihilominus sterneretur refutanti allegata fundamenta, ad quod faciunt haec argumenta, quod in dies iam missam et saepius tria sacra in Arweiler habeant, qualem autem feria 6 in monte Caluariae vnum a sacerdotibus quatuor residentibus, qui viuunt ex fundationibus septem vicariatuum, de quibus dici posset, praestari posse, quod a religiosis exspectandum commendatur. Deinde in Lintz, quod duobus milliaribus abest, resident Capucini, Bonnae, Andernaci, Brulae et Monasterii Eiffliae alii mendicantes turmatim, vbi et ciues conqueruntur de tali onere, quod et in senatu contra nos propositum fuit nec rationabile dici posset, in omnibus oppidis fundare mendicos maxime in hac annona, etiam nunc eo tempore, quo de inuasione terminorum tam recens quaestio mota est. Possent similia vtique serenissimus suo motu aut consiliarii ponderare aut senatores obiicere et . . . . sane . . . . et hinc inde aulam patriamque chartis et rumoribus impleremus. Unde gloriosius putarem excutere puluerem de pedibus nostris, nisi deus immutaret cor domini Stappelberg, qui iuxta meam relationem supra positam statim totum conficere posset, si vere vellet, nec opus foret adminiculo precum principis, ut hic simplicibus fraterculis tam speciose imponit. Eo autem inuito nihil perficiemus. Haec eodem tempore exciderunt. Retulit postea F. Lutgerus, quod dominus Stappelbergh in Lintz Capucinos ad conuiuium inuitarit et iisdem suo consilio suaserit expedire, vt locum acceptarent.

Anno 1628 vigesima octaua Januarii sequentem supplicam porrexerunt Fratres Minoritae Conuentuales.

Ehrenuest vndt hochachtpare vorsichtipe wohllweysse vnsser ahndächtig gebett bevor, grossgunstige gepietende herren.

*Demnach* ein ort vndt platz alhie vor der Statt Arweyler

vorhanden, der Berg Caluariae genandt, so mitt einer beruhmbter löblicher Capellen versehen, darin viell ahndacht vndt die memoria dess bitteren Leydens vndt Sterbens Jesu Christi vnssers Erlossers vndt Sehligmachers gehalten wirdt, welches wihr ihn betrachtung gezogen ihn Meinungh deuotionis et honoris, ergo solche platzen zu erweyteren vndt zu illustriren. Dieweill aber dasselb ohne Bewilligung eines Ehrbahren Raths zu Arweiler nigt füglich geschehen kahn, alss haben wihr Zeygeren diesses mitt genugsahmer vollmacht darhin abgefertigt, vmb derhalben zu sollicitiren vndt ahnzuhalten. So ist vmb gottes vndt der heyliger lieben Jungfrawen Mariae willen vnssere diemutigste Bitt, Ew. Ehrenvest vndt hochachtpar gerühen willen, vns ahngedeuten Berg Caluariae zur erbawung eines geringen Clöstergens zu behueff vndt ihn nahmen vnssers Ordens Fratrum Minoritarum s. Francisci grossgunstig zu vergunnen, mitt aber dem vorbehalt, dass wihr die Burgerschaft zu Arweyler vndt keinem Menschen ihm geringsten mitt vnsseren Ordens persohnen ihn keinem Theill beschwerlich sein wollen, sonderen viellmehr dardurch verehret vndt der gottes Dienst fortgepflantzt vndt vermehret werden solle, vndt obwohll solches ahn sich selbsten ein christlich gottsehliges werck ist, so sein wihr es doch mit vnserem täglichem gebett zu gott dem Allmächtigen vmb dieselben mitt freundtlicher ehren vndt dienstlicherem gefallen nach vnserem Vermögen iederzeit zu verdienen schuldig vndt willig, hierüber zuverlessige trostliche Erklerung erwartendt thun Ewere Ehrenvest. gottlicher protection trewlig befehlen. — Ewerer Ehrenvest vndt hochachtb. vnderthenigste diemutigste: Fr. Nicolaus Armiger Guardianus ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci in conuentu coloniensi commissarius generalis.

Eodem anno 1628 et die 28 Januarii dominus Petrus Deuelich postmodum conuentus nostri syndicus ex amore, quo in nostros ferebatur, ius suum, quod ad vicariam b. Mariae virginis ratione suae vxoris ex linea Stappelbergica sibi competebat, sequenti modo resignauit: Ich endts benendter thuen kundt vndt bekennen hiermitt, dass ich auff das ius vndt recht, so ich wegen meiner lieben hauss frawen ihn die vicary Marianae virginis haben, verzegen vndt den herren Franciscanern zu Bruell vbertragen, solten aber selbige herren ihr Intent nigt erhalten vndt possessionem alhier zu *Arweyler* bekommen, soll selbige trans-

tation auffgehaben sein vndt pleiben. Datum den 28 Januarii anno 1628. Petrus Dovelich manu propria.

Annus 1629.

Anno 1629 nono Octobris impetratus est consensus a consule et senatoribus Arweileranis construendi monasterium in ipsa civitate. Originales sunt in archiuo coloniensi. Copiam subiicio.

Wihr Burgen Meyster, Scheffen vndt Rath der Statt Arweilen Ihn Colnischem Ertzstifft bekennen vndt bezeugen hiermitt, nach dem die Ehrwürdige vndt ahndächtige herren Patres Minores ordinis sancti Francisci regularis obseruantiae vnss affectionaliter ahngelangt zue des allerhöchsten Ehren vndt Diensten, gemeinden heylsahmer wohlfahrt vndt gedeyen ihnen zu verwilligen ein ortt vndt platz citra vllum incommodum et grauamen communitatis et ciuium, wie dan von ihnen obgemelten herren patribus ahngeben vndt angeregt ist, pro residentia ahn sich zu werben. Undt die weill wihr zu dem Endt Ihren gottsehligen Eiffer vndt Intent vernohmmen, alss haben wihr mitt vorwissen vnsserer Burgerschafft darzu ihn Crafft diesses geeylett vndt verwilliget, dass gedachte herren Patres minores ordinis sancti Francisci alsso ihnen gefällig, eyne platz vndt ort zue ihrer Residentz binnen diesser Statt Arweiler ahn sich zu werben zu ihrer bester gelegenheit vndt bequemster auss vndt ihrer Nothurfft nach zue frequentiren vndt zu gebrauchen, vmb die gottsehlige sachen vndt diensten helffen zue befurderen vndt zu verrichten. Zue vrkundt haben wihr diessen schein vnderschreiben vndt mitt vnserem gemeinen siegell vnden auff getruckt vndt bestettigett. Geben den sexzehenden Monats tag Octobris ihm iahr sexzehn hondert zwantzig vndt neun. — Joannes Schoneck m. p. Joannes Gymmenich. Georgen Rutgen. Petrus Deuelich. Anthon Alden. Henricus Marner.

Hanc meorum parochianorum gratiam et collationem citra laesionem iurisdictionis meae ratam ex animo habeo atque huius faelicem exitum exopto: Fr. Seruatius Otlerus, pastor Arweileranus m. pr.

Hanc senatus collationem approbat ac ut pro animarum salute faeliqem et celerem sortium effectum habeat, ex animo poscit: Anno Weinreich, vicarius s. Sebastiani in Arweiler.

*Anno 1629* decimo octauo Decembris serenissimus princeps

coloniensis concessit facultatem nostris fratribus aedificandi conuentum in hoc nostro monte Caluariae, patet plenius in copia subiecta:

Ferdinandus dei gratia electus et confirmatus archiepiscopus coloniensis sacri romani imperii per Italiam archicancellarius et princeps Elector, episc. Paderbornensis, Leodiensis et Monasteriensis, administrator Hildesheimensis et Berchtegadensis, princeps Stabulensis, Comes palatinus Rheni, vtriusque Bauariae, Westphaliae, Angariae et Bullionis dux, marchio Franchimontensis etc. venerabili deuoto nobis dilecto patri F. Theodoro Reinfeldt prouinciali ordinis B. Francisci de obseruantia ad partes Rheni gratiam nostram. Religiosorum ordinum dilatatio diuini cultus est promotio eaque tanto vtilior, quanto studiosius laboramus, vt illi, qui non solum Mariam contemplatiuae vitae dilectae, sed etiam Marthiam actualis vitae labore imitantur, a nobis in dioecaesi nostra passim firmentur, quatenus pastores, quos in partem curae animarum vocauimus, demandatae sibi functioni eorum subsidiaria opera vigilantius intendere valeant, sane cum parochia nostri oppidi Arweilerensis aliaeque illi circumquaque vicinae amplissimae sint, vt in his religiosos approbati alicuius ordinis vel instituti patres ac fratres ad maiorem dei gloriam et multarum animarum salutem stabiliri pridem desideraverimus atque pro tempore apud dictum oppidum in Caluariae loco Christi eleemosynis aedificata sit ecclesia, quae nostri est iuris et hactenus nulli concessa, hinc est, quod Patribus et Fratribus s. Francisci de obseruantia iam dictam ecclesiam attribuamus et clementissime largiamur facientes iisdem facultatem et residentiam ibidem capere, diuina exercere, conciones ad populum habere, ss. sacramenta administrare, eleemosynas petere et colligere, locum aedificando monasterio acquirere, monasterium aedificare, ibidemque commorari possint, porro terminum rogandarum eleemosynarum, qui hactenus fuit Patrum ac Fratrum s. Francisci de obseruantia Marcodurensium in eadem parochia Arwilerensi et vicinis nouellae huic in loco Caluariae plantationi assignamus Christique fideles in domino requirimus et serio hortamur, vt omnes et singuli pro modulis suis, studio, fauore, operis liberalitate et eelemosynis iisdem succurrant. habituri pietatis suae retributionem diuinam maiestatem, quae et merces nostra magna nimis. In *fidem praemissorum* has literas manu nostra subscriptas

sigillo nostro communiri iussimus. Datum in ciuitate nostra Bonnensi 18 die mensis Decembris. Anno partae salutis 1629. — Ferdinandus. — Petrus Hulsman.

Accepta informatio de monte Caluariae post obtentam collationem serenissimi.

Cum serenissimus princeps Elector colon. almae nostrae prouinciae ecclesiam montis Caluariae prope Arweiler donarit, sequentem ocularem et auritam informationem accepimus F. Jacobus Polius et F. Joachimus Rintelen Definitores iuxta commissionem nobis impositam.

I. Mons iste Caluariae ab olim vocatus Cop est in circulo montium distans medio quadrante seu 600 passibus communibus a ciuitate. Collis in planitie habet quasi quinque iugera atque terram argillosam, quae partim a benefactoribus gratis offeruntur, partim 200 daleris (si non omnino gratis, quod speratur) haberi possunt.

II. Torrens rapidus in fluuium Aram templo vicinum se exonerans per montem Caluariae duci potest, vbi etiam fons viuus ex vicino monte Wurtzelberg dicto, nec non puteus in vno montis loco fodi suo tempore potest, prospectus montium fructiferorum amoenissimus vti etiam vinearum, ita vt tractus ille adiacens aureum milliare ob praeeminentiam omnis generis fertilitatis in optimis vinetis (vti et in ipso monte), agris fertilissimis, hortis, pratis, fontibus et fluuiis.

III. Ciuitas adiacens Arweiler vna ex quatuor capitalibus archidiocaesis superioribus ciuitatibus aedium cum tegulis speciosissima in prospectu trecentarum[1]) et ultra ciuium, in qua duo decim sessiones nobilium, homines tractabiles et Franciscano ordini addictos habet, vt et ipse pro tempore dominus pastor nomine F. Seruatius Otlerus, ordinis s. Benedicti in conuentu prumiensi professus cum primariis addictissimus, qui omnes promiserunt seruitia equorum et corporum pro exstructione conuentus etc.

IV. Locus hic habet sedecim vicinas arces nobilium distantes duabus ad summum horis, vti etiam non longe dissitos habet

1) Die Handſchrift hat trecentorum. Die Zahl muß aber wohl auf aedium bezogen und ciuium mit aedium zuſammen genommen werden: 300 Bürgerhäuſer.

comites in Marcka, Blanckenheim et Newenahr, vicinum monasterium virginum ordinis regularium in Mariae valle. Multi pagi in vicinia et in prospectu nunquam terminari soliti, quorum tres subsunt ciuitati.

V. Fluuius Ara optimis piscibus abundat et libertas piscandi omnibus conceditur.

VI. Locus hic gaudet optimo et saluberrimo aëre, pro sustentatione fratrum formalis conuentus in pane, vino, carnibus, butyro et caseis, laua lignisque accommodatissimus, vt etiam pro futura fabrica conuentus ligna, lapides, arena in proximo et quasi ad manus est, ad calcem et tegulas comparandas multi promissiones fecerunt. Haec de temporali constitutione loci breuiter.

VII. De deuotionali loci constitutione vt scribamus, intelligimus, olim sacellum paruum in monte fuisse, quod multis gratiis et indulgentiis (provt sigillatae literae 14 cardinalium anno 1502 datae docent) tempore Alexandri VI papae ditatum est. Ante perpaucos vero annos labore et expensis cuiusdam laici deuotarii adhuc viuentis et saecularis sacerdotis in meliorem et ampliorem formam ccclesia surrexit, ita vt speciosissima templi facies cum passionis dominicae figuris appareat, quod templum in longitudine ad 57, in latitudine ad 25 pedes intrinsecus se extendit, in cuius templi erectione diuersa miracula visa et notata sunt praeter sublata pestifera contagia et alia particularia plurima.

VIII. Templum habet duas campanas, duo doxalia, sacristiam contiguam ad austrum et supra sacristiam paruulus chorus extat. Sepulchrum habet dominicum excisum in petra, ad quod duo gradus lati et lucidi descendunt.

IX. Septem excisae in lapide stationes amarissimae passionis dominicae [1]) in porta ciuitatis inchoantur et in monte terminantur.

X. Hic locus modo vt et sanctitate famosus, sic etiam a fidelibus vndequaque frequentatur per totius anni circulum maxime feriis sextis, quando hebdomadarium sacrum ordinarie habetur. A quadragesima vsque ad finem aestatis peregrinationes et processiones ad montem magis crebrae, quae etiam subinde fiunt cum nouem et decem crucibus.

---

1 Handschrift: dominae.

XI. Missae votiuae quasi quotidianae, vnde fit, vt cera pro sacrificio per annum sufficiens et abundans offeratur.

XII. Hic mons crescit pietate et frequentatione in dies et vtinam in saecula magis illustretur, quod faxit deus optimus maximus. Amen.

Annus 1630.

Post obtentam a serenissimo principe collationem residentiae in hoc nostro monte Calvariae interuenerunt duo circiter menses, quando accepta commissione venerandus p. F. Felix Loch venicus accepit possessionem sub forma et modo, vt sequens docet instrumentum.

In nomine domini amen. Notum sit vniuersis et singulis praesens documentum inspecturis, lecturis ac legi audituris, quod anno incarnationis dominicae millesimo sexcentesimo trigesimo die Mercurii vigesima septima mensis Martii ante meridiem etc coram honorabili ac erudito domino Servatio Otlero pastore pro tempore parochialis ecclesiae Arweilerensis nec non me notario publico testibusque infrascriptis fide dignis in loco montis Calvariae apud oppidum Arweiler situati personaliter constitutus fuit venerabilis ac deuotus Frater Pater Foelix Loch ordinis s. Francisci de obseruantia habens ac manibus suis tenens quasdam literas per reuerendissimum ac serenissimum Principem dominum Ferdinandum dei gratia Electum et confirmatum archiepiscopum colon. etc. subscriptas eiusdemque serenissimae celsitudinis sigillo subimpresso munitas, quibus literis reu. ac venerabilibus patribus ac fratribus s. Francisci de obseruantia ecclesia nouiter aedificata in dicto Calvariae loco Christi fidelium eleemosynis clementissime attributa ac collata fuit, insuper legitime requirens supra dictum dominum pastorem et me notarium infrascriptum, quatenus ipsi seu potius dictis patribus ac fratribus de obseruantia realem et actualem antedictae ecclesiae possessionem per eum vel eos debita cum reuerentia acceptatae traderemus ac assignaremus realiter cum effectu. Ad quam requisitionem praedictus dominus pastor claues ad antedictam ecclesiam spectantes praefato P. Foelici tradidit cum hac adiuncta expressa declaratione, quod per hoc simul omnium locorum agrorum, vinearum in ipso monte Calvariae et alibi iacentium reliquarumque obuentionum, iurium appertinentiarum ad saepe dictam ecclesiam quomodolibet spe-

etantium realem possessionem vel quasi assignatam velit. Quam declarationem et possessionem saepefatus F. Foelix pro sese et reliquis Patribus et Fratribus de obseruantia vna cum claubis acceptauit. Cumque iisdem operimentum vel portam ecclesiae aperuit et introiuit ac deinde eundem praedictus dom. pastor et ego notarius ad cornu altaris duximus, quod tetigit et ibidem librum missalem, calicem et alia ornamenta ecclesiastica ad manus suas accepit campanasque conuocando populum ad diuina audiendum pulsari fecit et consequenter missam vel diuina celebrauit, omnia in signum realis et actualis possessionis sibi, vti praemittitur, traditae atque apprehensae. Super quibus omnibus et singulis vnum vel plura instrumenta a me notario infrascripto fieri atque sibi tradi petiit.

Acta sunt et fuerunt haec anno incarn. dominicae, mense, die et loco, quibus supra, praesentibus prouido ac circumspecto viro dom. Henrico de Rödingen comitatus nouae aquilae [1]) rediturio ac iudice in Wadenheim nec non honesto ac discreto Johanne Gohr ciue Arweilerensi, testibus fide dignis ad praemissa specialiter vocatis atque rogatis. Qui quidem Joannes Gohr vti inspector, promotor, continuus laborator, eleemosynarum collectator ac aedituarius saepedictae nouiter ecclesiae aedificatae in monte Caluariae ottinem suum laborem ac nauatam operam nec non impensas factas praedictis dominis Patribus ac Fratribus s. Francisci de obseruantia deuotionis ac pietatis zelo largiter donauit precibusque eorundem sese commendauit, quam donationem saepe dictus P. Foelix grato animo acceptauit in praesentia omnium supra nominatorum.

In quorum omnium fidem ego Otto Gielyes notarius etc. [2])

Paulo post hunc praemissum actum acceptationis loci ven. adm. P. Foelix Loch denominatus praeses mittitur cum aliquot Fratribus et domum adm. reu. dom. Jacobi Rick pro residentia primum inhabitant in ciuitate ibidemque paulatim dispositionem industrie pro necessariis ad initium structurae supra montem procurant. Tempore interlabente ante aedificium v. adm. P. Pacificus Heus (?) secundus praeses succedit. Tertius praeses accessit v. adm. P. Fr. Joachimus Rentelin.

1) Neuenahr.

2) Folgt die gewöhnliche notarielle Formel.

Fratres nostri conuentus hoc anno 28 Februarii susceperunt primitus directionem confraternitatis b. Mariae virginis et catechisticam lectionem in Arweyler, sicut subiectum probat rescriptum.

Tenore praesentium v. adm. Patri Foelici Loch praesidi Arwilerensi concedo, quod ex gratioso consensu r. A. domini parochi Arwilerensis aliorumque, quorum interesse putauerit, directionem confraternitatis b. Mariae virginis atque catechisticam lectionem seruandam pro mutuo subsidio et animarum lucro acceptare valeat. Signatum Brulae 28 Februarii 1630. Fr. Theodorus Reinfeldt, prouinciae vicarius subscripsit.

Quod A. R. D. Seruatius Ottlerus pro suo piissimo zaelo in bonum ac salutare illud opus plurimum fuerit inclinatùs remque efficaciter promouerit, ex eiusdem hic subiectis manu propriis (sic) comprobatur.

Ego F. Seruatius Ottlerus professus Prumiensis pro tempore pastor et rector sacrae aedis parochialis Arweilerensis col. diocesceos hisce protestor, quod, cum ex speciali et pietate et clementia sereniss. Principis reu. scilicet archiepiscopi col. tanquam ordinarii huius loci reu. Patres s. Francisci ordinis de obseruantia tum pro diuini honoris promotione tum parochianorum meorum spirituali aedificatione aliquam residentiam seu conuentum hic erigere meditentur atque (sicut solet) omne initium cuiuscunque rei nonnullam difficultatem patiatur ideoque omni fauore tam in divinis exercitiis quam necessariorum subuentione in hoc pio opere eos animare et adiuuare dignum et iustum sit, eapropter pro meo pastorali auctoritate requisitus altare aliquod in honore sacratissimae virg. matris domini separatim in dieta ecclesia aedificatum, cum adhuc legitima neque collatione neque investitura vicarium stabilitum habeat, eis ad tempus voluerim attribuere, quatenus ibidem secundum piam fundatorum intentionem diuinum officium statutis diebus peragant et exercitia consueta inter sodales sub titulo seu nomine Fraternitatis eiusdem almae matris dei certis temporibus conuenientes (sine tamen turbatione officiorum et exercitiorum mihi et vicariis meis incumbentium) continuare possint, vsquedum intentione sua, dei et deuotorum Christi fidelium ope ad perfectum deducta tandem proprius eidem altari et Fraternitati minister legitime attribuatur. Datum Arweyler a. 1630 22 Maii. — Fr. Seruatius Otlerus, pastor.

*Pro approbatione* praemissorum subsequentes scabini in Ar-

weyler subscripserunt: Joannes Schöneck. Joannes Gumich. Georgius Rutger. Petrus Deuelich. Anthon Alden. Casparus Putzfeldt.

Approbatio ordinarii sequitur huiusmodi tenoris: Vice et auctoritate ser. et reu. dom. Ferdinandi archiepiscopi et principis Electoris colon. dom. nostri clementissimi approbamus et ratam habemus concessionem patrum s. Francisci de obseruantia in antecedente pagina factam. In eius signum hoc manu nostra scripsimus et subscripsimus et sigillo subimpresso muniuimus. Signatum Coloniae 1630 3 Juni. — Joannes Gelenius, vic. generalis.

Anno 1630 8 Aprilis praenobilis ac strenuus dominus Joannes Bertramus a Gertzen[1]) condictus Sintzig, dominus in Sommersberg et Vettelhoffen, illustrissimi principis Neoburgici consiliarius intimus camerarius, satrapa Monasterii Eifliae, Eisskirchen et Thomberg institutus est syndicus apostolicus et pater spiritualis primus nostrorum fratrum.

Annus 1635.

In capitulo intermedio Coloniensi v. P. F. Franciscus Jodoci institutus est Guardianus huius conuentus.

Annus 1636.

Anno 1636 4 Octobris foelix faustumque initium sumpsit archiconfraternitas chordae s. P. nostri Francisci, quae qualibet dominica prima cuiuslibet mensis seruatur.

Annus 1637.

Feria 5 infra hebdomadam 2 post pascha celebrato capitulo P. F. Wernerus Beurich institutus Guardianus, eodem tempore maius sigillum nostro conuentui est assignatum.

Annus 1639.

Anno 1639 den 17 Martii ist ihn gott sehlig entschlaffen der wohledellgeborner vndt gestrenger herr Damian von der Leyen zue Adendorf, Herr zu Artzdorff, Creutzberg, Rheinheim vndt Munchweylerthals ahm glan, Erbvogt zu Kesseling, Römischer keyserlicher Mayestatt, auch churf. Trierscher Rhatt vndt

1) Below, Geschichte p. 109.

Landthoffmeyster vndt Mahnrichter zu Prum, zu dessen Leichnahms wie weniger nigt seiner in linea descendenti Nachfolger von dem hauss Adendorff gewisser Ruhestatt das monumentum ihn der Kirchen verordenet ist. Gott gnade deren vndt aller christglaubigen seelen.

Anno 1639 den 18 sept. obiit praenobilis virgo Anthonetta von der Leyen in Adendorf, quae vivens dedit argenteam lampadem, sepulta requiescit in eodem monumento apud dominum patrem suum. Deus vtrique det gloriosam olim resurrectionem.

Generosa domina mater perpetuam eleemosynam necessarii olei pro lampade fundauit, cuius documentum habetur in archivo.

Annus 1640 et 1643.

Vigesimo Maii P. F. Philippus Thieck successit guardianus h. conv.

Vigesimo quarto Maii 1643 in capitulo Aquisgranensi P. Fr. Christophorus Schauff successit.

In Decembri P. Augustinus Brewer institutus est commissarius.

Annus 1646.

Nonis Julii cum fama aduolaret, exercitum Gallo-Wimariensem sub generali comite de Turaine acatholico aciem direxisse versus ciuitatem Arwilerensem expilate (sic) iam oppido Königsfeldt, ecclesiae nostrae ornamenta et alia quaedam suppellectilia abscondita sunt in absconsoriis, vno scilicet prope ostium refectorii, altero in culina iuxta ostium a parte sinistra, qua intratur.

Octauo Idus Julii vnum regimen Wimariensium sub colonello Roswurm irrupit in comitatum Newenahr et ex oppidulis Eckendorff, Geltzdorff, Carweyler abegit pecora, in regressu vero inde nem ex praedonibus ab equitatu praesidiario Arwilerensi intercepti in ciuitatem adducti et ex parte pecora liberata sunt, nocte subsequenti tam equites quam pedites praesidiarii ciuitatis Arwileranae metu hostis aduentantis Bonnam versus euaserunt propter hoc incolas in maiore consternatione deserentes.

Septimo Idus Julii plures ciues ex ciuitate clancalum sed subduxerunt et hoc eodem die P. Dominicus Ratzius causa impetrandae saluae Guardiae ad Generalem ex conuentu est emissus.

Sexto Idus Julii in aurora milites Wimarienses oppidum *Heimersheim* inferius ad Aram irrumpentes incenderunt, (mox

civitati Artwilcranae appropinquantes eandem quasi a longo (sic) circumdederunt. Reuersusque ex praefatus Pater cum equite in saltum ponductum conuentus a generali assignato. Hora circiter nona Turaine per legatum tibicinem ciuitatis deditionem postulauit. Relato[1]) autem responso, incolas ad defensionem esse resolutos, mandauit generalis ipse formari castra et tormenta bellica (quorum habebant XIV) contra ciuitatem collocari.

Interim pusillanimiores meditantes fugam, cordatiores arma sumentes bombardas et pancula alia tormenta animose contra hostem iaxabant. Fugientium aliqui ab hoste intercepti, inter quos adm. reu. dom. pastor Seruatius Ottlerus, dom. Mathias Regen, magister equitum dictus Wolff in castra hostilia sunt abducti.

Sub vesperum huius decimae diei Julii incolae obsessi considerantes infirmitatem loci pugnantiumque paucitatem contra tantam hostis fortitudinem et multitudinem extenso in turri albo vexillo indicarunt pacis et gratiae sese conditiones ab hoste acceptare paratos. Hoc cognito generalis ad portas ciuitatis accedens ab consule claues recepit et gratiam flexis ab eodem genibus petitam promisit ciuibus adiiciens quidem rigidam interminationem, si diutius restitissent, ferro et igne omnia vastanda fuisse. Interim subito 50 de suis peditibus immisit, qui quartiria pro aliquot cohortibus a ciuibus signari petierunt et bona omnia atque aedes perlustrarunt. Mox aduenerunt aliquot cohortes cum vacuis curribus officialium militiae, eos quam primum optimis ciuium bonis onustos eduxerunt in castra.

Quinto Idus Julii alternatim noua et noua regimina ac cohortes militum in ciuitatem irruperunt, qua data via singuli ne spoliis auidissimi maxima cum furia circumcursitantes effringendo portas ostiaque domestica aedes omnes templumque ipsum sacra et profana suppellectili exspoliarunt vrgentes sese inuicem cum tam furiosis desideriis, vt in ipso templo quinque praedones a consociis praedonibus occisi inter praedandum occubuerint et plurimi vulnerati sint. Quis daecum furorem enumeret? Consecrato in loco virgines atque uxores violabantur, viri ac mulieres denudabantur, multi atrociter percussi torquebantur, septem eorum miserrime pluribus vulneribus affixi crudelissime interfecabantur. Inter hos fuit magni zaeli et commendabilis pieta-

1) In der *Handschrift: rellato.*

tis vir quidam ecclesiasticus nomine Christianus Deuelich parocus oppidi Heimersheim, qui spiritu christiano nomini suo competente afflatus veluti vnus phinees[1]) sacrilegam impietatem eorum corripiens (sic) ex laethalibus vulneribus crudeliter percussus manibus ac pedibus quasi mutilatus tanquam Christi martyr chrystiane occubuit, necdum quiescebat barbara tyrannis, sacrae reliquiae profanatae, calices, ciboria, ecclesiastica ornamenta abripiebantur, summi altaris sepulchrum effringebatur, baptisterium humanis sordibus (proch scelus inauditum) replebatur, mortuorum tumuli effodiebantur, organum non aliud quam fracturas resonabat. Imagines crucifixi sanctorumque statuae odio haeretico ab iconoclastis confringebantur, susque deque templum plumis (?) respersum uertebant et minutissima quaeque cum pretiosioribus auferebant.

Interim alii in ciuitate cum resonante clamore alto in aëre debachabantur depraedando et ciues incolasque percutiendo plurimos viros vulnerando et mulieres turpissime violando, omnibus tandem ablatis, quoscunque ciues ad certam pecuniae summam taxabant aut, nisi darent, iugulationem intentabant, non paucos captiuos detinebant, qui omni modo vitam redimere cogebantur.

Accidit interea, quod 300 circiter personae contutatae a quadam salua Guardia ad tempus in domum tunc aedilis vocati Joannis Gohr veluti ad asylum confugerint, postquam iam bonis omnibus spoliatae, vestibus nudatae partimque grauius in corpore vulneratae essent. Ruminantes inter se inuicem tantam suam afflictionem inito salutari consilio, posteaquam paulisper hostilis iste furor cessaret, concluserunt ad dei adiutorium et gratiarum actionem pro vitae solius conseruatione recurrere. Itaque praeeunte admodum reu. dom. Stephano Schlick grauiter etiam in capite vulnerato et adhuc sanguine ex sacro vertice madente ex parte tam vestibus quam calceis exuto processionem satis lugubrem cum venerabili sacramento instituerunt versus hunc nostrum montem Caluariae quarto Idus Julii matutino tempore.

Miles hostilis omnem annonam ex ciuitate in castra euexit et euacuatam[2]) taliter vastatamque vrbem dereliquit. Nota gratiam fallaciter a Generali promissam ante portas ciuitatis.

---

1) Wie ein zweiter Phinees (alt. Teſt.).

2) *Handſchrift:* euaeritam.

Quo populus tam extreme afflictus iuisset? tanta in cruce ad crucifixum saluatorem montis Caluariae nudi ad nudum omnes et singuli refugiebant: mons noster illis tanquam vnicus solatii asylus erat duobus diebus et noctibus partim in templo partim circum circa conuentum squalore et inedia fatiscentibus sub dioque iacentibus tam vinum quam cereuisia atque esculenta pro refocillatione iuxta paupertatis nostrae possibilitatem subministrabantur.

Intra conuentum diuersis locis ad 10 vulnerati decumbebant. Unus ex iisdem praemunitus sacris sacramentis obiit in et extra prope ad muros conuentus etiam quaedam faemina defuncta est.

Paucis:[1]) erat facies ciuitatis et incolarum miseranda: insuper grauissimus foetor ac prope intolerabilis, causatus ex cadaueribus animalium magno numero sine necessitate ex mera nequitia occisorum in puteos atque caueas aliaque loca disiectorum, sed et sine dubio noster etiam conuentus extra periculum non mansisset expoliationis, nisi vrbem ita praepropere inuasissent annonamque reperissent.

Serenissimus Princeps colon. Ferdinandus etc. postquam informatus intellexisset tam inauditam barbariem praesertim in ecclesiae sacris locis exercitam cum tam sacrilega profanatione superius commemorata, commisit reuer. suo in spiritualibus vicario dom. Paulo Strauio suffraganeo colon., vt per se vel subdelegatum ecclesiae Arwilerensis reconciliationem quantocyus maturaret, id quod solemniter factum est quinto calendas Augusti per admodum reu. dom. Christianum Vetter pastorem in Sintzig et ruralem decanum assistentibus ipsi pro diuinis reu. dominis Huberto sacellano tunc captiui pastoris, dom. Stephano Schlick et domino Annone Weinreich ecclesiae vicariis.

Extra ciuitatem tam in campis quam pagis vicinis non minor fuit crudelitas, incolae abducti in captiuitatem, vulnerati omnibusque bonis spoliati, in agris fruges depopulatae, domus vastatae, exustae, propinquum monasterium nobilium virginum Mariae vallis cum toto pago igne funditus absumptum.

Quarto calendas Augusti, qui fuit dies dominicus, parochiani Arwilerenses praecedentibus reu. dominis dom. Huberto sacellano et dom. Annone praefato venerunt mane solenni cum processione

1) Kurz.

hinc ad montem audito sacro et concione, sacram monstrantiam venerabilis sacramenti (quae per reu. dom. Stephanum Schlick mirabiliter in domo Joannis Gohr conseruata fuit) cum spirituali quodam gaudio et iubilo veluti olim populus Israel arcam domini ex domo Obededom ad parochialem ecclesiam suam, postquam in nostra ecclesia a quarto Idus Julii cum lugubri ista processione allata substitisset, reportarunt. Anno eodem in festis Portiunculae et Francisci fuit numerosus populus in nostro monte, ita vt singulis vicibus vltra 200 poenitentes et communicantes habuerimus.

Eodem anno in festis natalitiis v. P. F. Godefridus Kramer tum vicarius conuentus instruxit et ad fidem orthodoxam conuertit senem quendam septuagenarium in domo Adendorff, qui facti tunc prima confessione sacram etiam sumpsit synaxin.

Anno 1646 vigesimo Octobri in capitulo intermedio Augustinus Brewer Guardianus institutus est. Eodem anno 3 Junii in capitulo Colon. idem continuatus.

Annus 1648.

Deuotio indulgentiarum Portiunculae notabiliter accreuit supra praecedentes annos, ita vt volentibus confiteri diuersorum parochorum prope et procul cum suis parochianis huc confluentium auxilio adiuti vix satisfacere potuerimus, licet ab hora sexta matutina vsque ad medium 12 confessiones tam in quam extra ecclesiam exceptae et sacrosanctae communionis continua in populum dispensatio perdurauerit.

Annus 1649.

Decimo octauo Martii persoluit quaedam mulier ex Beyn pago termini Adonawensis hinc inter et Adenaw situato prope Aram fluuium votum suum miraculoso crucifixo in nostra ecclesia factum: mulier praefata retulit V. A. Patri Augustino Brewer tunc loci Guardiano, sese fuisse tam caecutientem, vt vix quicquid praeter parumper luminis a sole emicantis visu potuerit cognoscere, hac calamitate sese afflictam votum fecisse peregrinationis ad montem Caluariae cum legendo sacro et offerendo cereo: hoc edito voto se statim visum integrum recepisse, vti *possent testari* omnes incolae istius loci.

Dominica pentecostes,[1]) quae fuit 23 Maii, praeside reu. Patre F. Petro Marschant commissario nationali generali et assistente r. A. P. Anthonio Stadeler prouinciae Argentinae Patre et custode commissario visitatore seruatum est capitulum prouinciale Coloniae et tunc huius conuentus institutus est Guardianus F. Mathias Sarburg, vicarius P. F. Georgius Laurentii.

Quarto Julii pro arcendis mulierculis pro suo libitu in nostro horto deambulantibus tollendisque variis aliis inconuenientiis apposuimus manus et hortum tanto quanto muro circumcingentes finaliter conclusimus. Eodem tempore duas fenestras a tergo in refectorio obstruximus. 24 sept. in festo exaltationis ex antiqua sua consuetudine aduenerunt oppidani processionaliter et cantarunt parochiales choristae hic sacrum. 19 Sept. praeparata est noua sacristia et calefactorium, cum esset angustius, paulo magis est extensum.

In festo omnium sanctorum circiter 80 poenitentes et communicantes. Inter eos fuit vnus lanae negotiator Aquisgranensis nomine Jacobus Poswick, vir honestus, qui obtulit vnum cereum 3 ponde (sic). Interrogatus, quanam ex deuotione, respondit, sese Aquisgrani subito quodam morbo fuisse correptum, in quo, postquam amisisset loquelam fuissetque omnibus viribus destitutus, medici aliud non indicabant quam desperatum. Hoc audito ex intenso vtique amore suum sponsum conseruandi tunc sponsa sua filia viduae Arwileranae Aemiliae Gilges spe fixa ad dei adiutorium votum fecit ad crucifixum montis nostri Caluariae cum sacro legendo et tali cereo offerendo. Post votum illud factum aiebat praefatus Jacobus, sese statim sensisse dei auxilium, respirasse, loquelam recepisse, sua et aliorum spe citius pristinae sanitati restitutum fuisse. Promisit de hoc authenticum testimonium Aquisgrano mittendum.

Annus iubilaeus 1650.

Primo Martii, posteaquam hucvsque cum magno incommodo et molestia ex defectu braxatorii in oppido braxassemus, disposuimus aliqualem commoditatem braxandi in nostra cauea et 21 Martii prima vice in monte braxauimus.

26 Augusti ex instantia generosae dominae Annae Cathe-

1) Die Handschrift: pentechostes.

rinae Waltpottin dom. viduae von der Leyen matris nostrae ritualis adductus est magister Gerardus pictor Aquisgrane qui tabernaculum summi altaris illuminauit et a praefata do pro salario accepit 44 imperiales.

Annus 1651.

Vigesima sexta Februarii praesentatae sunt patentes sy catus spiritualis generoso dom. Hugoni Ernesto von der L domino in Adendorff etc. et generosae dominae Annae Catha Waltpottin von Bassenheim dominae in Adendorff etc. In multorum conuentui continuo praestitorum beneficiorum prae dominus et domina dignissimi iudicati sunt meritis et suffr nostris spiritualibus tituloque spiritualis syndicatus, quem b volentissime, gratanter humiliterque tanquam optimus noster ritualis pater atque ipsa domina sicut piissima munificentissim mater insimul susceperunt.

Octauo Aprilis illustrissimus dom. Princeps coadiutor T rensis Carolus Casparus ex Adendorff cum magno comi equestri huc ad montem causa deuotionis accessit cum sing praesentis populi exemplo praemissa apud nos sacramentali fessione pientissime flectens (genua) supra tumulum amantissimi nobilis sui domini in deo de functi patris communicauit. Abs deuotione (quam continuauit in tota cerei paschalis benedictio missae sacrificio) ex ea consideratione, quod praefatus praeno dom. eiusdem illustrissimi Principis defunctus pater in hac n ecclesia primo et vnico caenotaphio inhumatus ius acquisieri tota perillustri sua in linea descendente familia perpetuae pulturae, quam generosa illustrissimi domina naturalis, nostra amantissima mater spiritualis etiam elegit saepius commemo ex piissimo maritali affectu, quem in vita vnice dilexi, ab eo in morte nolo separari. Hac itaque aliisque de causis ha consideratione eidem illustrissimo domino Principi oblatus es tulus fundatoris, quem non est dedignatus, vt ex humili eius desuper gratiarum actione innotescebat, quemadmodum etiam praecedenti sua promissione patebat dicendo nimirum in diu colloquiis: mahn muss noch ein wenig gedulden, wahn es et besser wirdt, wollen wir die Kirch grosser machen etc.

Hoc anno (tandem aliquando) per gratiam dei perfec *aedificium nostri* conuentus, ita vt in Augusto exaedificata substit

Die 13 Septembris praeside reu. P. Ludouico Kellen totius ordinis Seraphici Exdefinitore et nationis Germano-Belgicae Excommissario generali almae nostrae prouinciae prouinciale seruatum est capitulum intermedium Coloniae et institutus est huius conuentus Guardianus v. adm. P. F. Sebastianus Weitzell, vicarius V. P. Martinus Rutgenius, concionator P. F. Paulinus Wahl, instructor P. Bonauentura Reimer.

Annus 1684.

Die 30 Aprilis, quae erat quarta post pascha, servatum est capitulum provinciale Coloniae praeside reu. P. F. Judoco

1) Zu demſelben Zwecke kamen in dieſem Jahre Proceſſionen aus Bodorf und Breiſach.

2) *Handſchrift:* antitodum.

Scharllet, lectore ss. theol. jubilato, prouinciae Germaniae inferioris Exdefinitore, et Commissario generali, assistentibus r. Patre Fr. Carolo Coudensouen[1]) prouinciae Germaniae inferioris Exdefinitore et Guardiano lichtenbergensi commissario et visitatore et r. P. F. fratre Christophoro Sittinghausen provinciae Argentinensi Definitore[2]) actuali Convisitatore, primo scrutinio electus est in ministrum prouincialem reu. adm. P. F. Henricus Salm, continuatus in hoc conuentu v. adm. Pater F. Sebastianus Weizel Guardianus, v. P. Martinus Rutgenius vicarius, concionator institutus P. F. Apollinaris Bolderdirk, Pater Frater Modestus Maringis instructor.

Dominica laetare, in quam incidebat confraternitas b. Patris nostri Francisci, exiguus fuit concursus ob metum coloniensium[3]) militum hic transeuntium in Vngariam.

Annus 1685.

In festo s. Patris nostri Francisci aduenit totus ferme praenobilis conventus monasterii vallis Mariae.

Annus 1686.

In mense Martio peracta generali peccatorum confessione perceptoque Eucharistiae sacramento eiurata Haeresiarchae Martini Lutheri haeresi non sine magno cordis sui gaudio ac solatio orthodoxam catholicam fidem in domo capitulari professus fuit nobilis ac spectabilis dom. Joannes Schmitz, origine Saxo, officio vicesatrapa arcis ac ditionis Saffenburgensis.

Post dominicam 5 quadragesimae feria secunda notabilia mensis Martii usque ad dom. 3 quadragesimae inclusiue chronistae prouinciae Confluentiam missa sunt.

Annus 1687.

In mense Februario fluuius Ara aquis ex niuibus resolutis ita inundavit, ut rapidissimo ac voracissimo suo cursu plurimos pontes et in specie duos illos prope Arweilerum abduxerit.

Initio mensis Martii emanarunt a P. Petro Morini Sormanni

---

1) Auch vielleicht: Condensonen.

2) Die Handschrift hat: Definitori.

3) Das Wort coloniensium steht am Rande.

generali etc. patentes, quibus universo ordini contestatur dolorem suum de obitu defunctae in domino Augustissimae Romanorum Imperatricis Eleonorae viduae, seraphicae religionis nostrae (cuius et habitum utpote tertiaria devote gestavit) optime meritae patronae ac protectricis, proinde pro praedictae Augustissimae Imperatricis animae refrigerio in omnibus totius religionis conventibus in virtute s. obedientiae mandavit 3 sacra solemnia, requiem cantari, 3 officia mortuorum legi, a fratribus et laicis bis sacrum domini corpus sumi et 100 pater noster orari.

Feria 6 in parasceve post prandium ordinaria processio repraesentans figuras et principaliora mysteria dominicae passionis, numerosissimus populi confluxus, at exigua forte deuotio, quia vix potuit confluens populus ad optatam et exspectatam devotionem dirigi defectu debiti regiminis, prope montem in prato exhortatio.

Die 17 Aprilis omnia notabilia Confluentiam ad chronistam prouinciae sunt transmissa, fueruntque a capitulo ultimo intermedio 16 Septembris 1685 celebrato tum in tum extra conuentum poenitentium confessiones (quas inter 20 circiter fuere generales) exceptae 39487, communicantes in conventu 15200, baptizati infantes 19, sacro ordinis habitu vestiti 5, aegrotis 20 data extrema unctio, infirmis 16 datum sacrum viaticum, matrimonio copulati 10, conciones habitae 518, confraternitas sacrae chordae in et extra conventum habita trigesies et secundo, ad eandem assumpti 260, confraternitas immaculatae conceptionis in conventu servata vigesies et quinto. Catecheses servatae 80, processiones advenere 48, ad orthodoxam catholicam fidem conversus unus.[1]) Inter diversas sanitatum gratias fidelibus devotis impartitas specialiter notata una.

NB. Contigit hic singulare quid (sic) secundum attestationem domini Joannis Stoll notarii publici. A. 1687, 14 die Augusti comparuit coram me nominato notario ac praesentibus testibus Maria Pollich Gerardi Strassfeltt coniux, candide edixit et testificata fuit, sese terribiles et intolleratos (sic) dolores diu noctuque passam fuisse, ita vt nulla adhibita remedia prodessent nec quicquam efficerent, ita vt etiam ferme desolata per integrum annum casu rediens ex ecclesia nostra tendens Arweillerium in occursum

1) Es ist dies Johannes Schmitz, siehe oben; an dieser Stelle wird zugesetzt, daß *er im Alter von 33 Jahren stand.*

habuit aliquem,[1]) qui persuasit huic mulieri (posteaquam intellexerat miserrimum statum illius ac etiam cognouerat ex misera facie illius), quatenus in honorem s. Antonii a Padua quam deuotissime servaret nouenam. Illa statim vouit ac promisit et etiam consequenter exsoluit[2]) et illico sanata, ita quasi aliquis abstersisset illos dolores ex brachio illius nihilque amplius doloris ac molestiae sensit. In cuius rei fidem hoc publicum documentum emitto et attestor ad maiorem dei gloriam ac s. Antonii Paduani. Datum et scriptum Arweillerii in mea domo vt supra, testes praesentes attestati fuerunt Henricus Beuruenich et Petrus Betzer (?) ciues eiusdem ciuitatis et erat infra scriptum: (L. S.) Joannes Stoll imperiali auctoritate not. publicus per modum simplicis protocolli in praemissorum fidem requisitus extensione salua, quatenus opus, scripsit et subscripsit nec non sigillo roborauit.

Annus 1688.

In festo Portiunculae fuit hic talis concursus populi, qualis vnquam fuit propter liberationem obsessae, vt patebit. Fuerunt hic 40 et vltra pastores ac alii religiosi desiderantes finem huius actionis, communicantes fuerunt mille ducenti. Quod deus permittat, corpora humana a daemonibus vexari, euangelica nedum narrat historia multis in locis, sed et acta apostolorum. Si autem queratur, cur deus permittat daemonibus corpora vexari eorum, in quibus[3]) creatoris imago et similitudo reluceat, quamquam[4]) sacramentis sint munita, causa resultat multiplex, quarum quatuordecim videre poterit ille, qui illas scire aut legere desiderat, ex thesauro exorcismorum P. fol. 6. 27.

Quod autem vexari possint, ex facto demonstratur apud S. Lucam Cap. 4. 8, Marc. 1. 5 et 9, Matth. 12 et 17. Signa vero a daemone vexati aut daemoniaci in eodem citato thesauro reperientur fol. 6. 33, ex quibus nostram daemoniacam, deo sint laudes, iam liberatam, fuisse vere daemoniacam cognouimus. Quod

1) Jemand begegnete.
2) Handſchrift: exoluit.
3) Die Conſt. Handſchrift hat: quorum. Möglicher Weiſe iſt hinter quorum ein Wort ausgefallen.
4) quamquam fehlt in der Handſchrift. Der Sinn erfordert aber irgend einen Zuſatz.

per ordinem sub exorcismo gestorum narrabimus in nunc sequenti facti relatione.

Nomen daemoniacae nostrae fuit Catharina von Trier, patria Arweillerium. Pater Martinus von Trier, mater defuncta, exercitata in catechismo et litteris sexui muliebri conuenienter fuit vitae probatae, ad deuotionem s. missae sacrificium ineruentum assidua, patronus eidem s. Antonius a Padua, vnde nouenam de eodem sancto tempore continuauit. Mane et vesperi occultis in cruce praetiunculis se suosque domino Deo recommendauit, quam deuotionem quoque in filios per riuos quasi materni lactis deriuauit. Vnde in matrimonio cum viro quodam tempore pacifice thorum exigerunt (sic). Post, bonis quidem illorum statui proportionatis, oeconomiae iura illis non exacte obseruantibus, delapsis in miseriorem statum delabentibus, rixae et iurgia inter patrem et filiam oriebantur, quibus mutuae succedebant execrationes, maledictiones et imprecationes. Quae viuendi ratio ad nouennium fuit continuata, sub quo rixis et iurgiis inter patrem et filiam accrescentibus diabolus, Sathan dictus, sumpsit occasionem corpus huius filiae possidendi et vexandi per imprecationem parentis et mariti. Ipsa quasi deludens imprecationem dixit: Fiat ergo.

Intrauit campum ad colligendas pecoribus suis herbas insentiens, quasi per sibilum[1]) quendam, pro vt sibi imaginabatur, muscae quaedam maiores inuolassent[2]) per aures et ita per 5 annos haec clandestina miseria inundauit, ab anno namque 84 vsque ad annum 88. In initio huius anni semper conquesta suo confessario, quod esset obsessa. Ille vero multis modis dissuadens, quasi merae imaginationes vel impressiones essent phantasticae, nihilominus in dictis suis obfirmata semper dicebat: vos videbitis in fine, quid rei sit.

Vnde anno integro variis tentationibus ac pusillanimitatibus[3]) ac desperationis stimulis acta exacta prima[4]) Junii actualem nouenam in honorem s. Antonii a Padua absente suo confessario v. P. vicarium requisiuit, ipsi confessa cum lachrimis, rogans et

---

1) Die Handschrift hat: sibulum.
2) Die Handschrift hat: inuolascent.
3) Beängstigungen. Die Handschrift hat: pusallmitatibus.
4) Die Handschrift hat: exacto prima.

etens, ne ipsam desolatam relinqueret. Respondit: nequaquam oc fiet. Absoluta paenitentia ac sumpta sacra synaxi, daemon perte illa aggressa[1]) terribili voce, horrenda facie ac ingenti clamore, vt omnes, quotquot erant praesentes in ecclesia, ex nimio errore ex latere tam viri quam mulieres ad aliud latus recesseint, ibidem alte orantes et inuocantes auxilium diuiuum. Ven. Pater icarius vocatus a quodam Fratre indutus alba stola et manipulo ccurrit ad ipsam, quae tunc scamno inclinata (se)[2]) eleuauit, quem acris paramentis indutum videns exterrefacta cum clamore valido xclamans. Ad quem horribilem clamorem ven. adm. P. Guardianus tiam accurrens praecepit, vt liber exorcismorum afferretur[3]) ac ad omum locutoriam afferretur et duceretur ibidemque exorcisaretur.

Ibidem in sede confessionali sedit quasi dormiens, vsque dum en. P. vicarius pro ea sacrum, pro ea de s. Antonio legerat. Absoluto sacro venit ad illam exorcisandam, sub aspersione aquae benedictae adeo horrende et clamacose[4]) (sic) coepit agere, vt mnes praesentes aufugerent putantes, illam velle euertere totam edem confessionalem et in mille partes confringere. Completo xorcismo facta sibi praesens[5]) sudorem extergens ac vestes omponens maximas et immortales agebat gratias osculando pees et terram, instanter petens, ne desereretur. Itaque hoc actu ospes ille auernalis, qui quinquennio ab exorcismo latuerat, sese prodidit. Hic fuit primus actus.

Secunda Junii reuertens altos ructus non ex solo quasi stomacho seu ventriculo sed ex omnibus quasi corporis organis prouenientes mittebat, vt audientes putarent, aliquod monstrum in ea esse, quod illi insidens impediebat respirationem et quasi suffocare nitebatur,[6]) interdum etiam vox humana in grunitum et latratum instar asini, porci et canis alterabatur,[7]) oculi semper, dum exorcisabatur, semiclausi[8]) et immobiles moribundam[9])

---

1) Die Handſchrift: agressa; das Partic. iſt hier paſſiviſch zu nehmen.
2) se fehlt in der Handſchrift.
3) Handſchrift: afferetur.
4) Jämmerlich.
5) Nachdem ſie zu ſich gekommen.
6) Die Handſchrift hat: nitebat.
7) Schlug um, ging über.
8) Die Handſchrift: semiclausae.
9) Die Handſchrift: moribundum.

notabant, facies rubebat, ore duntaxat a naso ad mentum et vtrasque genas vsque pallebat. Hisque circumstantiis visis, notatis et examinatis ad lineam libri exorcismorum ac regularum per rev. P. Petrum Marchant exorcistis[1]) praescriptarum energumena fuit tentata per aquam non benedictam, hostiam non consecratam, sacras reliquias illa non vidente a tergo applicatas, dum vnum prae alio nouerat discernere et ad quodlibet se alio et alio modo habere, illaque in dies magis magisque vexari, tunc tandem ad exorcismos legendos et ad coniurationes in daemonem ventum et decursis festis Pentecostalibus deo spiritui sancto sacris, sub quibus tantam in illa exercuit daemon fortitudinem, vt a 4 aut 5 robustissimis viris vel ante[2]) ad montem aegre admodum adduci vel sub illis illa[3]) contineri non potuerit, transiens septem stationes ad imam stetit immobilis, transire illas[4]) non valens et maxima vi raptata cum clamore et eiulatu transire debuit. Post festum corporis Christi spiritus malus adeo terribiliter eam vexauit, vt post s. communionem spatio vnius Ave Mariae adeo inaudita vociferatione ita[5]) infremuit, vt omnes exhorrescerent, qui erant praesentes in ecclesia, ita vt quatuor aut 5 robustissimi viri illam compescere et coërcere non potuerint. Posteaquam rumor istius daemoniacae non solum in ciuitate, sed etiam longe lateque[6]) sese diffudisset, illis diebus, quibus exorcizabatur, scilicet feria 3 et 6 factus est maximus concursus populi, vnde cum maiori feruore perrectum[7]) est adhibitis praeter exorcismos aliis mediis spiritualibus. Post prandium et ante non semel sed saepius notata est adeo vociferans et clamans, vt transeuntes et in horto nostro existentes, sicut etiam in viciniis iacentibus circa conuentum perfectissime audire potuerint.[8]) Et quod magis mirandum, illa sciuit existens in ciuitate Arweillerriana, quando P. Concionator exiuerit ex conuentu ad ipsam visitandam et quod iam hoc instanti transiret pontem fluuii Arae

1) Dat. Plur.
2) Heißt wohl: auch nur vorn an den Berg.
3) Die Handſchrift: sub illis illam contineri non potuerint.
4) Die Handſchrift hat: illam.
5) Ita iſt undeutlich; über dem Wort liegt ein Dintenfleck.
6) Die Handſchrift hat: lataeque.
7) Die Handſchrift hat: perectum.
8) Die Handſchrift hat: coram iacentibus conventum audiri potuerit.

quod ipse esset cum P. Guardiano in certa vrbis domo, vnde praesentibus duo dictam domum adierunt et secundum verba ius afflictae personae inuenerunt omnia. Inter alia matutino npore aiebat: iam iterum vexor, iam iterum incipit mea miseria. iare hoc? inquirebant assistentes. Respondit: quia P. Conciotor iam accedit ad altare pro me oraturus. Mirum; ex praeatibus vnus, volens scire huius verbi veritatem, excurrit ex dibus istis ad nostram ecclesiam et ita inuenit P. Concionatoa peruenisse ad medium sacri et hoc non solum, sed quam diu ebrabat, tam diu illa torquebatur.

Inter exorcisandum feria 3 latrabat instar canis, fistulabat tar venatoris cornu volentis suos canes aduocare. Quod[1]) ltoties contigit tam in domo, vbi detinebatur, quam etiam in tra et parochiali ecclesia. Unde rev. dom. Pastor prohibuit a, ne vnquam ad parochialem ecclesiam adduceretur, inquiens m delirare, fatuam et stultam esse, cuius quidem contrarium[2]) uit euentus.

Inter exorcisandum quandoque frendens profitebatur, s. Anium virgam esse et daemonum flagellum, homines, si scirent noscerent, quantae virtutis suffragia[3]) essent nouenae in horem tanti sancti assumptae, multo feruentius easdem frentarent. Aliis hominibus etiam occulta reuelauit et maxime quarundam puellarum praesentiam (sic) et pertinacem instanm, quae postmodum per aliquot dies confusae curiositatem am abunde[4]) satis deplorauerunt.

Ad haec ad instantiam nostrae daemoniacae indulta et data t ei sacra communio. Qua sumpta post vnum Ave Maria tam rribiliter ululabat et tam alte saltabat, quasi scamnum commicantium iunctis pedibus voluisset transilire, quinque viri am statim apprehenderunt, vnus pedes, alter corpus, duo brachia rsonae, sicque illam portabant vociferantem ad portam siue d domum locutoriam.

Absoluto diuino officio, quod semper durantibus coniuratioibus vna hora maturius inchoatur, exorcismus subsecutus est,

1) Handſchrift: Quot.
2) Handſchrift: contrarius.
3) Die Handſchrift: suffragiae.
4) Die Handſchrift: abundae.

sub quo expositum aliquando venerabile. Inter coniurationes adhibuimus sulphurium fumum benedictum et rutam[1]) et diuersas reliquias sacras, sub quibus videbantur deficere vires, iterum vinum benedictum permixtum aqua benedicta et amuletho benedicto ad bibendum datum. Quare tandem violenter confessa veram et realem praesentiam Christi domini in eucharistia pronuntiando illa verba latine: Hoc est verum corpus dom. nostri Jesu Christi filii Mariae. Etiam saepissime fuit mutata, ita vt ad interrogata nullo modo respondere voluerit. Adhibito autem igne sulphureo benedicto tunc iterum ad interrogata respondebat.

Postea dum diu adiurata et sacris stolis quotidie percussa (est)[2]), ipsa scommatibus et blasphemiis instabat, vt desisteremus. Saepe dicebat: quid me vexatis adiurationibus et aliis rebus? Ego tamen vobis omnia dixi, quae a me petiuistis, nolite me vltra percutere, alias videbitis meam potentiam et fortitudinem. Vos vultis scire meum nomen, dixi vobis, quod meum nomen est Sathan, quod nomen reiteratis in dies coniurationibus 4 aut quinquies repetebat. Inde autem fictionis et fallaciae sumebatur suspicio, eo quod putabatur illud nomen Sathan ad omnes daemones esse genericum, hinc examinato isto nomine quaesitum (est) ab energumena, quid esset Sathan. Respondit: est Princeps irae, ille est, quia habet verbum, ille iam loquitur, ipse hic regit omnes alios sex, qui mecum sunt in hac persona, alii sex sunt quasi canes venatici, quibus tendo ad venationem.

Haec confessio contigit 16 Julii, a quo tempore singulis diebus ardentius et feruentius fuit exorcizata, sub exorcismis saepe incidit in deliquium animi, ita vt nullum daret signum vitae. Postea ad se reuersa accipiebat iterum habere intellectum,[3]) componebat sua vestimenta, circumstantes aspiciens amare flere incipiebat et lamentabatur suam miseriam omnesque astantes adhortabatur, vt abstineant ab ira, vindicta, imprecationibus et a se sumerent exemplum.

Quando iam rumor de hac daemoniaca venit per vniuersam terram, hinc plurimi peregrini et aduenae concurrerunt rogantes nos, vt liceret illis adesse et spectare actionem cum illa muliere,

---

1) Ein bitteres Kraut

2) est fehlt in der Handschrift.

3) *Bekam sie* wieder das Bewußtsein; kam sie wieder zum Bewußtsein.

ia saepe expulimus omnes ex ecclesia, quod postea ob nimium nfluxum hominum non poterat continuari. In sequentibus exormis talem fortitudinem ostendebat, vt septem homines non tuerint illam tenere et supprimere, vnde cingulo sacerdotali ius pedes constringi[1]) fecimus. Quando iam ligabatur, vociferi incepit: illi sunt veri ferrei compedes,[2]) quibus constringor allidor. Sub exorcismo, licet ligata pedibus et flexis genibus capite altaris sederet, in momento in altum saltabat, vt supra des staret et a 6 vel 7 regi non potuerit. Hinc alii praesenaccurrerunt, qui eum magna molestia, labore et in sudore tus alios iuuarent, vt personam iterum componerent ad flecdum. Reuera maxima erat miseria aspicere hanc tragoediam. ando nimirum vexabatur exorcismis et adiurationibus, tunc mpebat in graues maledictiones. Inter alias etiam haec dixit: ledictus dies, quo intraui seu veni in domum huius Pridae berthae, maledicta tu, Schandpridt, tu es in causa, quod iam vexor, date mihi aliud vas, in quod[3]) possim ingredi, date hi vnicum germen graminis, date mihi frustulum chartae vel icum pilum capitis, sed nihil ipsi concessum fuit, sed missus illum locum, quem deus ipsi determinauit. Et quod exorcista ster latine ab ipso petebat, hoc germanice respondebat, sicut epe ab ipso petebat nomen in principio, quando quaesiuit de us nomine, interrogauit exorcista ipsum, vtrum esset Lucifer. spondit: non. Lucifer, aiebat, est princeps superbiae. Esne mmon? — Respondit: non, Mammon est Princeps et dux auatiae. Esne Asmodaeus? — Respondit: non, ipse est dux luxuae. Esne Sathan? — Respondit: ita, ego sum Sathan, qui minium hic habeo et responsum do, ego sum dominus caeterum.

Tandem adiurationibus eo vsque coacta edixit diem liberaonis, scilicet festum Portiunculae. Et dixit: s. Anto(nius) me rodidit, et Franciscus habebit honorem; in ipsius festo Portiunculae cogor exire cum omnibus aliis praesentibus et licet[4]) mille diaboli essent hic, debebunt in isto festo exire et hoc circa horam duodecimam diei.

1) Die Handschrift hat: constrigi.
2) Die Handschrift hat: compodes.
3) Die Handschrift hat: in quo.
4) Die Handschrift licent.

Et pridie istius diei, quando exorcista fuit in sepulchro Christi, tum duo diaboli excesserunt, quod ipsemet Sathan in festo Portiunculae (dixit) coram summo altari in praesentia aliquot centenarum hominum tam ecclesiasticorum quam aliorum nobilium et saecularium vtriusque sexus, quod nobis magnam spem causauit de foelici liberationis plenariae[1]) successu.

Et in festo Portiunculae quasi tota patria cucurrit ad videndum finem liberationis. Ecclesia erat repleta hominibus, dormitorium, sepulchrum Christi et supra fornicem ecclesiae stabant homines, imo in faenestris (sic) iacebant plurimi, vt possent energumenam videre.

Absoluto diuino officio praeuia admonitione facta, vt omnes coram deo sese prosternerent et deuote Pater noster et Aue orarent pro liberatione impetranda, omnes homines in ecclesia tam distincte, tam alte et deuote inceperunt orare, vt maxima pars hominum commota fuerit in lachrimas, vt plurimi primarii domini tam ecclesiastici quam saeculares et regulares sese non potuerint cohibere a lachrimis. Hac die Portiunculae durauit exorcismus per tres horas et vltra, ita vt ferme desperatnm fuisset de ipsius liberatione; tandem iterum atque iterum petitae fuerunt preces omnium praesentium et adhibitus fuit ignis sulphureus et sumpto venerabili sacramento exorcista adiurauit daemonem his verbis:

Adiuro te in nomine ss. trinitatis etc., quare tu, infernalis bestia et mendax Sathan, non vis discedere, sicut heri dixisti et mihi promisisti, quod velis circa[2]) horam 12 discedere? Tu es pater mendacii.

Respondit iam statim: tres discesserunt et exierunt et ego solus adhuc sum hic, iam[3]) iam in instanti abibo et exibo et debeo pro valedictione[4]) illam adhuc semel affligere,[5]) ita vt cadat in deliquium animi, tunc discedam et amplius tam facile ad ipsam non introibo.

Quod dixit, fecit. Persona illa vexata et fauces eius *ob*structae fuerunt, vt non potuerit repirare et ob obstructionem

1) Die Handschrift: plenarie.
2) Handschrift: circam.
3) Vor iam steht in der Handschrift respondit.
4) Zum Abschied.
5) Die Handschrift hat: affligari.

cium tota facies nigra facta est et in tale deliquium cecidit, videretur mortua. Tandem ad se rediens et flectens in grabus summi altaris humido ore instar alicuius tibicinis insufatis tubam clausis oculis rubra facie magnum clangorem emitbat. Et hoc tribus vicibus et post vnumquemque clangorem e explosionem explosus etiam fuit malus spiritus.

Hunc clangorem siue explosionem audiuerunt non solum sentes, sed et absentes, imo extra limites conuentus in vineis montibus pecora sua pascentes et hoc media hora a conuentu ne[1]) fragorem siue explosionem audiuerunt, qui attoniti steterunt cientes, quid in monte Caluariae ageretur, inquisiuerunt postea aliis, quidnam iste fragor et terribilis sonus denotaret. Renderunt: Nos etiam illum audiuimus, sed nescimus, quid denoet vnde causatus fuerit.

Post hunc fragorem denuo terribiliter a daemone agitata, vt iterum in deliquium inciderit. In hoc deliquio magnus tor in ecclesia causatus fuit, ita vt nares suas obstruxerint cientes, vnde ille foetor veniret. Nos videntes illius personae bilitatem corporis et animi deliquium lauimus organa capitis sto, vino, vt tandem ad se rediens aduerterit plenam liberationem[2]) et dixit: Deo sint laudes, liberata sum. Illa autem totar viribus destituta, vt pedibus stare nec incedere potuerit, ab is viris portata est ad ciuitatem ad aedes illius, in qua per s dies iacuit infirma et debilis, vt vix aliquid nutrimenti sure potuerit. Octaua die Augusti post liberationem ascendit a ad montem et praemissa confessione et sacrá communione it gratias deo pro liberatione et nos absoluto sacro pro gratiarum tione cantanimus: Te Deum laudamus cum consuetis collectis. P(ost) S(criptum). Quod maxime notandum est, sub discessu thanae illi, qui erant in choro, putabant, quasi magna multido et exercitus muscarum cum maximo impetu et sibilo transilasset, per quod totaliter exterriti.

Qui vero in sepulchro Christi infra ecclesiam erant[3]), exirrerunt ex sepulchro. Alii, qui fuerunt supra fornicem ecclesiae rae foetore non poterant ibi durare, hinc cum magna celeritate

1) Die Handſchrift hat: hanc.
2) Die Handſchrift: liberatio.
3) erant fehlt in der Handſchrift.

a fornice descenderunt ad dormitorium et isto die a naribus istum conceptum foetorem excutere non potuerunt, sed per aliquot dies totaliter pallidi, turbati et consternati aparuerunt, cumque ab aliis desuper inquirerentur, quidnam ipsis deesset, nihil responderunt, vsque dum ab aliis cognouerimus, quod supra fornicem ecclesiae fuissent. Ita testantur omnes, quotquot fuerunt praesentes, vti latius patet in archiuo.[1])

In festo exaltationis s. crucis turbata fuit deuotio propter Gallos.

Dominica I adventus fuerunt pauci poenitentes, etiam non fuit habita concio propter exiguum auditorium, quod adscripsimus tum inquartiriatis in oppido militibus tum etiam niviun altitudini.

Annus 1689.

In festo circumcisionis domini fuit exiguus accursus populi ad ecclesiam nostram ob timorem Gallorum militum, qui eadem die in numero satis copioso ex mont Real advenerunt ad oppidum Arweileranum in eodem pernoctaturi et post prandium non fuit habita consueta concio et quia postridie dominica scilicet prima Januarii, in quam cadebat archiconfraternitas s. chordae, iterum ex oppido discesserunt Bonnam relictis tamen in eodem praesidiariis, denuo fuit exiguus accursus. Dominica quinquagesimae non fuit in ecclesia nostra habita concio tum ob continuum accessum et discessum militum tum etiam ob fractionem pontium (Ara fluvius in nocte festum Agnetis praecedente vtrumque pontem sustulerat).

28 Aprilis per Ministrum Generalem rev. P. Marcum de Zarsosa mittebantur patentes per totum s. ordinem, quibus omnibus et singulis conventibus provinciarum intimabatur luctuosa et praematura mors reginae catholicae Mariae Ludouicae et in iisdem mandabatur, vt pro eiusdem animae refrigerio praeter summum solemne sacrum omnes et singuli sacerdotes sacrum, clerici officium defunctorum, laici rosarium cum sacra communione recitarent.

---

1) Kinkel sagt, daß die Franciscaner aus dem Exorcismus ein Gewerbe gemacht. Es kommen aber nur einige wenige (wenn ich nicht irre, zwei) Beispiele in der Chronik vor, die gewiß keinen einzigen Fall verschweigen durfte.

4 Maii per rev. admodum Patrem Ministrum provincialem mittebantur patentes per totam provinciam, quibus intimabatur similiter luctuosa et praematura mors serenissimae Archiducissae Austriacae Mariae Annae Josephae Augustissimorum Imperatorum Ferdinandi III gloriosissimae memoriae filiae, victoriosissimi Leopoldi primi sororis ac serenissimi Principis Electoralis Palatini dilectissimae coniugis. Fratribus idem pensum imponebatur quod supra.

Anno 1688 29 Sept. milites Galli venerunt ad oppidum nostrum Arweileranum et tam equites quam pedites manserunt in eodem praesidiarii vsque ad 1 Maii sequentis anni 1689 novis et novis regiminibus alternantibus, etiam diebus quasi singulis aliis cohortibus vel Maja[1]) vel Andernaco vel ex Monreal vel aliunde per hasce partes Bonnam aut rursum Bonna ad praetacta loca transeuntibus et semper vna nocte ad minus in oppido nostro commorantibus, qui omnes et singuli tametsi toto illo tempore a civibus benevolentissime fuerint recepti ac praeter praesidiarios in cibo et potu non more militum sed magnatum lautissime et iuxta cordis desideria accommodati, quidnam tandem contigit? In fine laborum: Undanck. Circa finem Aprilis omnium ipsis praestitorum beneficiorum immemores non tantum coeperunt deiicere muros ac portas ciuitatis, verum etiam, quod peius erat, 1 die Maii quartam intra et quintam vespertinam civitatem ipsam incenderunt, quatuordecim[2]) domibus iam totaliter in cineres redactis promittebant quidem civitatem iam ab vlteriori incendio fore liberam, vnde non tantum cives, verum etiam fratres nostri mox maximo cum labore ignem adhuc grassantem conabantur exstinguere, ast ipsi, dum ita loquerentur pacem cum civibus et incolis, mala meditabantur in suis cordibus, eo enim tempore, quo cives laborabant in exstinguendo igne, ipsi plateas circumcurritantes et aedes laborabant pro acquirendis spoliis et quidem cum tali aviditate et furia, vt multi civium atrociter percuterentur, etiam vnus eorum in sinistro latere gladio transfossus et quidam alius in capite misere vulneratus fuerit, vterque cum vitae periculo, virorum ac mulierum marsupia visitabantur cum extorsione pecuniae. Domibus iam ita exspoliatis necdum quiescebat furor eorum, sed altera die, quae erat II Maii praeter domus qua-

1) Majen.
2) decim iſt von ſpäterer Hand beigeſchrieben.

tuordecim[1]) iam pridie vesperi exustas totam incenderunt civitatem, a quo incendio quidem decem circiter domus tantum, ast ipsa ecclesia non mansit libera, sed tectum eius cum tecto turris eiusdemque campanis, quarum erant octo, tresque ex iis satis grandes, igne fuerunt absumpta, ita vt paucis referendo eorum gratia civibus promissa tota fuerit fallax et hi bini dies civibus ac incolis Arweileranis multum fuerint infortunati; nil enim nisi miseranda facies civitati eorum remanebat.

Neque nos ipsimet in eorum discessu ab ipsis mansimus liberi, quamquam conventus manserit liber ab incendio, tamen non mansit liber a praeda, nam neque attendentes immunitatem ecclesiasticam neque respicientes salvam Guardiam, quam P. Bartholomaeus Cox ex mandato v. P. Guardiani paucis diebus ante in typo Bonna attulerat, nec moti demum statu nostrae paupertatis sustulerunt ex granario nostro 85 maldera siliginis. Deus nos vlterius liberet et praeservet ab intolerabili ipsorum furore ac iugo.

Annus 1690.

In festo epiphaniae cum dominica infra octavam servabatur archiconfraternitas, die lunae hanc dominicam immediate sequente Galli inopinato venientes ex monte regio cum quinque circiter centuriis ad hasce partes eodem die non tantum diversa loca incinerarunt, vtpote oppidum Aldenar, Ober- et Nider-Holtzweiler, Vettelhoven, Gelstorff, grossen Aldendorff, Ersdorff, Eckendorff, Adendorff, Artzdorff, Fritzdorff, Sommersbergh, Oeverich, Niderich, Birresdorff, Limersdorff, Bengen, Carweiler, Landershoven, non inquam praedicta loca tantum incinerarunt, verum etiam effractis ostiis ecclesias, inter quas etiam ecclesia parrochialis Arweilerana, saecularibus et sacris bonis ipsosque ecclesiasticos specialiter admod. rev. dominum Petrum N. pastorem in Gelsdorff vigilantissimum clericali habitu exspoliarunt et privarunt et quamquam conventus noster eodem die in mille fuerit constitutus anxietatibus et periculis non tantum exspoliationis, verum etiam incendii, ista vice tamen dei gratia evasit liber; deus ter optimus eundem vlterius conservet.

Circa haec tempora (Dominica 7 post penthecosten) ex prae-

---

1) *decim* iſt auch hier wieder übergeſchrieben.

fato exercitu Capitaneus aliquis, qui in festo visitationis b. Mariae virginis divinis in ecclesia nostra interfuerat, postridie venit ad conventum petens loqui ven. adm. P. Guardiano et conquerens se amisisse annulum aureum in vel extra ecclesiam nesciens; constituit itaque sacra aliqua in honorem s. Antonii Paduani, quibus lectis post triduum circiter innotuit, eundem a muliere quadam ex civitate intra ostium ecclesiae nostrae fuisse repertum, a qua eundem et recepit.

Eodem tempore Colonellus aliquis, cuius fratri ab aufugiente quodam milite, vt suspicabantur, bis mille imperiales fuerant ablati, constituit sacra aliqua in honorem eiusdem sancti, qui ab insequentibus non longo post captus, non tantum omnem pecuniam 10 circiter imperialibus, quos consumpserat, exceptis, coactus fuit restituere, verum in laqueo sceleris sui poenas dedit.

Circa hoc tempus (Dominica II et III adventus) in hoc conventu sicut et vicinis locis notatus fuit singularis tremor terrae, quidnam autem ipse designabit, ille scit, qui terram tremere fecit.

Annus 1691.

Hoc anno dominica prima Septembris in hoc conventu celebrata fuit I solemnitas canonizationis s. Joannis Capistrani et Paschalis Baylon et fuit maximus concursus populi.

Annus 1702.

Cum ex incautis et inutilibus scriptionibus maxime periculosissimis hisce bellorum temporibus sacer ordo ac alma provincia nostra in communi et fratres in particulari confundi, periculis multis exponi, principes et magnates offendi aliique, in quorum manus forte incidereat literae legendae, prout tempore belli fieri consueuit, quando saepe nonnisi apertis literis permittitur transitus, scandalizari possent, hinc est, quod omnibus et singulis patribus ac fratribus observantiam accuratam statutorum provincialium cap. 4. par. 10 (?) districte praecipere cogar et quidem praeter alia in dicto paragrapho contenta observentur.

Primo ut nullus pater aut frater (exceptis, qui sunt actualiter discreti provinciae, quorum literas nec proprius nec guardianus aliorum locorum aperiunt) litteras alio destinet, nisi prius a superiore loci lectas et ordinario conventus sigillo clausas, nec fr. portarius illas aliter expeditas dirigat aut aliunde receptas ulli ex-

ceptis praedictis tradat, nisi prius superiori loci exhibuerit, qui ad placitum eas aperire et legere possit.

Secundo patres etiam supra excepti sigillum ordinario provinciae et conventuum sigillo conformi usurpent.

Tertio scribendo omnes sint providi nec scribant amarius vel clarius de defectibus aliorum etiam ad superiores.

Quarto sub poena domus disciplinae prohibetur, ne ullus pater aut frater scribat de negotiis publicis principes vel milites concernentibus.

Annus 1703.

Feria quarta post pascha fecit professionem tertiae regulae rev. et perillustris liber Baro Bernardus de Bukler equestris et praepositus et pastor in Aldenahr ante summum altare.

Annus 1707.

In ipso festo s. nominis Jesu valediximus sacello in sylva prope Rheimbach, patres inibi commorantes cum omni suppellectili etc. revocati sunt ad hunc conventum.

Annus 1709.

Die decima quinta Aprilis Guardianus Antonius Beutgen posuit primum lapidem pro nova imfirmaria.

Maldrum siliginis constabat 23 florenis, tritici decem imperialibus, avenae 4 dahleris.

Annus 1711.

Hoc anno in mense Maio post Joannis fabricatus pulcherrimus pons lapideus supra Ahram. Primum lapidem posuit clariss. dominus Gruben consul actualis cum scabinis, quem benedixit ven. adm. Pater Apollinaris Polterstorff Guardianus.

Hoc anno fuit copiosa vindemia et bona sicut et matura. Apparuerunt uvae maturae circa finem Julii, in Augusto plures. Accepimus, deo sint laudes, bonam portionem, ahma constitit in Walportzen (sic) 11 imperialibus in specie, tali pretio etiam apud multos in civitate, album 9.

Annus 1712.

Hoc anno fuit copiosa vindemia ubique, vinum album in *aliquibus* locis vicit generositate rubellum, quod fuit in copia

magna, ita ut etiam seniores vinitores non meminerint tantam copiam rubelli a 60 annis. Constitit ahma rubelli in Walportzheim 9 imperialibus solummodo et infra.

Annus 1713.

Dominica 5 post epiphaniam celebravimus per octavam solemniter canonizationem s. Catharinae Bononiensis[1]) cum plenariis indulgentiis per totam octavam; dominica septuagesimae processio solemnis deducebatur etc., talem solemnitatem hic nunquam viderunt. Ultra 50 pondo vel librae pulveris nitrati consumpta sunt, praeterquam quod consumpserunt adolescentes ex sclopetis. NB. sub mensa prandii, quando bibebatur sanitas serenissimi electoris Coloniensis Josephi Clementis datum est salve solemne ex omnibus cameris positis prope murum hortus (sic) versus refectorium, uti et sub sanitate sive prosperitate senatus et conventus nostri cum satisfactione et recreatione praesentium singulari. Deus retributor omnium bonorum per intercessionem s. Catharinae Bononiensis retribuat hanc devotionem senatus et omnium benefactorum in spiritualibus et temporalibus. Amen.

In die animarum servare (in)cepimus ieiunium indictum ab illustrissimo capitulo Coloniensi tribus diebus servandum cum precibus et expositione venerabilis ad avertendam contagionem pestis, ieiunabatur tota die stricte usque ad sextam vespertinam, etiam in civitate hac et aliis parochiis videre fuit magna devotio.

Annus 1718.

Hoc anno optimum ad Ahram fuit vinum, cui simile secundum seniorum dicta non fuit in 30 annos.

Ab anno incarnationis domini 1714 usque in annum 1718 9 Decembris inclusiue omnia notabilia revisa et calculata Treviros ad v. P. Joannem Polius provinciae chronistam sunt transmissa, tum in tum extra conventum poenitentium confessiones (quas inter circiter 50 generales fuere) exceptae 150,000, communicantes in conventu 100,000, baptizati infantes 30, aegrotis datum sacrum viaticum cum extrema unctione 40, matrimonio copulati 15, conciones habitae 300, confraternitates factae chordae in et extra conventum 250, ad eandem assumpti 500, confraternitas immaculatae conceptionis in conventu servata centies. Catecheses ser-

1) Die in der Chronik weitläufig beschriebene Festlichkeit wird hier abgekürzt.

vatae 200, processiones advenere 105, ad orthodoxam catholicam fidem conversi duo venatores et quidem unus domini liberi Baronis ex Gudenaw et alter domini liberi Baronis de Putzfeldt.

Annus 1719.

Prima Augusti fuit talis pluvia in Heppingen, dass die maur vom garten vicesatrapae vom wasser vmbgeworffen, die stein 25 schritt hinweg getrieben, die Allee auss der erden geworffen, die Pöst auss dem garten biss nach Lörsdorf getrieben, dass Pavi-ment domus satrapae auffgehoben, zwei Knechten haben sich auff die baum salvirt, die Amptsverwalterin mit Angreiffung eines Nass (Ast?) an einem Baum sich kummerlich salvirt so lang, biss sie endtlich durch Hulff vnd Darreichung ist errettet worden, uno verbo, es ist sehr erschröcklich vnd erbarmlich zuzusehen gewesen. Der schoner Garten ist gantz ruinirt.

A pastore civitatis hoc tempore baptizatus est[1]) Judaeus et vocatum est nomen eius Laurentius. Fuit autem extraneus et fuit uxoratus et ludi magister puerorum iudaeorum huius civitatis.

Annus 1720 et 1723.

17 Septembris 1720 in festo stigmatum honestus vir Christophorus Heinen arte sua faber lignarius Berlino electoris serenissimi Brandeburgici residentia oriundus Lutheranismum abiurauit et veram et salvificam catholicae Romano-apostolicae ecclesiae fidem assumpsit et professionem emisit.

Die 11 Octobris 1723 promulgatae fuerunt patentes Bonna transmissae, quibus omni remissa poena in apostasia contracta intra quatuor menses omnibus apostatis ad suam quisque provinciam libera et impedita redeundi facultas ac licentia elargita fuit.

Annus 1725.

Die 6 Martii ex commissione rev. domini nuntii apostolici v. adm. P. Guardianus noster in ecclesia civitatis Arweilerensis benedixit duas campanas.

Annus 1727, 1728 et 1729.

18 Novembris spoliata fuit ecclesia parochialis in Arweiler 5 calicibus, 2 ciboriis, 5 reliquiariis, duobus pectoralibus et thu-

1) Die Handschrift hat: et.

ribulo, omnia et singula ex argento elaborata et auro potissima ex parte condecorata vasa exstabant.

Investiti sunt habitu tertiae regulae a. praenob. 1728 et clar. dom. Marcus Engelbertus Delhaes vicesatrapa in Aldenahr; praenob. et multum virtuosa matrona Maria Catharina Severini condicta Delhaes, praefati dom. amantissima coniux; praenob. et ingenuus Joannes Franciscus Delhaes s. theol. candidatus, filius.

18 Aug. 1729 P. provincialis Fenger visitavit hunc conventum et inter alia innovavit praeceptum de non comedendo et bibendo in civitate Arweileriana ac insuper inhibuit, ne comederent et biberent in fossa civitatis praedictae et qui contra hoc facere attentaverit includendus esset domui disciplinae et ex ea non dimittendus, donec ipse r. P. Provincialis ordinaverit, qualiter ulterius cum tali delinquente procedendum sit.

20 Octobris incepimus in horto nostro uvas colligere.

Annus 1737.

Ven. admodum P. Guardianus Daniel Schulten curavit fieri pulcherrimam statuam s. P. nostri Francisci, quae ante festum Portiunculae erecta fuit et posita supra portam ecclesiae nostrae, largam eleemosinam contribuerunt pro hac erigenda statua praenobiles domini d. Constantinus Gruben syndicus statuum nobilium Coloniensium et dom. Delhais[1]) vicesatrapa et receptor in Aldenahr.

Annus 1739.

Notandum dignum, quod die 16 Januarii maxima hic fuerit visa inundantia aquarum et quidem talis, qualis etiam a senioribus civibus civitatis Arapolitanae, imo a memoria hominum nunquam visa fuit. Ahra enim stante illa abundantia sese extendebat non tantum usque ad portam, quae dicitur Ahrport, sed etiam existebat aliquantulum in civitate cum maximo periculo et timore inhabitantium, maxime autem deplorandum est, quod inundantia illa aquarum defecerit pontem lapideum versus Ahra portam.

Annus 1741.

Mense Julio P. Godefridus Langen concionator et P. Dionysius Odenthal duos fures, patrem cum filio, qui de nocte ali-

1) Der Vorname iſt nicht angegeben.

cuius viduae aedes infregerant, ad ignominiosam patibuli mortem subeundam disposuerunt, qui et 20 currentis ex Aldenar a praedictis Patribus educti in eodem suspensi coram ingenti hominum multitudine optime dispositi ac in voluntatem dei et superiorum resignati vitam finierunt.

Dominus Feldmuller anno priori artificiosi pontis fundamenta fecit, hoc vero anno in Septembri perfecit et erexit in eo duas statuas, unam repraesentantem immaculatam virginis Mariae conceptionem, alteram s. Joannis Nepomuceni mart. NB. quod dictae statuae erectae fuerint in praesentia cleri et populi processionaliter congregatorum, etiam tertia vice explosa fuerunt sclopeta aliaque laetitiae instrumenta. His finitis sub compulsatione campanarum et decantatione hymni s. Ambrosii et Augustini redierunt ad ecclesiam, in qua sacro solemni haec solemnitas fuit finita.

Praenobilis ac clarissimus d. Beckers civitatis consul actualis primum posuit lapidem, expensae praeter ligna, lapides, vecturas et in aere currunt ad 4000 imperiales.

Mense Septembri advenerunt copiae gallicae ad defendendam hanc et adiacentes patrias, scilicet Juliacensem et montensem.

Annus 1744.

Die 21 Januarii generosus dominus dom. de Wengen a ser. archiepiscopo Clemente Augusto utriusque Bavariae duce etc. praefectura Arweileriensi donatus hac ipsa die solemni civium applausu reboantibusque tribus vulgo Bolderen seu Katzenköpff investituram suscepit et possessionem adivit. Quo facto ille idem L. Baro et praefectus Arweileriensis sub summo sacro stipatus 3 dom. dom. consiliariis aulicis, consulibus huiatis civitatis ac senatoribus templum nostrum ingressus pie pariter et devote summo sacro interfuit ac in prandio una cum memoratis omnibus dominis mensae nostrae epipare a magistratu nostro instructae interfuit cum plenaria sui totiusque comitatus sui satisfactione, reboantibus sub mensa saepissime iisdem tribus Katzenköpff, festivitatem hanc solemnizavit ac perfecit noster P. Concionator P. Godefridus Langen Brulensis ingenioso hocce applausu poetico:

Applavsvs Devotissimvs ex Interiore propVLsVans

Generoso strenuo Illustri ac Excellentissimo Domino D. Friderico, Florentio, Theodoro, Joanni, Rabano L. B. de Wengen, S. Caesareae Maiestatis Chiliadis pedestris Generali Majori,

erenissimi ac rev. Archiepiscopi et Principis Electoris Colonien-is Consiliario status Chiliadisque pedestris Chiliarchae nec non uper omnes copias castrorum praefecti supremo vicario, domino n Beck etc. etc.,

Dum qua praefectus Vrbis Arweilerianae a. 1744 die 21 Jan. investituram solemnissime capesseret,

In RespeCtVs et ReVerentIae sIgnIfICatIonem a tVrba el DeVota eXhIbItVs.

Neo-PraefeCti SortItIo et JpsIVs soLeMnIs
JnstItVtIo eXsVperat faCILe et Coronat
Caeteras VrbIs ArapoLItanae feLICItates.

Gaudeat Arapolis patriae decus atque corona,
Urbs ovalis ovet, sic dubio absque decet,
Urbs nimium felix et fortunata sat apto
Prae reliquis multis aedificata loco.
Nam perbella loci situatio noscitur inde,
Si W quinque suis civibus ipsa dabit.
Wein, Wasser, Wiesen, Weitzen, W quattuor haec sunt,
W quintum[1]) intactum praeteriisse volo,
Si de dulcifluis oriatur questio botris,
Res est clara nimis nec dubitare licet.
Montes et colles tot sunt, mihi credite, testes,
Qui licet elingues testificantur idem.
Ara ministrat aquam sanam satis atque suavem,
Quae dulci strepitu labitur atque fluit.
Ducitur hinc multa percommodus arte canalis,
Urbem qui placidis lambit et ambit aquis.
Iste molendinis septem servire rotandis
Debet et in cunctis usibus esse solet.
Quid memorem decuplo florentia gramine prata,
Hinc trahit omnigenum pabula grata pecus,
Hic fixisse suam sedem Dea Flora videtur,
Huc veniunt Musae dulcisonare melos,
Hic miscere iocum pariter quandoque licebit
Cum Cerere et Baccho, sed procul esto Venus.
Triticeae messis nemo quoque commoda nescit,

1) Am Rande ſteht mit rother Dinte: Weiber.

Nam tellus cunctis frugibus apta manet.
En jam W quatuor retuli satis atque probavi,
Queis Urbi nostrae sors benedicta favet.
Transeo W quintum nec enim mihi tangere fas est,
Tangere si vellem, W mihi forte foret.
Sed resonet plausus, Urbs terque quaterque beata,
Cum jam W sextum te magis ecce beet,
Si nescis, dicam, Wengen est, gratia cuius
Addit fortunae puncta suprema tuae.
Hic Praefecturam pro te jam prendit et in te,
Quando hodie coepit munus adire suum.
Heus bone! quam dignus tales assumere fasces!
Ejus nunc Urbem cura paterna reget.
Ipse tibi praeerit praesens absensque fauebit
Quae prosunt, quaerens, quae nocitura, cavens.
Urbs igitur gaude gratesque repende Datori,
Cum tibi de tanto providet ipse Viro.
En Augustus is est nomine et omine Clemens
Magnificus Praesul, Dux Patriaeque Pater
Huic obstricta manens grates persolve perennes,
Utque diu vivat, grata precare Deum.

**Mons CaLVariae noVo PraefeCto CongratVLans eXIgVo hoC VersV aCCInIt.**[1])

Quam grati autem atque accepti fuerint dicto domino Pra fecto hi iam descripti versus, satis inde patet, quod petierit t sibi describi, unam enim descriptionem serenissimo daturum dix Quin imo praestitis descriptionibus petitis continuo ad patrem n strum spiritualem duas misit pistoletas pro eleemosina, humil mas insuper referens gratias pro honore et affectu sibi exhibit

Circa initium mensis Februarii conventus obtinuit a mag stratu huius civitatis facultatem ac licentiam in scriptis authe ticis cum sigillo deducendi venam fontis scaturientis uersus monte vulgo Klotzbahn dictum, ut scilicet praedictam scaturiginem s venam occludere ac ad conventus nostri necessitatem huc ded cere possimus ob evidentem aquae vivae et saepius etiam st gnantis necessitatem.

1) *Darauf folgt die Gratulation der Mönche auf dem Calvarienberge.*

Annus 1745.

Mense Augusto post tot vota ac suspiria, post tot labores ac pensos sumptus hac tandem die, nona scilicet huius, suprema anus aquae ductui applicata est neque ad oblectandos oculos u ad curiositatem fovendam, sed primo et primario ad inevitalem necessitatem sublevandam vena aquae salientis ad hunc ontem deducta fuit. Principalis huius fontis ductor et director mine Mathias Schall coelebs ex pago Walberberg.

Die 2 Septembris serenissimus noster archiepiscopus Clemens ugustus utriusque Bavariae dux etc. dedicavit sacellum s. noinis Jesu prope Rheinbach incredibili solemnitate, nam ad hanc dicationem invitati fuerunt et convenerunt ultra 36 diversarum rochiarum processiones, nam et Arweileriana parochia processmaliter illuc ivit.

Annus 1747.

6 Martii solemniter baptizata est in ecclesia nostra maior mpanula nova ex Wallportzheim in nomine s. Josephi et Sestiani, praesentibus dominis scabinis ciuitatis Arweilerianae, ii cum sancta communitate laute a Wallportzheimensibus sunt actati, a P. Godefrido Langen pro tempore Guardiano montis ius Calvariae.

# Bemerkungen zu der Chronik des Calvarienberges.

Die Chronik des Calvarienberges bildet eine wichtige Quelle f
die Geschichte des Ahrthales, für das siebenzehnte Jahrhunde
ist sie geradezu die Hauptquelle.[1]) Sie geht zwar nicht h
in die Vergangenheit hinauf, aber es ist eine verkehrte Ansicht, daß
letzten Jahrhunderte mit den entfernteren nicht sollten gleichberechtigt se
Da es in der Geschichte gilt, für die Gestaltungen und Formen
Gegenwart in der Vergangenheit die Fäden aufzufinden, so bil
wahrlich in der Kette der Entwicklung die der Gegenwart zunä
vorangehenden und dieselben bedingenden Jahrhunderte nicht die
wichtigsten Glieder. Wenn unsere Chronik zunächst eine locale Bed
tung hat, indem sie über den Calvarienberg, Ahrweiler und die
nachbarten Ortschaften rings umher Nachrichten der verschiedensten
namentlich auch culturgeschichtliche, das Volksleben an der Ahr wi
spiegelnde Mittheilungen bringt, so greift ihre Bedeutung da
weiter, daß sie die Kriegszüge und Kriegsereignisse der beiden vo
Jahrhunderte treu und manchmal ganz detaillirt erzählt. Das
thal theilt die Schicksale des westlichen Deutschlands; kein Ge
hat sich, wie Kinkel sagt, über diesem Lande entladen, das nicht
nigstens mit Einem Blitze die Felsgeschiebe des Ahrthales bele
hätte.

Zunächst haben wir eine lebhaft und mit Wärme geschri
Schilderung der Behandlung der Stadt Ahrweiler und Umgegend
Turenne gegen Ende des dreißigjährigen Krieges, im Jahre 1
Dieser berühmte General zog durch das Ahrthal, um sich im Hessi
mit dem schwedischen General Wrangel zu vereinigen. Anfangs

1) *Die Ahr*, Landschaft, Geschichte und Volksleben von Gottfr. Kinkel. Vorre

schlossen sich die Ahrweiler zur Vertheidigung, steckten aber bald, im Gefühle ihrer Ohnmacht, die weiße Fahne aus. Turenne nahm die Schlüssel der Stadt in Empfang und verhieß Gnade; er brach aber sein Wort, seine Soldaten verübten die ärgsten Frevelthaten.

In den „Thermen von Neuenahr" von Hofrath Weidenbach heißt es p. 65: „Das Anpflanzen der schwarzen Burgunderrebe, Bourgnignon noir, aus welchem der hiesige rothe Wein gewonnen wird, ist erst seit etwa 200 Jahren im Gebrauch; früher pflanzte man nur weißen Wein; erst gegen 1680 kam der Bleichart auf." Ich mache dazu die Bemerkung, daß man in dem mayschosser Schatzbuche dem rothen Weine zuerst im Jahre 1664 begegnet; während vom Jahre 1599—1663 von Churwein überhaupt, auch ohne Unterschied des Preises, die Rede ist, findet sich in dem genannten Jahre 1664 zuerst die Unterscheidung in rothen und weißen Wein: anno 1664 ist gehaben worden 2½ fodder, weiß ad 7, roth ad 8 rixthlr.

Während des Druckes dieser Chronik wurde ich auf eine Crescenzen-Chronik der Mosel aufmerksam gemacht, die von 1638 bis 1859 reicht und zu Bernkastel von Eduard Kneisel auf einer Tabelle veröffentlicht worden ist. Ich habe dieselbe den Nachträgen angefügt, um unsere Ahr-Chronik vervollständigen und vergleichen zu können.

Herr Pastor Ockenfels, der ein Herz für die Vergangenheit seiner Pfarre hat, und der mit der Geschichte derselben sehr vertraut ist, hat mich in der freundlichsten Weise mit Rath und That unterstützt, wofür ich ihm auch öffentlich den wohlverdienten Dank auszusprechen mich gedrungen fühle. Er führt auch die Chronik weiter, ein Beispiel, das allgemeine Nachahmung verdient. Erfreuen wir uns an den Notizen, die für uns die Vorfahren niederschrieben, so sollen wir auch unsere Pflicht gegen die Nachwelt nicht vergessen.

Schließlich berichtigen wir, daß der unter der Jahreszahl 1687, wovon die letzte Ziffer in der Handschrift undeutlich geschrieben ist, aufgeführte Tod des Priors von Marienthal, ins Jahr 1681 fällt; ferner gehört die zum Jahr 1801 aufgeführte Rekruten-Aushebung ins Jahr 1802.

Annus 1734.

Festum corporis Christi 1734 24ta (die) Junii coincidens cu festo s. Joannis Baptistae.

Corporis in Cristi festo sed mane peracto
Circuitu prius et post ter solemnia sacra
Ecce! dies coelum conscenderat almaque curru
Flammivomo Phoebus medium pulsabat Olympum,
Ilicet ignis edax heus Baums praetoris in aede
Provenit: exuperant flammae ... aestus ad auras
Perque horae spatium sex dena hic tecta domorum
Incinerata iacent stabula atque tot horrea ferme,
Inter quas aedes pastoralesque fuere
Atque vicariae trinae, heu dolor! hospitiumque
Pupillum [1]), ast deinceps intercedente Maria,
Urbi parcatur [2]), superi flammasque refrenent.

Nach einer mir zugekommenen Abſchrift. Die Notizen befind ſich zerſtreut auf Blättern eines der Kirche zu Euskirchen zuſtändig Miſſale, das dem 13. oder 14. Jahrhundert angehört; dasſelbe iſt ſor fältig geſchrieben und enthält außer ſchönen Initialen auch eine i tereſſante Handzeichnung, die Kreuzigung darſtellend.

1) Für pupillorum.

2) Hier iſt ut zu ergänzen: intercedit Maria, ut urbi parcatur.

# Chronicon Brunwylrense.

## Ello, primus abbas.

Venerabilis pater et dominus abbas Boppo[1]) primum huic monasterio (vt libellus fundationis resonat) prouidit abbatem a fratribus suis huc adductis vnanimiter electum moribus religiosum, verbo vero et opere diuino atque humano per omnia insignem et probum nomine Ellonem[2]), cui tametsi euangelica villicatio et potestas bonorum monasterii huius ab ipso nobilissimo comite palatino eodem die consecrationis seu eodem anno, hoc est millesimo vicesimo octauo anno dominice incarnationis commissa fuerit, verumtamen non nisi post duos annos, id est millesimo tricesimo munus benedictionis ab archiepiscopo Piligrino accepit, sicuti priuilegiorum litere et libellus fundationis monasterii nostri palam attestari videntur. Eodem tempore venerabilis abbas Boppo animaduertens, monasterium nostrum deo fauente prosperum profectum habere et confratres suos iuxta placitam instantiam suam de competenti temporalium bonorum prouisione iam tunc mediantibus literis sigillatis certiores atque securiores esse, postquam sex annis hunc locum in commendis habuisset, valedicens venerandissimo comiti palatino Erenfrido cum suis nec non predilectis fratribus suis, qui nimirum (exceptis iunioribus, qui ad disci-

1) Von Stablo. Er wurde zur Einrichtung des neuen Klosters gewonnen. Böhm. fontes rer. germ. II. p. 370: Ezzo, quoniam per semetipsum, qualiter id foret inchoandum, minus discernebat, abbatis Popponis consilium atque solatium expetebat.

2) In den Annales Brunwilarenses Böhmer fontes II. p. 382: MXXX ordinatio abbatis Ellonis.

pline formam instituebantur) iam sedecim erant, cum multa gloria (?) et honore[1]) ad propria respicienda reuersus est cenobia. Obiit hic venerabilis et sanctus abbas Boppo octauo kalendas februarii.

Huius tempore scilicet Ellonis obiit vterque fundatorum scilicet venerabilis domina Mathildis in initio fundationis huius monasterii, scilicet circa finem anni millesimi vicesimi quarti, vicesimo die mensis Nouembris, generosus vero comes palatinus Erenfridus anno domini millesimo tricesimo quarto, duodecimo kalendas Junii. Hi ambo iacent sepulti in medio chori in sepulchro eleuato etc. Anno domini millesimo tricesimo primo obiit filius natu maior, scilicet Ludolphus comes Zutphanie, scilicet tertio idus Aprilis et filius eiusdem Ludolphi nomine Henricus modico reuoluto tempore post patrem obiit scilicet vltimo die mensis Octobris. Hi ambo ante cryptam infra duas columnas ad sinistrum latus ecclesie nostre sepulti quiescunt. Otto quoque filius fundatorum tercio anno ducatus sui Sweuorum defunctus est VII. die mensis Aprilis, qui sepultus est ante altare sancti Joannis baptiste in sepulchro eleuato ad parietem.

Post cuius obitum venerabilis domina Rycheza regina Polonie filia fundatorum ipso die sepulture predicti fratris sui omnem ornatum suum lunulas scilicet et torques et cetera monilia omnia aut auro textilia aut penitus aurea in diuinos commutanda cultus[2]) principali altari imponit et ab ipso Tullensi Brunone (qui postea summus pontifex Leo nonus vocatus factus fuit) sacrum velamen accepit. Et ut paucis multa concludam, predicta domina Richeza singulares literas dedit, quibus se contentam protestatur super bonis huic monasterio a parentibus suis prestitis, insuper tanta bona temporalia mobilia et immobilia huic cenobio donauit, vt ipse venerabilis abbas Ello quam maximis locupletatus thesauris[3]) vetus monasterium destrui faceret et aliud validioribus fundamentis construendum inchoaret, sed tactus infirmitate vnius cruris imperfectum reliquit, quia infirmitate inualescente, postquam viginti annis prefuisset, obiit anno scilicet domini mil-

1) Die Handſchrift lautet: cum multa et honore.
2) Die Handſchrift hat: culta.
3) Die Handſchrift hat: thezauris.

lesimo quinquagesimo vicesimo quinto die Maii[1]). Qui honorifice sepultus fuit ante altare sancte crucis in eodem loco, vbi primus reformator monastice discipline Adam primus de Herctzenrade abbas huius loci vicesimus nonus postea sepultus est.

Hic enim abbas Ello ante obitum suum dignitatem abbatialem resignauit religioso iuxta ac docto viro Tegenoni, qui preditus fuit vite sanctitate ac sacrarum peritus literarum, cum consensu suorum fratrum ob grauem infirmitatem et post aliquot (sic) tempus, quando cunctipotenti deo placitum fuit, diem clausit extremum in die videlicet sancti Vrbani pape et martiris.

Epitaphium reuerendi domini Ellonis primi Brunwylrensis nonasterii abbatis meritissimi:

Heic pius Ello cubat, templum qui primus in istud
Nursini seuit dogmata dia patris,
Cuius in angusto vestigia calle sequutus
Iniecit carni stricta lupata sue,
Orbis et illicitos (fallacia gaudia) fastus
Cum satane vicit fortiter insidiis,
Ergo patri supera Benedicto est iunctus in arce,
Quem sancte studio vite imitatus erat.

## Tegeno, secundus abbas.

Tegeno[2]) secundus huius monasterii abbas a precessore Ellone tum consensu fratrum electus fuit et ab episcopo Coloniensi Hermanno fundatorum nostrorum filio munus benedictionis accepit. Hic studuit summa diligentia incepto operi consummationem imponere, (cui prefatus archipresul in singulis tam consilio quam auxilio fuit), ymmo ipsa venerabilis domina Richeza Polonie quondam regina non minori sagacitate huic monasterio prodesse semper conata fuit. Jpsa namque mortalem se considerans, quatinus futuras inter conuentum huius cenobii et suos heredes adimeret atque precaueret lites, literas fratribus huius loci reliquit, quibus

1) Annales Brunwilarenses (Böhmer II p. 382): Obiit Ello abbas VIII kaend. iun.

2) In den Annales Brunwilarenses (Böhmer fontes II p. 382) heißt es: XLIII ordinatio abbatis Tegenonis.

se defendere possent, si necessitas talis eueniret, que quidem litere sic videntur sonare: In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Sicut religiosa ac pia semper parentum sollicitudo quodam naturali affectu dilectis filiis non solum in temporalibus ad presens, sed etiam de mansuris prouidere debet in futurum, sic deuota filiorum successio rationabilia parentum deoqne placita instituta non tantum debent inconuulsa custodire, verum adinstar seruorum fidelium sibi creditum a domino talentum geminando per opera misericordie et semper ad meliora proficiendo eterne retributionis premium fiducialiter expectare. Inde est, quod ego Richeza etc. Datum anno incarnationis dominice MLI regnante Henrico tertio imperatore Augusto.

Tenor istius priuilegii est, quod ipsa venerabilis domina Richeza etc. fatetur se contentam super bonis illis, que parentes eius, dum adhuc viuerent, huic monasterio contulerant, preterea et de suo patrimonio viginti vnam arpennas adiecit pollicens adhuc ampliora se huic cenobio bona super facturam, donec comitem haberet vitam, propterea presertim, quia sepulturam iuxta parentes in templo istius claustri elegerat. Idcirco etiam huius testes, qui partim fuere comites, partim generosi equestris ordinis viri, suo proprio munitis sigillo exprimuntur nominatim in literis ob maiorem securitatis roborationem et veritatis testimonium etc. Anno domini millesimo quinquagesimo primo.

Est et aliud priuilegium ab eadem huic monasterio concessum, quod similiter sonare videtur et brevitatis causa hic[1]) subticui.

## De eo quod hic abbas consecrari fecit criptam cum tribus altaribus.

Eodem anno scilicet domini MLI indictione quarta XII kal. Januarii abbas Tegeno consecrari fecit criptam cum tribus altaribus per reuerendum dominum episcopum Mirmegardeuurdensem Rotbertum Coloniensis archiepiscopi Hermanni secundi nostrorum fundatorum filii vices gerentem in honore sancte dei genitricis Marie et omnium sanctorum. In cuius principali al-

1) In der Handſchrift ſteht: hec.

tari he recondite sunt reliquie, scilicet sancte Marie virginis, Petri apostoli, Panthaleonis et Ciriaci martirum, Gregorii pape, Martini, Maximini et Seruatii pontificum, Benedicti abbatis, Martine virginis et martiris, Praxedis, Electe, Lucie virginum.

Altare septentrionale dedicatum est in honore sancti Thome apostoli et omnium apostolorum Christi et ibi habentur reliquie ipsius sancti apostoli Thome, Pauli, Andree, Bartholomei apostolorum, Christophori, Pancracii martirum, Antonii abbatis.

Altare meridiane partis dedicatum est in honore sancti Blasii episcopi et martiris et omnium martirum Christi et ibi habentur reliquie ipsius sancti Blasii episcopi et martiris, Stephani prohomartiris[1]), Laurentii, Sebastiani, Sixti, Crisogoni, Gengulphi, Clementis, Ypoliti, Eustachii et sociorum eius Valentini, Abdon et Sennes, Mauricii, Lamberti, Cosme et Damiani martirum. Nota: hec altaria secunda vice sunt consecrata, vt infra dicetur latius.

Item repperi in eodem vetusto libello, in quo iam dicta altaria habentur descripta, quod capella, que est in ambitu, quondam sina vice in honore sancti Medardi consecrata circa istud tempus bit dedicata ab Engelhardo episcopo Coloniensis archiepiscopi suffraganio XI kal. Decembris (annus domini non fuit descriptus); in quo illo in tempore fuerunt he reliquie recondite, scilicet ipsius Cristophori martiris et sanctorum martirum Stephani, Nerei, Achillei, Pancracii, Quirini et sanctorum confessorum Bonifacii, Eleutherii, Brictii, Wyllibrordi, Nicerii et sancte Corone virginis.

Hec capella postea iterum fuit consecrata per reuerendum dominum archiepiscopum Coloniensem Philippum, vt infra dicetur latius.

Item in eodem libello repperi, quod fuit hic quedam capella s. Maximini in abbatia sita XI. kal. Augusti ab Ezelino Scarnensi episcopo dedicata in honore dei genitricis virginis Marie et beatorum apostolorum Petri et Joannis et beati Maximini Trenirorum archiepiscopi et reliquorum sanctorum, in cuius altari he reliquie fuere recondite, scilicet de pallio et stola eiusdem beati Maximini archiepiscopi, de vestimento sancti Geruasii, de vestimento s. Laurentii, reliquie s. Venantii abbatis, Blasii mar-

1) In der Handschrift: Prothomartis.

tiris, Isidori martiris, Gengulphi martiris, sanctarum virginum et martirum Quirille et Eulalie, de sepulchro s. Lazari. Ista capella postea fuit combusta et destructa, vt infra latius dicetur.

Notet hic lector et sciat, quod non fuit expressus annus, quo predicte capelle a iam dictis pontificibus fuerunt consecrate, sed quia ex circumstantiis aliquibus circa idem fere tempus contigisse coniecturaui, idcirco hic pro memoria, quia spatium scribendi dabatur, inserere curaui.

Venerabilis hic Tegeno abbas dignissimus hominum versucias atque fallacias animaduertens oculos ad[1]) ventura direxit tempora et pericula, que huic monasterio aliquando euenire poterunt, perspexit. Quapropter sollicitis precibus ab ipso archipresule Hermanno ac sorore[2]) eius Richeza Polonie regina ceterisque eorundem amicis huius sacrati loci fautoribus affatim efflagitauit, quatinus huic cenobio, quod generosissimus comes palatinus Erenfridus ac Mathildis eius coniunx legittima fundarunt, per literas cesaree maiestatis sigillo munitas prouideant super bonis temporalibus, que predicti eorum parentes hic libere dederunt, ne forte post mortem ipsorum heredes illa auferant et monasterium suis bonis frustetur atque deo seruientium subsidio in posterum carere contingat. Ipsi igitur prudentibus ac rationabilibus eius acquieuerunt precibus et vna cum ipso ad locum, qui Conphingin dicitur, sunt profecti atque cesaream maiestatem pro tunc ibidem presentem accedentes supplicissime petitiones suas pro hoc monasterio fuderunt. Quorum iustis desideriis Henricus tertius imperator Augustus quam libentissime morem gessit et plura priuilegia huic monasterio dedit, que et proprio sigillo cautissime muniuit, vti latius in ipsis epistolarum exemplaribus apparebit[3]).

Preterea nobilissimus Hermannus fundatorum nostrorum filius et ecclesie Coloniensis archipresul dignissimus, quamuis per priuilegia ab imperatoria maiestate impetrata sufficienti huic monasterio tutela prouidisset, attamen maiori atque superabundantiori adhuc cupiens ipsa a summi pontificis romane ecclesie autoritate

1) Ad fehlt in der Handschrift.
2) In der Handschrift: soror.
3) *Es folgen die Urkunden.*

fulciri canonica, supplicatorias direxit literas ad romane ecclesie summi pontificii moderamina pro tunc tenentem videlicet Leonem nonum, qui equidem, cum adhuc episcopus Tullensis esset Bruno appellatus Ottonem ducem Sweuorum fundatoris filium hoc in loco sepeliuit. Quibus in literis eximio animi tripudio se eius quam maxime congratulatum fuisse honori magnifice eius captando beneuolentiam protestabatur. Dehinc gratiam ipsius summo cum desiderio efflagitauit, quatinus huic cenobio, quod optime nouerat a parentibus suis fundatum, in posterum contra fraudulentas humane calliditatis machinationes prouideret ac priuilegia ab Henrico tercio imperatore concessa confirmaret etc. Cuius profecto precibus diuus Leo dominici gregis pastor pietissimus romaneque basilice pontifex supremus benignissime annuit, vti superius habetur.

## De obitu Hermanni archiepiscopi Coloniensis ecclesie etc. et Annone archipresule eius successore.

Venerandissimus archipresul Hermannus fundatorum filius multis[1]) claruit in vita sua virtutibus et presertim ecclesiis dei depauperatis siue ruinam minantibus succurrere satagebat, ut cronica Coloniensium attestatur. Hic etiam instituit celebrari festum sancti Vdalrici episcopi in ecclesia Coloniensi propter hoc miraculum precipue, quod narratur de ramusculo, quem pater suus Erenfridus olim contra nature ordinem in manibus eiusdem sanctissimi antistitis efflorentem et provectum collegerat.

Tandem postquam viginti annis ecclesie Coloniensis archipresulatus dignitatem pacifice ac laudabiliter respexisset, diem clausit extremum altera die Scolastice virginis anno istius abbatis Thegenonis sexto, anno autem incarnationis dominice millesimo quinquagesimo sexto, sepultus honorifice in summa Coloniensi ecclesia scilicet beati Petri apostolorum principis, cui vir magne reputationis Anno nuncupatus de Dassele oriundus et prepositus Goslariensis[2]) existens in regimine successit[3]).

1) Handſchrift: multa und etwas weiter depaupertatis.

2) In der Handſchrift ſteht: soslariensis.

3) Es folgen Urkunden über die Schenkung von Clotten an das Kloſter Brauweiler von Seiten der Königin Richeza.

## De secunda dedicatione huius monasterii per archiepiscopum Coloniensem Annonem.

Anno autem millesimo sexagesimo primo cum renouatio monasterii per Richezam reginam inchoata et sollicitata iam opus perfectum haberet, prefatus Tegeno abbas venerabilis reuerendissimum dominum archiepiscopum Coloniensis ecclesie scilicet Annonem supplicaturus accessit, quatinus ad nostrum monasterium eius dedicationem expleturus aduenire. Qui protinus eius desiderio libens acquieuit et cum Egilberto Myndensi episcopo huc properans eiusdem monasterii dedicationem secundam sub veneratione sanctorum confessorum Christi Nicolai scilicet et Medardi anno domini millesimo sexagesimo primo indictione XV tertio kalend. Nouembris consummauit et istas reliquias in summo altari recondidit, de arundine, de sepulchro, de clauo, de spongia, de vestimento, de ligno sancte crucis, de sanguine domini nostri Jesu Christi, de capillis s. Marie, de barba s. Petri, de s. Andrea, de s. Jacobo, de s. Bartholomeo, de brachio s. Philippi, de duodecim apostolis, de corpore s. Stephani protomartiris, de corpore s. Pancratii martiris. Reliquie sanctorum Primi et Feliciani, Clementis pape et martiris, Vincencii martiris, Sebastiani martiris, Ciriaci martiris, Alexandri, Euencii et Theodoli martirum, de sanguine s. Georgii martiris, Viti martiris, Quirini martiris, de corpore s. Apollinaris martiris, Eustachii martiris, Hermetis martiris, Cosme et Damiani martirum, Kiliani martiris, Cipriani martiris, Joannis et Pauli martirum, dens s. Nicolai et alie reliquie ipsius, dextera scapula s. Medardi episcopi et reliquie sanctorum Seruacii, Maximini, Eucharii et Ambrosii episcoporum, Nicecii episcopi, de costa s. Benedicti abbatis, Agnetis virginis et martiris, Gertrudis virginis, Praxedis virginis, Felicitatis martiris, Lucie virginis et martiris ...[1])

Eadem vice ipse venerabilis archiepiscopus Anno adhuc tria altaria consecrauit, scilicet altare s. Petri apostoli in septentrionali parte ecclesie situm, in quo he reliquie fuerunt posite: de sudario domini, de vestimento beate Marie virginis, de vngulis sanctorum apostolorum Petri et Pauli, de capillis eorum, de sanctis Laurentio, Dionisio, Rustico, Eleutherio, Anastasio, Genesio, Mar-

1) Das Prädicat fehlt.

cellino et Petro martiribus, Sixto[1]) papa et martire, Vrbano papa et martire, Martino episcopo, Felice confessore, de sanguine et capillis Corone virginis, de s. Columba virgine. Nota, quod istud altare iterata vice consecratum est in honore omnium apostolorum, vt infra latius explicabitur.

Altare vero meridiane partis dedicatum est in honore s. Joannis baptiste, in quo he reliquie continentur, scilicet de vestimento domini, de loco ascensionis domini, de s. Joanne baptista, de sanguine s. Heymoneranni episcopi et martiris, de sanguine s. Quirini martiris, Stephani prothomartiris, s. Mauricii et sociorum eius, de digito s. Crispini martiris, Magni martiris, Sulpicii confessoris, Agricii confessoris, Treuirorum episcopi, Cecilie virginis.

Altare autem occidentale dedicatum est in honore sancte et indiuidue trinitatis et victoriosissime crucis domini nostri Jesu Christi et beatorum apostolorum Petri et Andree, in quo continentur he reliquie, scilicet de arundine, qua percussus est dominus, de ligno s. crucis, de calciamentis Clementis primi Metensis episcopi, reliquie s. Philippi apostoli, de sanguine s. Gengulphi martiris et s. Jheronimi confessoris, s. Brigide virginis, s. Nicecii Treuirorum archiepiscopi, de presepio domini nostri Jesu Christi.

Aliud quoque monasterium eiusdem deo deuotissime domine regine sumptibus constructum est per Alberonem Werzeburgensem episcopum in loco, vbi s. Kyliani sociorumque eius sacrum extat martirium, vtpote cuius episcopium ex eiusdem gloriosissime regine numerosa familiarum clientela cum omnibus, que ad oppidum Salzo pertinent, regia prorsus munificentia adauctum est.

Fecit etiam ipsa venerandissima regina construi capellam in pago Clottenensi pro commodo suo, vt cum ibidem moram traheret, absque tumultu populi missas ad nutum suum celebrare faceret, quas deuotissime audire posset. Que capella, vt in antiquis literis habetur, vocatur reclusorium dominarum et hoc (vt opinor) ideo, quia cum ibidem missa celebrabatur, ipsa cum pedissequis suis ac reliqua familia intus existens, capella claudebatur, ne[2]) multitudo populi eam cum sua familia in deuotione deo vacantem tumultibus distraheret siue perturbaret, et vt superius

1) Die Wörter Sixto bis Felice confessore ſtehen in der Handſchrift alle im Genitiv.
2) In der Handſchrift ſteht: vt.

manifeste narratum est, quod post obitum fratris sui Ottonis Sweuorum ducis se suaque omnia deo et s. Nicolao tradidit, attamen Clottenum, quoad uiueret, sibi in feudum reseruauit, ita vt post mortem eius omnia, que ibidem habebat, libere ad vsum ac dominum, monasterii nostri cederent. Et ergo hic attende, quod hec capella non est filia matricis ecclesie neque eius sumptibus constructa, sed sumptibus deo deuotissime Richeze regine.

Preterea prefatus archiepiscopus, ita vt erat pontificalibus infulatus indumentis, secunda iam vice, vt ipse fundationis nostri monasterii compilator sub nomine saluatoris nostri Jesu protestari probatur, coram prenominato glorioso presule Mindensi et Richeza regina ceterisque non minoris gradus quam pluribus proceribus vniuersa predia huic monasterio a fundatoribus collata et specialiter inter alia nominatim Clotteno exprimens banno suo confirmauit, vt conscriptor libelli fundationis monasterii nostri testatur, qui tunc presens fuit et audiuit. Ceterum quod hic iam secunda vice contigit confirmari scripta (sic) reperire non potui, sed quod hic simul in literis circa reliquias reconditis inserta sint pie opinandum relinquitur. De prima vero confirmationis vice tale priuilegium eiusdem domini Annonis ante quatuor annos datum super decimis vestimentorum, lodicum, mellis et cere, que regina Richeza contulit monasterio Brunwylre, in cista conuentuali diligenter iuclusum custoditur[1]).

Postquam itaque iste venerabilis abbas Tegeno tredecim annis digne ac laudabiliter prefuisset, demum ab omnipotenti deo remunerandus ad eternam beatitudinem vocatur spiritum tradens in vigilia epiphanie domini anno eiusdem domini nostri Jesu Christi millesimo sexagesimo tertio nonis Januarii. Fuit profecto et est hic venerabilis abbas admodum recommendabilis, vt relucet perspicue ex eius actibus. Nam quante experientie fuerit in causis secularibus, quante sagacitatis ac prouidentie in cauendis futuris monasterii nostri incommodis, diuersa priuilegia ipso sollicitante per proles fundatorum presertim Hermannum archiepiscopum ac Richezam reginam ab imperatore et summo pontifice impetrata liquida perhibent testimonia.

Epi..dion in mortem Tegenonis abbatis:

---

1) Es folgen Urkunden.

Quur (sic) Brunwylre gemens suspiria ducis ab imo
Pectore, que tanti causaque faxque mali est?
Seua Tegenonis Lachesis quia stamina vite
Rupit, in hac abbas qui vigil ede fuit;
Hoc ego non possum tam dulci orbata parente
Non querulos tristi promere corde modos.
Ah seclude tua mestos ex mente dolores,
Non es enim tanto tu spoliata patre,
Nam paradisiacas quamuis conscenderit arces,
Non tamen hunc liquit destituitque gregem,
Ast illum e rutilo semper tutatur Olimpo,
Ne fiat rabidis esca voranda feris,
Auxilium inde tuis solitum fert patribus, inde
Ordinis augmentat pignora chara tui,
Hinc procul ergo dolor, procul hinc lamenta serescant
Et redeat celeri leta Camena pede.

**Wolfhelmus**[1]) tertius abbas (qui viginti octo annis prefuit)

et

**Herwicus**, quartus abbas (qui duobus annis prefuit).

Post sepulturam beatissimi patris Wolfhelmi abbatis tercii us congregationis fratres in vnum capitulariter collecti secun- n viam iuris procedentes vnanimiter elegerunt Herwicum vi- ı vtique multis virtutibus insignem. Qui postquam ab Her- ino Coloniensium archiepiscopo iuxta priuilegiorum nostrorum nam gratis confirmatus fuisset, omnibus modis totisque viribus ; loco prodesse studuit, immo diuersis sanctimonie insignibus cessoris sui sectatus vestigia clarus effulsit. Ceterum iuxta illud ientis dictum placens deo factus dilectus et viuens inter pecca- s translatus est; raptus est enim, ne malicia mutaret intellec- ı eius aut ne fictio deciperet animam illius, fascinatio namque acitate obscurat bona et inconstantia concupiscentie sensum siue icia.[2]) Consummatus in breui expleuit tempora multa, placita n deo erat anima illius, propter hoc properauit educere illum medio iniquitatum, populi autem videntes et non intelligentes

1) Das Leben des Wolfhelm ist verschiedene Male gedruckt bei Surius, Fahne onik von Gladbach) und kann hier fehlen: cf. Die Benedictiner-Abtei M.-Glad- von Eckertz und Noever p. 120. — 2) Die Stelle ist wohl corrumpirt

nec ponentes (sunt) in precordiis talia etc. Videbunt enim finem sapientis et non intelligent, quid cogitauerit de illo deus et quare minuerit eum dominus. Hic enim venerabilis abbas, vbi duobus annis abbaciali dignitate laudabiliter functus fuisset, diem clausit extremum anno videlicet virginei partus millesimo nonagesimo tercio ipso die sancti Huperti Tungrensis episcopi. Sepultus autem est in ipsius templi nostri corpore ante viuifice sancte crucis altare, super cuius immatura morte fratres doluerunt non minime.

Epitaphium Herwici abbatis.

O nimis atra dies nigroque notanda lapilla,
Qua tulit Herwicum mors violenta patrem,
Viuere millenos quem non potuisse per annos
Cum cunctis vulgus fratribus omne dolet;
Illius hoc meruit morum dulcedo bonorum,
Integritas vite candor et ingenii,
Nam pius, humanus, placidus, mansuetus, honestus,
Deuotus, clemens atque benignus erat.

**Adelbertus** de Luctzenrade, quintus abbas

(qui prefuit quatuor annis).

Dehinc canonice electus fuit quidam nomine Adelbertus vir eerte omni honestate atque sanctitate famatus vndique. Qui licet dignitatem abbacialem renuerat acceptare, attamen vbi se archiepiscopo Coloniensi presentasset, post diuersa consolationis verba de fructuoso animarum regimine tandem assensum prebens etiam munus benedictionis iuxta priuilegiorum nostrorum tenorem gratis reportauit. Hic prudens vir adeo affabilis et exemplaris in conuersatione sua refulsit, vt locum hunc bone ac laudabilis fame redolentem faceret atque multos potentes ac nobiles suo exemplo ad iugum religionis acceptandum alliceret.

Eadem tempestate summus pontifex Vrbanus secundus, qui monachus nostri ordinis in Cluniacensi cenobio ante fuerat, celebrato consilio in Gallia in ciuitate scilicet Claremontensi horas beate virginis primo instituit et cunctos Christi fideles ad peregrinationem terre sancte Iherusalem inuitauit, post cuius feruentem exhortationem vox totius populi tunc ...mati (quod dictu *est mi*rabile) vnico, vt apparuit, ore prolata intonuit: deus vult,

eus vult. Ad quam vocem summus pontifex subiunxit: viri fortes a, que dominus in os vestrum posuit verba, vobis in bello pro essera erunt, et ituros ad bellum signo s. crucis se muniendos nte pectus mandauit.

Dehinc infra breve spacium temporis trecenta hominum milia id opus deuota itineri se accinxerunt, interea cruce signati rincipes diuersis viis iter versus Constantinopolim sunt ingressi, uorum omnium primus Petrus quidam heremita, cui Godefridus Eustachius et Baldewinus fratres cognomine Bolionii, qui comites erant Bononie Gallice et alii potentissimi se illis itineris socios addiderunt. Item Hugo magni Philippi Francorum regis frater et Robertus Flandrie et Stephanus Carnoti comites per Italiam iuerunt et Romam venientes visitatis sacre vrbis locis et Vrbani summi pontificis benedictione accepta profecti sunt, queratur alibi in cronicis. Eadem tempestate quam plures quoque ex istis Germanie partibus deuotione moti ad idem opus peragendum confluxerunt. Hinc vir quidam nobilis maioris ecclesie in Colonia canonicus et thesaurarius ibidem ardore deuotionis accensus ad terram sanctam proficisci disposuit, sed prius in hoc monasterio aliqua suorum temporalium bonorum delegauit, videlicet duo curtifera cum centum et septem iurnalibus in villa Geuerdorph et domum vnam in Colonia, super quibus tales literas idem vir deuotus Frumoldus nomine cum consensu archiepiscopi Hermanni nobis impetrauit, que quidem tali erant condicione conscripte, vt si ea vita comite redire contingeret, locum in hoc cenobio omnipotenti deo seruiendi iuxta communem ordinis regulam obtineret.

Sequitur copia literarum archiepiscopi desuper confectarum:

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris fidelibus. Quia ego Hermannus ertius s. Coloniensis ecclesie dei gratia archiepiscopus vtilitati eruorum dei consulere statuens per omnia, vt eorum precibus liquando intrare merear domini mei gaudia, petitionibus Frumoldi inisterialis nostri libentissime annui, immo vt bonum affectum roficerem in effectu frequenti hortatu obtinui, scilicet quoniam eredibus carebat terrestribus, qui postmodum in eterna ipsum ecipiant tabernacula, vnde pro anime sue remedio tradidit preium suum deo sanctoque Nicolao in Brunwilre cenobio ea conicione, vt neque vlli heredum eius alicui liceat inde aliquid

prestare cuiquam aut donare, sed ad fratrum illic deo seruiencium necessitatem fideliter conseruare. Est autem eiusdem predii quantitas centum et septem morgana apud villam Geuerestorph, duo curtifera in eadem villa, vnum desertum, alterum edificiis refertum, tercium in vrbe Colonie itidem honeste constructum. Et quia sibi menti fuit sepulchrum domini Iherosolimis visitare, non potuit prius vt cupiebat seculo renunciare, quam hoc si deo placeret vellet implere. Ad quod iter peragendum, quia sufficiens non erat sibi sumptus, tres marcas purissimi auri et decem argenti in auxilium sibi contulit abbas, qui illo tempore prefuit cenobio Adelbertus. Eadem ergo die et hora, qua hoc deo sanctoque dedit Nicolao, pollicitus est, quod si vita comite fuerit reuersus, in eodem cenobio futurus sit monachus. Hoc ergo pacto quod sibi fuit dedit et comes Theodericus desuper altare accepit et abbas Adelbertus fratrum vsui, immo ipsis fratribus donauit. Insuper et sibi prebendam iuxta communem monastici ordinis regulam dedit, super quo ipso petente hoc cyrographum conscribi et sigilli nostri impressione placuit nobis illud insigniri, vt si ex his aliquid memoria excesserit vel mutatum fuerit aut (propter) itineris ipsius dilationem aut alterius abbatis successionem conseruato vtriusque cyrographo quod diffinitum est ratum et inconuulsum manere possit presentis cartule scripte. Cui deuote tradicioni si quis vnquam contrarius aliquid de predicto predio concupiscens vsurpauerit, inuaserit vel sibi vsurpare petierit sive emerit, concupitor (sic), vsurpator, inuasor, petitor, emptor, dator et omnes complices et socii eorum ac consocii ex autoritate omnipotentis dei et beate Marie semper virginis omniumque sanctorum nostri anathematis telo percussi vereantur excommunicationem et a societate s. ecclesie omniumque fidelium segregationem, istud vinculum sit in isto et in futuro seculo insolubile, nisi digna resipiscentium soluatur penitudine; pridie kalendas Januarii facta est in Brunwylrensi monasterio huius predioli solemnis donatio sub predicti comitis Theoderici eiusdem loci aduocati, fratrum ac familie testimonio, quinto autem idus Januarii facta est apud Coloniam eiusdem dati confirmatio sub totius pene vrbane plebis testimonio. Insuper et hi huius rei testes sunt Ezo, Hermannus dei gratia archiepiscopus, cuius permissu et industria hec facta *sunt* omnia. Frumoldus ipse qui dedit, Theodericus abbas, qui

suscepit, Adelbertus abbas, qui possedit, Hermannus comes, Adelbertus comes, Arnuldus pretor vrbanus, Euerhardus aduocatus, Hermannus aduocatus, Otto, Emelricus etc. vt diximus perplures et pene numerum excedentes. Acta sunt hec anno dominice incarnationis MXCV, indictione III, imperante Henrico quarto[1]), regnante autem domino nostro Jesu Christo, cuius regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

Preterea in maiorem roborationem idem venerabilis Fremoldus per se instrumentum composuit, quod proprio sigillo muniuit, quo etiam que prefata sunt per omnia approbauit etc. Qui a terra sancta rediens preciosas sanctorum reliquias secum detulit, quas huic monasterio tribuit. Idem quoque mox, vt reuersus fuerat, seculo renuncians hic habitum religionis iuxta labiorum suorum vota induit atque laudabilem vitam ducens boni exempli exhibitione alios attraxit. Ceterum vt finis habeatur, vir iste prudens abbas Adelbertus domino deo volente mortis debitum soluit, postquam honorifice quatuor annis tribus mensibus minus animarum regimini hic prefuisset, anno videlicet nostre salutis millesimo nonagesimo septimo kalendas Septembris, hoc est ipso die beati Egidii abbatis confessoris Christi, cuius sepulture locus nescitur.

Epitaphium domini Adelberti quinti huius monasterii abbatis:

Virginis intacte post partum et ab orbe redempto
Mille annis nonaginta septemque peractis,
Quando erat in foribus sancti venerabile festum
Aegidii, istius vigil et generosus ouilis
Pastor Adelbertus tenuem vir prorsus ad vnguem
Factus ab infirmi tenebrosa corporis aede
Ad rutili gaudens preclara palatia coeli
Scandit cum Christo semper victurus in euum.

## Wetzelo siue Wetzelinus, sextus abbas

(qui vndecim annis prefuit cum septem mensibus.)

Wetzelinus dehinc vnanimiter a fratribus electus in pastorem et rectorem animarum huius cenobii quam primum ad archiepi-

1) In der Handschrift steht: tercio.

scopum Coloniensem angustias mentis super tam grauissimo onere sibi imposito manifestaturus profectus est. Cui archiepiscopus Hermannus tertius dies cognominatus admodum compassus est, presertim quia iam in breui temporis spacio spectabilibus viris abbatibus dignissimis hoc monasterium perpendebat orbatum, denique istum virum eloquentem atque prudentem animaduertens eidem munus benedictionis iuxta priuilegiorum nostrorum literas conferens gratis consolatum abire permisit. Hic venerabilis abbas eundem archiepiscopum sua affabilitate inflexit, vt sibi consentiret, vt nouale facere posset infra siluam sui pontificatus dominio attinentem, que vulgariter Bram vocitatur, ad vnum mansum sufficiens. Quod equidem archiepiscopus prefatus libens admisit, ea tamen condicione, vt prebenda fratrum inde augmentaretur. Insuper et decimam de ipso nouali s. Nicolao et fratribus hic deo die noctuque seruientibus ob salutem anime sue tradidit sub Henrico tercio imperatore. Istius quoque abbatis tempore prefati principes deo amminiculante superatis infidelibus cum maximo labore ceperunt totam terram sanctam et ipsam potentissimam ciuitatem Jherusalem, de qua quidem victoria sequentes extant versus ipsum tempus denotantes:

Anno milleno centeno pretereunte
Jherusalem Franci capiunt virtute potenti
Post annos mille centeno quo minus vno,
Ex quo virgo grauis vi Jherusalem superatur
Idibus in Julii subiit iuga Christicolarum.

Opportunissime quidem hec victoria ipso die diuisionis apostolorum Christi contigit, vt sic correspondenter ipsi infideles dispergerentur in omnem ventum et sonus eorum audiretur per vniuersum orbem. Et quamuis in isto bello plurimi principes decertarent, attamen soli Godefrido Lotharingie comiti de castro Bouil[1]) victoriam vendicarunt, eo quod primus murum Jherusalem ascenderit et ceteris viam fecerit. Hinc et ipsum vnanimiter in regem acclamarunt. Gestatus itaque ducum atque comitum humeris ad sacrosanctum domini nostri Jhesu Christi sepulchrum Godefridus inter missarum solemnia accuratissime celebrata rex Jherosolimitanus est appellatus. Sed vir eximius dominium vrbis, quod

1) *Bouillon.*

tanta principum populorumque Christiane expeditionis concordia oblatum erat accepit, regni vero titulum et insignia ideo se nolle dixit, quia indecens erat nephariumque, diadema aureum homuncionem et peccatorem capiti imponere ea in vrbe, in qua saluator mundi eternus rex spineam suo sacratissimo madentem sanguine coronam gestasset.

Anno autem vno post captam Jherosolimam idem Godefridus rex febri correptus moritur, cui Baldewinus frater eius secundus in regno successit. Qui non sicut frater eius dominus sed rex creatus etiam regalibus insignibus[1]) vsus fuit. Ad domini autem Godefridi sepulchrum tale epitaphium appensum fuit:

Francorum gentis Sion loca sacra petentis
Mirificum sidus dux hic recubat Godefridus,
Egipti terror, Arabum fuga, perfidis (?) error,
Rex licet electus rex noluit intitulari
Nec diademari, sed sub Christo famulari,
Cuius erat cura Sion sua reddere iura
Catholiceque sequi pia dogmata iuris et equi
Totum scisma teri circa se iusque foueri,
Et sic cum superis potuit diadema mereri
Milicie speculum, populi vigor, anchora cleri.

Ordo Cistertiensis quoque in Burgundia a Roberto religioso abbate primitus ortum habuit anno scilicet domini MXCVIII, quem ordinem Vrbanus papa prefatus sub diui Benedicti abbatis regula multis tamen additis constitutionibus confirmauit etc. Venerabilis domina Sigewiz dedit monasterio nostro multa predia sita in pago nostro Wedersdorp penultimo scilicet anno vite istius abbatis, de quibus videatur cartula sub lit. E nono, coram archiepiscopo Coloniensi. Moritur hic venerabilis abbas, postquam vndecim annis cum septem mensibus laudabiliter prefuisset, anno videlicet incarnationis dominice millesimo centesimo septimo idibus Marcii. Sepultus autem est in corpore ecclesie.

### Epitaphium domini Wetzeli huius monasterii sexti abbatis.

Ossa Wetzeli tegit hoc sepulchrum,
Qui domus annis vigilanter huius

1) Die Handschrift hat: insigniis.

Vndecim vafra sine fraude rexit
Sextus habenas;
Illius clemens anime perhennem
Christe concedas requiem precamur,
Vt sit a poenis Stigii ruentis
Libera Auerni.

## **Euerhardus** primus, septimus abbas
(qui tredecim annis prefuit).

Euerhardus huius monasterii primus post Wetzelinum in huius monasterii abbatem electus et ab archiepiscopo solito more confirmatus studuit omnimode huic loco in singulis prodesse. Quapropter et gratiam coram eodem archiepiscopo Friderico promeruit, vt hoc clarius in cambio quodam cum ipso facto ex cartula sequenti patebit.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Fredericus s. Coloniensis ecclesie dei gratia archiepiscopus. Qui circa dominicum gregem credita nobis ab ipso domino dispensatione fungimur, cura solerti prouidere debemus, vt seruis dei ad temporales vsus antiquitus destinata subsidia prudenter administremus, quatinus ipsarum ecclesiarum antiquos redditus vel fixos in eodem statu detineamus, vel si ita res exigit, commutatione in melius facta in fratrum nostrorum dilectorum rebus, prout facultas suppetit, ad augendum sumus cautissimi, sic[1]) profecto cum dominus, qui peregre profectus venerit et rationem nobiscum ponere ceperit, audire merebimur: Euge serue bone et fidelis supra multa te constituam: intra in gaudium domini dei tui. Ad hunc nimirum tam iucundum eterni gaudii introitum omni prout diuina pietas annuit intentione suspensus inter cetera, quibus anime mee remedio prospexi, fratribus dilectis meritis religiosis ac deuotis, qui in cenobio s. Nicolai episcopi, quod in villa Brunwylre fundatum est, diu noctuque deo deuotissime ac constanter deseruiunt, quoddam de suis redditibus vtile concambium prouidi, vnum siquidem allodium eorum in villa, que Vrtine dicitur, propter nimiam distanciam aliquantulum eis inutile Godefrido duci Louaniensi propter fidem tempore persecutionis beato

1) Das Wort ſteht in der Handſchrift doppelt.

Petro exhibitam iuxta consilium optimatum nostrorum in beneficium prestiti, quod eis cum longe viciniore et vtiliore allodio commutaui. Nam curiam episcopalem, quam peculiariter possedi in villa, que Wistuppe dicitûr, cum omni, qua ipsemet eam vtilitate possederam, s. Nicolao in vsum ipsorum fratrum perenniter liberrime tenendam tradidi, excepto inde nonalis transitus seruicio. Hanc traditionem firmissimam fideli nostro charissimo religioso viro Euerhardo eiusdem cenobii abbati religiosisque fratribus suis deo sub eius obedientia militantibus cum tanta diligentia factam si quis profanus sueque immemor salutis quibuscunque malis actibus mutare vel euacuare tentauerit, perpetuo anathemate execrabiliter feriatur, etc.

Eiusdem gratiosi domini archiepiscopi quidam ministerialis Gozbertus nomine bona sua temporalia (que in pago Bullenescheim iure hereditario possidebat) pro remedio anime ac suorum parentum huic monasterio cum consensu predicti archiepiscopi donauit. Qua de re cartula habetur in cista priuilegiorum sub litera L primo eiusdem reuerendissimi archiepiscopi sigillo munita etc.

Hic idem deuotus archiepiscopus religiosis plurimum inclinatus fuit, vnde et monasterium Kempense ordinis Cistertiensis primo fundauit nec non monasterium Roleswerde. Sub isto abbate ordo Premonstratensium inicium habuit in diocesi Laudunensi a quodam deuoto viro Norberto nomine de Colonia Agrippina oriundo.

Iste quoque venerabilis dominus abbas deuotione ductus conscribi fecit legendam siue vitam beati Wolfhelmi huius monasterii tercii abbatis per fratrem huius cenobii Conradum nomine.

Hic venerandus abbas concessit, vt edificaretur ecclesia in Glessen, quam reliquiis sanctorum, vestimentis sacerdotalibus et libris monasterii s. Nicolai episcopi honorauit, cui capelle pastor de Kirtorp a predicti monasterii abbate ordinatus semper prouidet etc.

Fuit etiam vir magne ac timorate conscientie, nam cum plures haberet ecclesias conferre regendas, conscientie stimulo ductus, (ex eo quod ethimologia monachi sonat idem quod singularis siue solitarius) timuit fratres suos ecclesiis preficere, vnde et consuluit super hac re eruditum ac famosum virum Rupertum mona-

Tuitiensis abbatem, qui tali ei in cartula (vt sequitur) remisit responsum:

Euerhardo dei gratia venerabili ac religioso Brunwilrensis cenobii abbati salutem et omne gaudium in consolatione spiritus sancti. Vetus et longa querela, reuerende pater, quorundam clericorum ista est, quam dicitis, scilicet cur monachus, cum sit seculo mortuus, audeat vsquam officium subire predicandi, baptizandi, communionem dandi, penitentes absoluendi. Et quidam interdum de scriptis venerabilium patrum exempla vel decreta proferunt, quibus probent, quod hec facere monachus de iure non posset, exempli gratia gloriosus Iheronimus ait monachum non docentis habere officium sed lugentis et cetera huiusmodi. Quare non opus est super his trahere contentionis funiculum, quin immo concedimus eis, qui hec dicunt non nisi clerico docendi vel predicandi permissum esse officium. Verumtamen Iheronimus gloriosus idem cum fuerat monachus, non tantum loquendo, verum etiam scribendo docentis exercuit officium. Querimus ergo ab illis, quomodo sibi contrarius non sit. Quod si dicere non poterunt, querimus ab illis, quid clericatus sit. Si recte sentiunt, non aliud clericorum clericatum esse decretum quam altaris officium sp.... interpretationem nominis. Cleros namque grece, sors dicitur latine, inde clericatus id est sorticio et clericus i. e. sortitus eo quod de sorte domini sit vel quod altare domini sit sors eius. Qui enim altari seruiunt (ait apostolus) de altari et viuent, Iheronimus autem gloriosus eiusdem sortis extitit, sacerdos enim fuit. Ergo non tantum monachus, verum etiam clericus erat. Itaque sibimet contrarius est, dum dicit monachum non docentis sed lugentis habere officium, attamen illud dicit de monacho, qui tantummodo monachus et non etiam clericus vel sacerdos est. Nam monachus si clericus fuerit, docere illum oportet. Hinc idem gloriosus Iheronimus in quadam epistola scribens cuidam matrone, que Salunina nuncupatur, dicit: cur ad eam scribimus, quam ignoramus? Nimirum quia pro officio sacerdocii omnes Christianos filiorum loco diligimus et profectus eorum nostra est gloria. Idem sentiendum de illo pii pape decreto, qui monachum, quantumcunque literatus sit, predicare prohibet, hoc namque de illo intendit, qui solummodo monachus est et officium altaris non habet. Quo *modo predica*bunt, nisi mittantur? Qui autem in clericum vel

sacerdotem non est ordinatus, missus ad predicandum non est. Idcirco qui officium altaris non habet, predicare non debet, summam igitur dignitatem cum humilitate quisquam nostrum aduersus huiusmodi.... recognoscat et dicat, cur me non permittis in medio ecclesie aperire os meum? Duplici portione maior quam tu ego sum. Ceterum tu clericus tantum, ego autem et clericus et monachus sum. Maria virgo et Joannes virgo, sed maior proportio in Maria, nam Joannes tantummodo virgo, Maria autem et virgo et mater extitit, sic tu tantummodo clericus, ego autem et monachus et clericus sum. Sed dicis mihi, quia mortuus sum seculo, responde, queso, mihi, tu autem viuis? Ergo mortuus es deo? Perpende melius, quia ..... non omnes erant monachi, quibus apostolus dicit, mortui enim estis, sed mortui secundum dictum illud sunt omnes Christiani, quia in morte Christi Jesu sunt omnes baptizati. Plura, venerabilis pater, nunc de hac re loqui negocium aliud nos prohibet, maxime quod de hac re olim fecimus opusculum, quod nunc ad manus non habemus, vt charitati vestre mittere possimus. Valete in domino Jesu omnium creaturarum factore etc.

Certe hic pater venerabilis Rupertus nuncupatus ante monachus professus fuit in diocesi Traiectensi in cenobio s. Laurencii ordinis diui Benedicti, quod quidem Oysbroch vulgariter nuncupatur, qui propter maximam literarum scienciam ab illustri Friderico Coloniensium archiepiscopo vocatus et in abbatem Tuitiensis monasterii sublimatus fuit. Hic etenim vir illo in tempore maxime fame propter excellentissimum ingenium suum habitus fuit, multa preclara opuscula composuit, primo namque scripsit ad Cunonem abbatem Sigibergensem postea episcopum Ratisponensem effectum libros XXX de victoria verbi dei, in genesim libros nouem, in cantica canticorum libros septem, in librum s. Job libros decem, in libros regum de Dauid libros XV, de s. trinitate in vetus testamentum libros XLII etc., plures alios in bibliam et in regulam s. patris nostri Benedicti. Sufficiunt hec pauca de multis.

Iste quoque venerabilis abbas Euerhardus secundum priuilegia a fundatoribus huic monasterio impetrata monetam fieri fecit et quod hoc verum sit testis et pater Bartholomeus de Greuenbroch huius monasterii monachus et primus huius operis collector. Cui

(vt ipsemet illo referente audiui) oblatus aliquando denarius fuit, cuius superscriptio ita sonabat: Euerhardus Septimus abbas Brunwylrensis. Qui denarius siue nummus satis bonus argenteus prope Glessen tempore suo vomere e terra euulsus fuerat.

Moritur tandem venerabilis hic abbas Euerhardus, postquam tredecim annis prefuisset anno videlicet dominice incarnationis millesimo centesimo vigesimo penultima Februarii, sepultus autem in corpore ecclesie sub lampade.

## Bertholpus, octavus abbas

(qui quatuordecim annis prefuit).

Bertholphus abbas in regimine huius cenobii Euerhardo primo succedens vir magne prudentie fuit et in negociis secularibus admodum expertus, nam antea officium decanatus respexerat. Hic monasterio per omnia prodesse cupiens comparauit bona temporalia a Philippo et Eustachio viris honestis, que sita sunt in Keueheim et Andresch, videatur cartula sub littera C secundo etc.

Hic etiam quodam tempore Lotharium Romanorum regem Nussie moram trahentem accessit cum monasterii huius amicis postulans, quatinus nostro monasterio iusticiam faceret super violencia nostris ministerialibus a Pyrnensibus illata, qui vetuerunt porcos nostros in sylvam contra Pyrnam sitam contra ius nostrum a venerabili domina Aluerada cum suis liberis concessum pascendos introduci. Cum itaque causa bene discussa coram consiliariis regis fuisset, ius, quod hereditario iure in predicta silua habueramus, adiudicantes nobis vendicarunt. Insuper ipse rex magnificus banno suo confirmauit sub pena in ipsa priuilegii cartula descripta, requiratur sub lit. P. quinto. Iste quoque venerabilis abbas infestationes sustinuit a quibusdam archiepiscopi Coloniensis ministerialibus, qui nostro monasterio siluam, que Asp dicitur, vulgariter surripere conabantur, sed per Brunonem tercium s. Coloniensis ecclesie archiepiscopum prohibiti sunt, sicuti carta ab ipso archiepiscopo sigillo munita probare videtur etc., queratur sub lit. K. primo etc.

Iste abbas ad beatam virginem singularem deuotionem habuit, vnde et singulis sabbatinis diebus missam de ea in albis cantari fecit et quendam ministerialem suum ad hoc induxit, vt quia

heredibus careret illuminationem de suo patrimonio beate Marie virgini in cripta nostra procuraret, quod idem familiaris Berengerus libens annuit et pro remedio anime sue suorumque parentum huic monasterio vnam domum et duos iurnales terre in Synteren delegauit, vt sub litera R primo carta testatur etc.

Istius abbatis tempore corpus s. Mathie apostoli Treuiris sub altari beati Joannis baptiste inuentum est. Sub ipso quoque multa mirabilia contigerunt. Nam anno domini MCCXXVIII multi homines in occidente sacro igne accenduntur membris [1]) instar carbonum nigrescentibus, quamobrem multi eorum ad yconam beate Marie virginis in ciuitate Suuessiorum sitam conuenerunt, vbi diebus paucis misericordiam dei et beate Marie virginis prestolantes salutem consecuti sunt. Sanguis illo in tempore idibus Julii in agro Emiliano et Flammineo pluit et apud Rauennam et Parmam, que res plurimis terrori fuit. Item porca quedam in Linginensi parochia (teste Vincentio Galla) enixa est porcellum [2]) hominis faciem habentem. Eodem anno pullus galline quadrupes natus est, monstrum quoddam gemini corporis mulier peperit ante habens faciem hominis retro canis. Acies ignee apparuerunt in celo, que per totum celum [3]) sperse plurima parte noctis vise et stelle perplures de celo in terram cecidisse vise sunt et superfusa aqua fumus cum sono exibat, luna intempesta noctis stellis lucentibus ecclipsim passa est et versa in colorem sanguineum. Terre motus preterea in Ytalia multis in locis quadraginta dierum spacio perdurauit. Ista omnia fere circa id tempus contigere. Hiems etiam asperrima fuit, quam statim valida fames subsecuta est ac hominum mortalitas luesque animalium agrestium et domesticorum strages quoque auium mutuo concertantium extitit. Illo quoque in tempore mortuus est Joannes de temporibus nuncupatus, qui magni Karoli armiger extiterat et annis trecentis LXI vixerat. Circa idem fere tempus sedicio inter ciues Traiecti inferioris et episcopum eorum, immo inter ipsum imperatorem Lotharium tunc temporis ibidem existentem et episcopum fuit, que quidem sedicio adeo inualuerat, vt episcopus cum suis fugam inire ad monaste-

1) Die Handſchrift hat menbris.
2) Die Handſchrift pocellum.
3) Das Wort ſteht in der Handſchrift doppelt.

rium s. Pauli ordinis diui Benedicti cogeretur, quem ministri imperatoris insecuti plures de episcopi famulis cum impetu trucidarunt, alios vero cum ipso episcopo captiuos duxerunt, sed episcopus tandem se ipsum a custodia per fugam absoluit etc. Non multo post eadem ciuitas maximum incendium perpessa est. Nam plures ecclesie igne exuste sunt, videlicet s. Salvatoris, s. Joannis, s. Petri, s. Pauli et pars non minima ciuitatis etc. Et cum omnia in ipsis templis existencia ignis consumpsisset, sola quedam crux lignea (quam egomet vidi) illesa in ecclesia s. Saluatoris permansit. Ceterum, vt de isto abbate finem demus, sciendum, quod postquam quatuordecim annis laudabiliter prefuisset et profuisset, viam uniuerse carnis ingressus est penultima Februarii anni videlicet domini M centesimo tricesimo quarto. Sepultus est autem in maiori sepulchro ante altare s. Georgii martiris, super cuius sepulchrum amoto prius lapide fabricatum est altare s. Huperti episcopi.

## Amilius, nonus abbas de Brabancia oriundus

(qui quindecim annis prefuit).

Amilius Bartholpho per legittimam atque vnanimem electionem successit, vir vtique magne sagacitatis, prudencie et affabilitatis. Cum etenim abbacialis dignitatis officio fungeretur, adeo bone fame suaui odore fragrabat, vt multos ad religionem sacram inuitaret. Quod etiam parentes eius percipientes hunc locum ex Brabancia venientes inuisendi filii gratia aduenerunt. Quos equidem (vt dicebat) humaniter tractauit eosdemque mellifluis sermonibus ad hoc induxit, vt seculo cum omnibus pompis relinquentes religionis iugo se subderent. Nam pater eius mox auditis dilecti filii dulcissimis ammonitionibus omnia sua temporalia huic cenobio donauit et huius monasterii conversus effectus est. Similiter et mater mellifluis filii sui verbis allecta conuersa effecta est, nec non soror eius, que vnica erat, cuncta respuens terrena sacrum velamen assumens sanctimonialis est effecta. Hic venerabilis abbas donationem decimarum noualium sua affabilitate a reverendissimo Coloniensi archiepiscopo impetrauit, vti carta sub littera K. secundo cauere videtur. Idem quoque archiepiscopus *domum* quandam cum certis agris super Mosellam sitam donauit,

que Horrenfo vulgariter dicitur, sicuti carta sub C. XIIII sonat luculenter. Idem etiam venerabilis abbas priuilegia nostra, que in Pyrna et Osnich habemus, confirmari per illustrissimum Romanorum regem Conradum sollicitauit. Carta habetur sub P. sexto.

Sub hoc abbate pastor ecclesie de Berchem in palacio archiepiscopali conquestus est de pastore in Kyrdorp propter capellam in Glessen, quod scilicet terminum parochie sue in prefata villa pastor Kyrdorpensis iniuste occupasset, sed tandem controuersia hac diligentissime per capitulum diui Gereonis examinata iudicium contra pastorem in Berchem prolatum et eidem suisque successoribus perpetuum impositum est de hoc litigio silentium, quod iudicium hic venerandus Amilius abbas per quendam Romane ecclesie cardinalem presbiterum et apostolice sedis legatum confirmari fecit.

Sub istius quoque abbatis tempore famatus ille et sanctus Bernardus Clareuallensis abbas claruit, qui tempore scismatis ab Innocentio secundo pontifice Romanorum ad consilium ad ciuitatem Leodiensem vocatus venire quantotius properauit. Qui profecto per dyocesim Spirensem iter faciens tandem ad Coloniam peruenit et innumeris fere miraculis, vt ipsa eius legenda clamat, illo in itinere claruit sanando infirmos variis languoribus detentos, surdos, mutos, claudos etc. Denique cum maxima populi pressura Coloniam egreditur versus nostrum monasterium Brunwilrense, sed nec tunc in via defuerunt miracula, nam duos surdos, antequam nostrum pagum ingrederetur, presente populo Coloniensi sanauit. Ipsi itaque adhuc in itinere existenti huius monasterii tunc abbas Amilius obuiam iuit et magna cum deuotione ac reuerentia comitantibus cunctis fratribus suis altera die s. Pauli primi heremite suscepit. Vt autem templum nostrum ingressus est, mox summa deuocione defixo capite ante summum altare patronum nostrum s. Nicolaum flexis in terram poplitibus erectisque in celum manibus et intimo cordis affectu salutauit atque subnixis precibus adorauit, deinde verbum edificationis nostre congregationis fratribus (vt pie creditur) dixit, siquidem illo in tempore is locus multum insignis ac famatus habebatur propter nobiles et illustres viros in diuersis literarum scientiis peritos, sed postmodum maxima cum reuerentia et apparatu tan

viro congruo tractabatur, fertur etiam firmiter in templo nostro missam celebrasse, sed in quo altari ambiguum est, creditur tamen, quod retro summum altare in altari [1]) s. Joannis euangeliste hanc peregisse, postquam coram eodem altari cecum illuminauit et surdo [2]) suis precibus ab omnipotente deo auditum impetrauit.

Tandem cum sanctorum reliquias, quas hic habemus, maxima cum deuotione perspexisset, huic loco valedixit et oppidum Juliacense petiit, vbi ecclesiam ingressus mulierem claudam erexit et cecum illuminauit. Hinc Aquisgranum profectus est et multis interim miraculis choruscans demum ad Leodium peruenit anno videlicet MCXLIII, vbi summum pontificem scilicet Innocentium secundum iam a Roma profugum et Lotharium tunc nouiter a Germanis in Romanorum regem electum repperit cum multis principibus congregatos. Siquidem illo in tempore maximum in ecclesia dei agebatur scisma inter Innocentium videlicet canonice electum et quendam nomine Petrum Leonis sediciose et ambiciose intrusum. Pro qua profecto scismatis peste propellenda prefatus s. Bernardus plurimo labore insudauit et mirabiliter profecit, vt diuersi cronographi hoc latius scriptis tradiderunt. Eadem tempestate s. Wilhelmus Aquitanie dux, qui Petro Leonis illa in seditione adheserat, tandem predicationibus s. Bernardi conuersus est et de lupo in agnum mutatus. Qui austeram agens penitentiam ordinem nouum inchoauit sub regula tamen diui patris nostri Benedicti et vbi nos legimus in principio regule: „ausculta, o fili", ipsi legunt: „Audi Israel etc." De his omnibus si quis ampliora scire desiderat, legendam eius satis notabilem seu alios cronographos legat etc. Postquam autem principes a Leodio discessissent, reuerendus eiusdem ciuitatis episcopus Alexander nuncupatus deuotione ductus erga s. Nicolaum hunc locum deo sacratum adiit, qui honorifice susceptus est et vbi deuotionem suam erga s. Nicolaum expleuisset et sanctorum reliquias vidisset et congruenti apparatu tractatus fuisset, plurimum edificatus in laudabili fratrum conuersatione discedens hinc Coloniam petiit. Qui deinde gratus super hac re existens quandam decimationem in Alderade huic cenobio contulit.

1) Die Handſchrift hat: altare.
2) In der Handſchrift: surdum.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Alexander dei gratia Leodiensis ecclesie episcopus. Quia diuina cooperante gratia pastoralis cure suscepimus regimina, in procurandis et dilatandis rebus ecclesiasticis institui animum in tempore opportuno per hoc sperans promereri celestis regni gaudium, hinc constitutus Colonie dans operam regali curie beati Nicolai in Bruwylre monasterio animo adii patrocinium habens memoriam, quante fuerit glorie ante deum, cui pro remedio anime mee et intercessionis assidue cuiusdam ville noualis pertinentis ad iusticiam sui abbatis apud Alderaede decimationem contuli in presentia comitum et ministerialium nostrorum et canonicorum beati Georgii martiris, in cuius monasterio huiusmodi collationem Colonie feci. Que res ne presentes et posteros lateat, autoritate sancti Petri et beati Lamberti martiris et nostra confirmamus et inuasores et raptores, complices, delatores, exactores huius rei anathematis vinculo alligamus. Quod nunc et in perpetuum non euadant, nisi beato Nicolao sibi collata restituant etc.

Istius quoque abbatis tempore hoc monasterium regularis discipline vigore fulgebat et vbique famatus et celebris habebatur propter viros vita, doctrina atque fama excellentes. Nam tunc temporis aliorum monasteriorum religiosi fratres hoc audientes passim sibi ex hoc loco fratres elegebant et postulabant, quos sibi in abbates preficiebant, vt patet de religioso patre Albano huius cenobii conuentuali, quem ob laudabilem vite conuersationem literarumque peritiam conuentus monasterii s. Martini in Colonia in abbatem elegerunt ex hoc loco postulantes, fratres etiam in Gladbach elegerunt sibi ex hoc monasterio honestum ac beatum virum Mechinhardum in abbatem[1]). Similiter conuentus Prumiensis postulauit ex hoc loco expertum ac probum virum nomine Gherardum pro decano habendo. Insuper conuentus Sibergensis elegit sibi in abbatem ex hoc cenobio quendam Cunonem appellatum virum insignem et in sacris literis apprime eruditum. Hic postea fuit in episcopum Ratisponensem electus. Nec non fratres monasterii s. Panthaleonis in Colonia elegerunt ex hoc monasterio abbatem scilicet dominum Embricum virum laudabilissimum.

Ceterum vtrum isti omnes abbates sub huius abbatis regimine

1) S. Eckertz u. Noever: Die Benedictiner-Abtei M.-Gladbach, S. 121.

existentes ex hoc loco fuerint postulati an aliis diuersis temporibus, omnimodam non potui habere certitudinem, sed eos, sicut dictum est, hinc electos fuisse duiersi vetusti libri attestantur.

Hic venerabilis abbas consecrari fecit altare s. Michaelis archangeli in maiori turri, quod postea propter organum ibi positum fuit destructum.

Idem quoque abbas consecrari fecit altare s. Martini anno scilicet MCXLI XI kal. Februarii hoc ipso die s. Vincencii martiris per reuerendum dominum Alberonem episcopum Bremensium in honore sancte et indiuidue trinitatis atque gloriosissime semper virginis Marie et precipue in honore s. Martini episcopi Turonensis, sanctorum Benedicti et Egidii abbatum ac Seruacii Willebrordi, Godehardi episcoporum, nec non Mauri, Galli, Othmari, Leonardi atque omnium confessorum Christi.

Istius abbatis tempore claruit illa virgo beatissima Hyldegardis in Alemania apud Bingium, cui tantam diuina virtus contulerat gratiam, vt cum iliterata esset mirabiliter tamen rapta in somnis disceret non solum, quod verbis effunderet, sed quod scribendo latine dictaret. Vnde etiam ad Colonienses de futura clericorum tribulatione scribens dixit, quod clerici gloriam absque merito et meritum absque opere habere volunt. Ad istam virginem s. Bernardus literas scripsit, vt dicitur. Moritur tandem hic deuotissimus Amilius abbas anno regiminis sui XV, anno autem domini MCXLIX pridie idus Nouembris, sepultus in loco capitulari sub malta.

Epitaphium eiusdem abbatis Amilii.

Coenobio Amilius nonus qui prefuit isti,
Hoc conquiescit in loco
Corpore: nam rutilum conscendit spiritu Olympum,
Beatitatis premio
Propter inexhaustos, quos pertulit ipse, labores
Remunerandus a deo.

## Geldolphus, decimus abbas
(qui viginti octo annis prefuit).

Defuncto itaque Amilio Geldolphus vir maxime industrie electus in huius monasterii rectorem, qui pro viribus officium sibi

commissum studuit adimplere. Certe hic venerabilis abbas in sui regiminis principio (ad) Andreus quendam nostri ordinis virum prudentissimum in summum pontificem electum (qui Anastasius quartus est appellatus) misit priorem suum virum expertem et eloquentem ad Romanam curiam rogitans, quatinus etiam sua gratia dignaretur nostrum monasterium priuilegiis ditare, quemadmodum predecessores sui Joannes vicesimus et Leo nonus fecerunt. Cum itaque prior nostri monasterii Romam venisset ac causam sui aduentus reuerendissimo ac sanctissimo Romanorum pontifici aperuisset, benigno fauore votis etiam annuit et in hac, qua sequitur, forma suam huic loco benedictionem impartitus fuit.

Anastasius episcopus seruus seruorum dei dilecto filio Geldolpho abbati monasterii s. Nicolai episcopi in Brunwylre salutem et apostolicam benedictionem. Conuenit apostolico moderamini pia pollentibus religione assensum prebere pietatis, ne prauorum hominum ipsi dediti deo agitentur molestiis. Eapropter, dilecte fili, Geldolphe abba, quia prior tuus Romam veniens nostrum sollicitauit bonitatem, ex intimo cordis affectu, vt per apostolice defensionis paginam confirmaremus ecclesie tue abbaciam sitam in loco, qui Brunwylre dicitur, inclinati igitur iustis tuis precibus confirmamus et corroboramus predictum tuum monasterium nostra apostolica potestate, vt habeat et possideat cum omni sua integritate quod habet nunc et quicquid in futurum poterit acquirere, quemadmodum felicis recordationis antecessores nostri Joannes vicesimus et Leo nonus apostolica autoritate monasterio tuo tradiderunt, statuentes igitur apostolica censura, vt nullus tuo monasterio et bonis tuis cuiuscumque dignitatis et potestatis fuerit exactor molestare vel infringere ausu temerario audeat nostram benedictionem apostolicam. Si quis autem contra hanc defensatricem paginam venire attentauerit, nostri anathematis iaculo percussus ad vitam perpetuam nunquam resurgere mereatur, qui autem immutilatam custodierit, nostram benedictionem ac sanctorum apostolorum Petri et Pauli habebit cumulatam. Datum Rome tertio nonas Septembris anno nostro primo.

Isto autem summo pontifice in breui temporis spacio ab hac luce subtracto sublimatus est ad papalem dignitatem alius quidam Adrianus quartus appellatus et nostri ordinis monachus, qui etiam tale priuilegium huic monasterio dedit:

Adrianus episcopus seruus seruorum dei dilecto filio Geldolpho abbati Brunwylrensis ecclesie salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis clemencia deuotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius solet diligere et ne pranorum hominum agitentur molestiis, sue protectionis munimine confouere, eapropter, dilecte fili Geldolphe abba, deuotionem tuam erga beatum Petrum apostolum et nos ipsos attendentes personam tuam cum bonis tam ecclesiasticis quam mundanis, que in presentiarum iuste et canonice possides aut in futurum rationabilibus modis deo propicio poteris adipisci, sub beati Petri apostoli et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus, statuentes etiam, vt si te grauatum in aliquo esse persenseris, calumniam libere tibi et successoribus tuis ad sedem apostolicam liceat appellare. Nulli ergo hominum fas sit personam tuam aut bona tui monasterii tenere, perturbare aut aliquibus molestiis fatigare. Datum Rome kal. XII Januarii anno domini MCLIII.

Eodem anno moniales in Konyngsdorp ab ipso summo pontifice notabile priuilegium recepere.

Iste etiam venerandus abbas Geldolphus quandam redemptionem et diuisionem cum hominibus in Mesenich fecit inter vineas. Nam Richeza illustris Polonie regina pagum Mesenich cum hominibus suis eodem iure possidendum beato Nicolao tradidit, quo ante tempus oblationis tenebat, preterea XXIIII vineas, quas arpennas vocant, eidem confessori sub tali contulerat condicione, vt quelibet arpenna tempore vindemie decem onera vini solueret ecclesie et de residuo vino dupla portio ecclesie, tertia vero incolis propter culturam remaneret. Et quia nimis exigua erat illa portio secundum magnitudinem laboris, dedit eis quasdam alias vineas, quas singularitates vocant, cum agris et pratis, vt quicquid inde emolumenti proueniret ipsi vinearum cultores soli possiderent. Ceterum illi nequiter agentes suas vineas, quas singularitates vocant, spatiose dilatarant, nostras autem colere pro viribus neglexerunt, quod profecto venerandus abbas animaduertens aduocatum nostrum aduocauit et sic esse deprehendit in non minimam nostri monasterii damnum. Quapropter eosdem vinearum cultores increpauit atque correxit et tale tandem iniuerunt consilium, vt pro labore et sumptibus vinearum suarum eis

LX marcas daremus et ipsi omne vinum, quod amodo in suis ingularitatibus habituri essent, nobiscum equa lance diuiderent, ic et omnis iusticia, quam eis debebamus et ipsi nobis, amodo uiesceret excepta dimidia ama vini, que vinum nostrum in auim deferentibus dabitur. Et cum aliquis eorum viam vniuerse arnis ingreditur, melior equus aut bos aut vestimentum melius ad ostrum cedet ius. Epistola desuper confecta habetur sub C. primo.

Hic etiam abbas fecit mutationem cum conuentu Malmumriensi, qui dabunt nobis singulis annis quatuor maldra siliginis [1]) etc., vt tenet epistola sub litera C decimo septimo. Minuit quoque censum siue kurmedas quorundam mancipiorum intuitu pietatis. Nam cum singulis annis XII denarios monasterio nostro dare tenebantur, quos propter nimiam paupertatem dare non poterant, ordinauit cum consensu fratrum, vt duo tantum denarios darent et pro licencia coniugii dabunt sex, nec non morientis vestimentum ad nostrum ius cedet, vt habetur sub lit. P. primo.

Fecit et aliam ordinationem cum kurmedis, sed nescitur vbi, nam homines illi iam ..... [2]), vt habetur sub lit. P. secundo. Sub isto abbate quidam ciuis Coloniensis concessit quandam mansiunculam iuxta fluuium Rheni sitam nostro monasterio, vt epistola sub lit. P. octauo plenius inde docet. Nec non et trium solidorum censum nobis dari fecit a sororibus in Dunewalt, vt cyrographum sub P. septimo clarius enunciat.

Hic etiam consensit secundario in quandam alleuionem (?) populis in Keyueheym factam per precessorem suum huius monasterii abbatem octauum scilicet Bartholphum. Cartula sub C 13 inde docet.

Sub isto quoque abbate frater quidam huius cenobii Richardus nomine dedit huic monasterio hereditatem suam in Danswyler sitam pro memoria parentum suorum atque annuatim seruandam pridie scilicet nonas Augusti. Quam quidem hereditatem a quodam viro Ruthgero de Danswilre ex materna substancia precio quatuor marcarum et dimidie..... Est autem allodium prefatum in Danswylre habens nouem iugeras (sic) etc., patet sub lit. R. secundo. Istius venerandi abbatis tempore prodigia in celo satis miranda apparuerunt. Anno etenim domini MCLVI signum crucis apparuit in luna. Anno autem sequenti tres lune vise sunt et in

1) quatuor maldra siliginis ſteht zweimal in der Handſchrift.
2) Die Handſchrift hat: morentur.

media signum crucis et sequenti anno nonas Septembris tres soles visi sunt in parte occidentali. Sol vero diei, qui erat medius (?)[1]) remansit vsque ad occasum deficientibus aliis duobus. Hec visiones a nonnullis interpretabantur iudicium esse future discordie in ecclesia dei et, vt cronice tradunt, discordia siue scisma quam grauissimum subsecutum est. Nam defuncto summo pontifice Adriano III cardinales inter se discordantes duos in pontifices elegerunt scilicet Rolandum cancellarium, qui Alexander III appellatus est, et Octauianum, quem vocauerunt Victorem. Quam ob causam principes seculi vacillantes quidam vni adherunt, quidam vero alteri. Fridericus enim imperator Octauiano cum suis episcopis adhesit. Rex vero Francie Lodouuicus et rex Anglie Henricus cum suis Alexandrum in patrem et dominum susceperunt, sed deo volente Octauianus, qui et Victor a suis dicebatur, post modicum tempus de medio sublatus moritur. Cui statim hi qui Octauiano adheserant, in pertinacia et contumacia perseuerantes Guidonem quendam elegerunt in papam, qui Paschalis dictus est et hic iusto dei iudicio viuente adhuc Alexandro mortuus est, quo sepulture tradito per eosdem quidam Joannes nomine ordinatus est, qui se Calixtum vocauit. Et illo etiam mortuo factus est alius papa ab eisdem scismaticis Laudo nomine. Cui Innocentius nomen impositum est. Hi tres fuerunt presbiteri cardinales et per papam Alexandrum excommunicati mala morte perierunt.

Demum Alexander ab amicis suis consulibus Romam ex Gallia reuocatus, cisalpine Gallie populi in libertatis spem eriguntur et in Fridericum imperatorem seuissime imperantem arma suscipiunt et eius presidia ex munitionibus eiiciunt. Quo audito Fridericus rursus cum magno exercitu et in ipsam vrbem Romanam bellum mouet. Huic Alexander summus pontifex eius vires perhorrescens post diram vrbis obsidionem et horrendas vtriusque partis cedes decimo septimo sui pontificatus anno sui coci sumptis vestibus eo in habitu Venetias profugit et ad diue virginis de charitate monasterium se contulit et ibidem latuit.

Post aliquot vero menses cum quidam nomine Commodus eum ibidem agnouisset, velut insensatus confestim ad Sebastianum vrbis principem cucurrit et secrete intimauit in vrbe Veneta adesse pontificem Romanum. Qui mox senatum congregans cum omni

1) Die Handschrift: media.

pparatu ad pontificis diuersorium accessit et cum crucibus aliisque solemnibus cerimoniis ad diui Marci templum cum omni gaudio t plausu primo perduxerunt cumque ibidem pontifex ante altare x more consedisset, in primis ipsum principem et senatum ac mnem populum benedixit, deinde Venetis omnibus gratias egit. mperator audiens, summum pontificem Veneciis esse, Ottonem ilium suum cum armata classe ad reposcendum ipsum Venecias isit. Cui Sebastianus princeps occurrens facto congressu ipsum uperauit et Venecias captum perduxit. Otto itaque ad pontificem perductus misericordiam postulauit et eo procurante pax inter pontificem et imperatorem patrem componitur. Altera vero, que secuta est, die Fridericus imperator Venecias venit et veniam petens pacem a filio confectam hoc modo approbauit, vt Roma et que ditionis erant ecclesiastice, summo pontifici restituerentur et quicquid ille pro perpetrata culpa iniungeret pacienter perferret. Isto igitur federe inito Alexander summus pontifex confestim ad ianuas templi diui Marci euangeliste accessit et ibidem vniuerso astante populo imperatori iussit, vt se humi prosterneret et veniam denuo postularet. Quo facto Alexander pontifex imperatoris collum comprimens pede ait: scriptum est: super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem. At Fridericus non tibi, inquit, sed beato Petro, cui successor es, pareo. Et summus pontifex respondit; et mihi et Petro, sic itaque inter imperatorem et summum pontificem pace compositum. Ipse imperator cum bona venia recedens se Constanciam contulit atque ibi pacis federa cum omnibus imperio Romano subditis percussit. Que quidem pax Constanciana nuncupata est ac pro lege habita apud nostros allegatur. Summus quoque pontifex ob beniuolentiam atque beneficia sibi prestita quibusdam gratiis et priuilegiis Venetum ducem atque senatum exornauit. Nam funale candidum eidem concessit, quod solis pontificibus Romanis portandum consuetudo concedit, 2do epistolas eorum plumbo sigillare concessit, quod tantum summis pontificibus licitum erat, 3o eidem principi vmbrellam concessit, quod ornamentum gallero persimile est, 4o Venetorum principi etiam in theatro sedes essent, 5o in ascensione domini nostri Jesu Christi Venetis in templo s. Marci euangeliste plenariam indulgenciam perpetuo duraturam concessit, 6o ipsi duci octo vexilla siricea (sic) diuersorum colorum obtulit, 7o eidem

cereum album condonauit. Hec omnia publice miro artificio depicta sunt in ipsius principis palacio. Dehinc Alexander tercio Romam veniens totum populum obuiam honoris gratia habuit et statim apud Lateranum concilium celebrauit, multas decretales edidit et s. Bernardum abbatem Clareuallensem in quodam concilio in Gallia celebrato sanctorum cathalogo asscribi fecit. Nec non s. Thomam Cantuariensem archiepiscopum, qui Anglorum pessimas consuetudines arguens martirium tandem passus est, chatalogo sanctorum asscribi iussit. De istis omnibus ampliora scribunt cronographi, que causa breuitatis pertranseo. Ceterum quare ista nostro operi inseruerim, diligens lector animaduertat et mihi de prolixitate parcat, cum audierit in sequentibus que delectant. Sciendum itaque, in predicto scismate (quod XVI annis duravit) archiepiscopum Coloniensem scilicet Fridericum secundum cum diuersis aliis Germanie archiepiscopis et episcopis prefato imperatori Friderico primo auxilium propter obedientiam impendisse et prenotatis antipapis simplici intentione adhesisse, insuper et maxima damna Romane ecclesie terris et vrbibus irrogasse. Sed statim archiepiscopus Fridericus cum antipapis moritur in Papia et ossa eius postea fuerunt translata et in monasterio veteris montis sepulta. Cui alius Reynaldus nuncupatus succedens ad adiuuandum imperatorem quamtotius citatur. Cumque iam plures Italie vrbes destruxissent, que Alexandro tercio vero pontifici adherebant, tandem insignem vrbem Mediolanensem septem annis continuo obsidentes bello superauere et solotenus deuastauerunt. Preterea ad perpetuam rei ac facinoris huius memoriam aratrum semel huc atque illuc deduci imperator mandauit et sal superspargi precepit. Spoliatis autem ciuium diuiciis reliquum populum extra vrbem decimo miliario habitare coegit. Ceterum vt propositum nostrum expleam breuibus, noscat lector, archiepiscopum Coloniensem Reynaldum huic euersioni presentem fuisse, qui preter alia spolia etiam trium regum corpora (que s. Eustorgius Mediolanensis episcopus ex Constantinapoli [1]) iam din Mediolanum transtulerat) cum aliis sanctorum corporibus s. Naboris, Felicis etc. ab imperatore Friderico multis precibus obtinuit.

Que profecto pro maximo suscipiens thesauro et confestim Coloniam petens ecclesie sue, que summa dicitur, donauit anno

1) Die Handschrift hat: Constantinopolim.

videlicet domini MCLXIIII in vigilia s. Jacobi apostoli et hactenus ibidem vtpote in maxima veneratione quiescunt. Quanto enim gaudio et exultatione nedum Colonienses sed et totius Alimanie incolas affecerit eorum scilicet trium regum et trium martirum Naboris, Felicis et Gregorii Spoletani presbiteri aduentus, non facile dictu estimo. Item quia Reynaldus Coloniensium archiepiscopus contra Romanam ecclesiam imperatori scismatico male adherens hoc facinus perpetrasset, idcirco vulgaris rumor est, sanctos tres reges per eandem portam ad ciuitatem suam debere aliquando reduci miraculose, sicuti de Constantinopolitana vrbe ad Mediolanum adducta fuerant. Quapropter Colonienses portam illam quantotius obstrui muro fecerunt. Hoc quoque notatu dignum referendum arbitror, quod interim dum archiepiscopus Coloniensium Reynaldus in prefata obsidione cum imperatore occupatus erat, accidit fratrem ipsius imperatoris Conradum videlicet Palatinum et Ludowicum Turingie lantgranium et Fridericum Alemanie Conradi olim tercii filium archiepiscopatum Coloniensem hostiliter inuadere. Quod cum Reynaldo prefato archiepiscopo fuisset intimatum, ille mox per celeres nuncios maiori Coloniensium decano significauit et predictis obuiandum esse tamquam ex propria autoritate strictius mandauit. Quod cum factum fuisset et dicti principes in suo proposito se preuentos esse animaduerterent, bellum Coloniensibus in campis Andernacensibus indixerunt. Quo audito ex industria prefati decani Philippi et aliorum prelatorum Coloniensium tantus pedestris atque equestris pariter exercitus occurrit, qualem[1]) ex tot preclaris nobilibus et fortibus teutonicis in acie congregatis in memoria non habetur. Nam computati fuerunt plus quam centum viginti quinque milia bellatorum. Quo viso nullus predictorum principum ausus fuit venire ad bellum, cum tamen XII diebus a Coloniensibus fuissent expectati. Dictus itaque Philippus decanus illo in monte, vbi sibi principes munimen fecerant, hostibus fugatis postea castrum fortissimum, quod Reynecke dicitur, in perpetuam rei memoriam construi fecit et idem defuncto Reynoldo archiepiscopatus dignitatem obtinuit etc. Hic venerabilis archiepiscopus Coloniensis Philippus illius nominis primus capellam in parte orientali am-

1) Die Handſchrift hat: quales.

bitus sitam interuenientibus precibus reuerendi abbatis nostri decimi scilicet Geldolphi in honore omnipotentis dei eiusque genitricis Marie virginis et precipue sanctorum Christophori martiris et Benedicti abbatis anno scilicet domini MC74 (sic) ipso die beate Marie Magdalene reconsecrauit. In cuius altari sequentes sanctorum reliquias recondidit, videlicet de sepulchro domini, de tunica domini, de manna, quod pluit filiis Israel de celo et fuit per s. Wyllibrordum episcopum de Jherosolimis translatum, de mantello s. Petri apostoli, de s. Andrea apostolo, de pilis et cingulo s. Thome apostoli, de Mathia apostolo, de reliquiis s. Kalixti et Pontiani summorum pontificum Romane ecclesie et martirum, Cipriani et Ignacii episcoporum et martirum, Laurencii, Vincencii, Christophori, Joannis et Pauli, Marci et Marcelliani, Prothi, Jacincti, Pancracii, Palmacii, Simplicii, Cesarii, Valerii, Polocronii, Fortunati, Valentini, Vitalis, Gaii martirum, duorum Ewaldorum, sanctorum episcoporum Nicolai, Medardi et Hereberti, s. Benedicti abbatis, sanctarum virginum ac martirum Cecilie, Margarethe, [1]) Agathe, Juliane, Valerie, Electe virginis et de numero sanctarum vndecim milium virginum ac martirum. Hic etiam sciendum, quod dedicatio istius capellae semper celebratur in octaua pasche. Et episcopus Cirenensis Joannes, qui et suffraganeus archiepiscopi Coloniensis predictam capellam reconcilians anno videlicet domini MCCCCXCII bene dispositis et ipsa dedicationis die atque sanctorum patronorum scilicet Christophori martiris et Benedicti abbatis festiuitatem visitantibus quadraginta dies indulgenciarum.

Hic etiam venerabilis abbas maximam compassionem et misericordiam habuit erga animas Christi fidelium in penis purgatorii existentes, vnde statutum fecit, quatinus pro vniuersis in ipsa omnium sanctorum festiuitate finitis vesperis vigilie defunctorum decantarentur cum nouem lectionibus et accensis luminaribus precedente solemni pulsu cum omnibus campanis. Cuius statuti epistola hec sequitur: Ego Geldolphus huius loci abbas decimus licet immeritus instituo autoritate, qua fungor, vt pro omnibus animabus christifidelibus vbique terrarum defunctis singulis annis in festo omnium sanctorum nouiter imposito post vesperas regu-

1) Die Handschrift hat: Margathe.

lares solemniter decantatas accensis luminaribus subsequenti pulsu solemni omnium campanarum nostri monasterii vigilie mortuorum omnium christefidelium cum nouem lectionibus decantenter. Que vt fateor vsque in hunc diem in hoc monasterio non sunt decantate. Et ideo voluntas mea est, vt ita fiant et sequenti die post primas per singulos sacerdotes missa celebretur pro omnibus christefidelibus. Quare notum sit presentibus et futuris: quicunque hanc ordinationem deo placitam summa diligentia custodierint, duplicem pictantiam [1]) in recentibus piscibus et vino consequentur annuatim. Insuper eodem die idem deuotus abbas instituit pauperibus Christi Jesu membris largam rogam distribuendam. Moritur tandem venerabilis abbas decimus, postquam XXIX (sic) annis hoc monasterium rexerat, anno videlicet domini millesimo centesimo septuagesimo septimo decimo octauo kal. Septembris. Sepultus autem, sicuti viuens disposuerat, in capella s. Benedicti, que ante prefatam dedicationem dicebatur capella s. Medardi, super cuius sepulchrum in lapide hii versus sequentes sculpti fuerunt:

Geldolphus gregis hic pastor claustri renouator
Exemplaris apex ordinis hic situs est,
Anno milleno centeno septuageno
Septeno assumpta virgine sumptus obiit.

## Theodericus, undecimus abbas

(qui quindecim annis prefuit).

Post defunctum itaque Geldolphum quidam nomine Theodericus ad huius monasterii abbacialem dignitatem vnanimiter et canonice sublimatus est. Hic certe vir grandeuus canis decoratus et in rebus tam temporalibus quam spiritualibus admodum expertus studuit pro posse officium sibi commissum explere. Sub isto venerando abbate quidam in Owenheym deuotione moti erga s. Medardum huius loci secundum patronum quandam ordinationem fecerunt, vt singulis annis duo solidi offerri deberent, vt latius canunt epistolae sub P. nono et P. decimo, quas archiepiscopus Coloniensis scilicet supradictus Philippus primus proprio sigillo muniuit.

1) Eine Mönchsportion.

Eodem anno, quo capta est Jherusalem, obiit hic venerabilis abbas videlicet anno domini MCLXXXVII sexto decimo kal. Octobris. Sepultus autem est in capella diui Benedicti iuxta precessorem suum, super cuius sepulchrum hii sequentes versus sculpti sunt:

Dux gregis et forma virtutum preuia norma,
Dummodo floruerat, hic Theodericus erat,
Qui denas senas Octobre soluente kalendas
Redditus in cineres cepit id esse quod est.

Hoc etiam velim ne lectorem lateat, quod a patre Bartholomeo seniore nostro de Greuenbroch audiui. Nam cum ipse adhuc diaconus esset, quidam huius loci prior Rutgerus nomine de Muyrsa oriundus ossa istorum duorum abbatum e tumulo sumpta ad cimiterium fratrum transferri fecit et in sepulchris eorum (que lapidea sunt) lixiuiem pro lotura fratrum reseruari iussit. Quod indecens factum abbas Adam primus reformator huius cenobii indigne ferens ipsum priorem dure corripuit et condignam penitentiam subire coegit. Sic igitur cognoscat vnusquisque, ossa istorum abbatum iam ibidem non esse, sed in cemiterio fratrum quiescere.

## **Bertrammus**, de Anraide oriundus duodecimus abbas

(qui octo annis cum septem mensibus prefuit).

Bertrammus de Anraide originem ducens post defunctum Theodericum ad regimen huius monasterii assumptus fuit. Hic certe prodesse magis quam preesse studuit. Nam ampliare volens ecclesiam nostram siue monasterium habito consilio suorum fratrum et obtenta a domino Philippo Coloniensium archiepiscopo licentia quosdam seculares sacerdotes in lingua admodum facundos conduxit, quibus digitum beatissimi patroni nostri Nicolai episcopi cristallo inclusum commisit, vt per diocesim Coloniensem portantes populo pro deuotione ostenderent et tali modo oblationes pro structura ecclesie nostre elicerent. Quod equidem factum cum modico tempore fuisset practicatum, contigit ipsos conductitios sacerdotes de eleemosinis laxius viuere et satis inhoneste *se gerere*. Quorum lasciuiam et improbitatem sanctissimus pa-

onus noster Nicolaus ferre nolens tali eos signo redarguit. Nam ristallus, in quo ipse digitus reclusus erat, nullo ipsum ledente epuit. Quod homines prefatorum sacerdotum inordinatam con-rsationem agnoscentes non sine causa fieri sunt arbitrati. Vnde m hoc ad abbatem hunc Bertrammum et ceteros huius monasterii tres fuisset perlatum, quantotius predictos sacerdotes cum reli-iis dicti patroni nostri Nicolai reuocauerunt et ipsum digitum argentea domuncula honorificentius recluserunt. Vtrum vero quisite pecunie copia ad turris edificationem siue ad alium lesie vsum exposita sit, ignotum est.

Hic venerandus abbas contractum fecit cum conuentu monas-ii in Knechtsteden ordinis Premonstratensium, vt patet in hoc od sequitur instrumento inter ceteras bullas inuento: In nomine ete et indiuidue trinitatis. Quoniam nostris quam maxime nporibus que verborum nuda serie roborantur creduntur pro-su temporum vel per obliuionem vel quorundam violentiam in em vel in controuersiam reuocantur, opere precium estimaui-s, quod ego Bertrammus monasterii Brunwylrensis non meis ritis sed ex voluntate dei vocatus abbas renouare et confirmare npositionem, que per felicis memorie antecessorem meum Theo-ricum inter duas ecclesias, nostram Brunwylrensem et Knech-densem facta est, curauerim. Nouerint igitur presentes et futuri, od pecunia preueniente videlicet XXIIII marccarium ponderisque mansum vnum possessionis nostre in Bylcke ecclesie de Knech-den possidendum iure hereditario consensu communi tradideri-s tali interpositione facta, vt annuatim duodecim solidos Colo-nsis monete et II maldra tritici totidemque auene in festo s. rtini episcopi a fratribus dicte domus percipiamus. Quotiens-aque igitur prepositi domus illius rebus humanis excesserint erque ei in cura pastorali substitutus fuerit, duodecim solidos iusticia, que curmeda vocatur, nobis persoluerit. Hoc igitur tum ne longitudine dierum vel maliuolentia cuiuslibet in ir-am posset reuocari, in membranis diligentius scriptum sub ographo communire curauimus testibus idoneis, per quos hec linata sunt, subnotatis etc.

Istius quoque abbatis tempore cum in monasterio, quod Por-um dicitur, monachi nostri ordinis habitarent et vagam vitam fessioni omnino contrariam agerent, archiepiscopus Philippus

supradictus expulsis inde monachis sanctimoniales illuc introduxit.

Demum hic venerabilis vir cum octo [1]) annis cum septem mensibus prefuisset, amara mors eundem rapuit idibus Maii. Sepultus est autem ante altare viuifice crucis in medio templi nostri.

## Godesmannus, tertius decimus abbas

(qui viginti nouem annis cum quatuor mensibus prefuit).

Tertius decimus huius loci abbas fuit Godesmannus de Frymersdorp oriundus, maximam pietatem et compassionem erga pauperes christifideles habuit, sicuti hoc etiam factis ostendere conatus fuit. Fertur siquidem ipsum leprosorium prope Ychendorp, quod Anraedt vocatur, instituisse. Ipse etiam predecessor suus quedam bona temporalia, que in silna Vele dicta a certis hominibus huic monasterio donata ad hospitale pauperum ac peregrinorum ordinauit, vt litere desuper confecte sub R. 3°. canunt.

Hic quoque remissionem fecit vnius maldri tritici, quod soluebatur aliquando ad curiam archiepiscopatus Coloniensis de molendino in Ychendorff, vt patet in cyrographo sub N. septimo.

Impetrauit et a summo pontifice Honorio tercio confirmacionem decimarum in Ychendorff et Bistorff, sicut clamat bulla apostolica sub L. XXII.

Sollicitauit etiam incorporationem et confirmationem ecclesiarum nostrarum in Kyrdorff et Wederstorff de decimis eorundem a gratioso domino Theoderico Coloniensi archiepiscopo. Hoc sufficienter clamat epistola sub E. primo.

Deinde procurauit consensum capituli maioris ecclesie Coloniensis super predicta confirmatione archiepiscopi. Idem etiam disposuit per literas a curia Romana transmissas, quod ecclesia in Kirdorff pagum, qui Glessen dicitur, sub se habebit, vt dicit epistola sub E. 3°. Hinc sequitur et alia epistola de termino parrochie nostre sub E. 4°. Huic etiam venerando abbati beatus archiepiscopus Coloniensis dominus Engelbertus dedit decimas noualis silue, que Asp vocitatur, patet priuilegium sub K. tercio.

---

1) *octo* fehlt in der Handschrift.

Sequitur ibidem confirmatio vnius legati curie Romane, que Colonie fuit data, vt dicit bulla sub K. quarto.

Sub isto etiam venerabili abbate illustris atque generosus comes Henricus de Monte dedit huic monasterio quendam virum Rudulphum de Wistubbe nuncupatum attinentem tunc temporis nouo castro etc., vt sonat epistola sub H. quarto.

Hic etiam venerabilis abbas emit quandam arpennam a collegio canonicorum beate Marie virginis in Aquisgrano, vt epistola sub C. duodecimo hoc longius declarat.

Fecit quoque secundario consecrari tria illa altaria, que in cripta nostra habentur, per reuerendissimum in Christo dominum Adolphum Coloniensis ecclesie archiepiscopum. Quorum medium in honorem domini nostri Jhesu Christi et s. crucis et precipue in honorem s. dei genitricis virginis Marie et s. Gabrielis archangeli et s. Joannis euangeliste et s. Nicolai patroni nostri et omnium sanctorum dei, secundum vero in meridiana plaga situm in honorem sanctorum Stephani prothomartiris, Blasii episcopi et martiris, Laurencii martiris et omnium martirum.

Tercium autem, quod in septentrione habetur, dedicatum est in honorem s. virginum Christi Catharine, Barbare, Dorothee, Apollonie et omnium s. virginum.

Est autem hic aduertendum, quod in quodam vetusto libello compertum est, descriptum esse istud altare ab inicio fundationis huius sacrati loci; fuerat consecratum in honorem s. Thome apostoli et omnium aliorum apostolorum et euangelistarum Christi, sed qua de causa hec tria altaria secundarie consecrata sint, hactenus [1]) latuit. Estimo etenim s. Thome cingulum, birretrum et cultellum in prefato tercio altari antea reclusa fuisse, sed in secunda consecratione inde excepta fuisse. Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCC indictione tercia, tercio kalendas Maii.

Porro hic archiepiscopus Coloniensis Adolphus fuit filius fratris Brunonis tercii archiepiscopi Coloniensis, qui prelaturam archiepiscopatus huic Adolpho resignans propter etatis senectutem et debilitatem vitam in monasterio veteris montis finiuit.

Cum itaque post obitum imperatoris Henrici sexti Bruno tercius Coloniensis archiepiscopus et Theodericus archiepiscopus

1) Die Handschrift hat hectenus.

Treuerensis in electione a ceteris discordarent, nam hi duo elegerunt Ottonem quartum, qui fuit filius Henrici ducis Saxonie. Cui Fridericus imperator ducatum Westphalie abstulerat et ecclesie Coloniensi contulerat. Fuit autem hic comes Pictauiensis. Ceteri vero electores Philippum Suweuie principem et Ethurie ducem et Henrici imperatoris fratrem (cui a fratre adhuc viuente imperii gubernacula fuerant assignata) retinere voluerunt.

Hinc protinus maxime guerre et bella fuerunt subsecuta. Nam predictus Philippus collecta non minima satellitum multitudine Alsaciam bello deuastans Argentinam obsedit et in suam potestatem accepit anno domini MCC. Sequenti anno similia in Turingia peregit et Lantgrauium deuictum in Greciam misit. Verum dum res sic ageretur, Innocentius papa recolens Henricum et Fridericum patrem suum contra Romanam egisse ecclesiam, Otthonem imperatorem pronunciauit. Interea quoque Philippus in istis partibus existens diocesym Coloniensem hostiliter inuasit et ipsum archiepiscopum Adolphum ad hoc siue minis siue muneribus induxit, vt ipsum Philippum Aquisgrani coronaret in regem, propter quod Otto prefatus eundem Adolphum apud Innocentium papam accusauit. Quare per summum pontificem ad curiam Romanam citatus fuit et cum venire renueret, demum excommunicatus et depositus fuit. Cuius quidem depositionis sententiam archiepiscopus Moguntinus Sifridus nomine et episcopus Cameracensis recepto legationis apostolice officio in Colonia presente Ottone rege executioni mandarunt.

Hinc igitur Bruno quartus canonice electus in archiepiscopatus officio successit de Heynsbach originem habens. Quem prefati episcopi nec non alii duo episcopi de Anglia per Innocentium tercium papam in officio delegationis destinati in archipontificem Coloniensis ecclesie consecrarunt. His taliter gestis dictus Adolphus depositus apud Spiram in conuentu regis per Philippum regem ibidem cum optimatibus regni celebrato comparens sue depositionis miserias patefecit.

Cui idem Philippus rex compaciens archiepiscopatum Coloniensem hostiliter ingressus hinc inde deuastauit et inter multas

---

1) Die Handschrift hat: fertur.

munitiones captas cepit etiam oppidum Nuciense[1]), quod ipse dicto Adolpho deposito pro sue depositionis solacio assignauit circa annos (sic) domini MCCIII.

Eodem tempore Remagum oppidum expugnatum simul et exustum est. In hac armorum expeditione occurrunt[2]) cum maximo exercitu Philippo regi prefatus Otto suus in regno aduersarius et cum ipso dictus Bruno quartus Coloniensis archiepiscopus. Commisso autem bello inter ipsos iuxta Wassenberch dicti rex Otto et Bruno terga vertentes campum dimittunt. Otto siquidem cum suis in ciuitatem Coloniensem fugit, Bruno vero archiepiscopus capitur et tentus per annum vnum in vinculis, tandem per duos cardinales missos in legatione fugiente Ottone et expulso a Colonia propter diram obsidionem facta est concordia inter dictos principes. Philippus autem imperator declaratur. Nam iste Philippus regem Francorum fauentem et auxiliantem cum omnibus optimatibus imperii semper habuit. Otto autem solo regis Anglorum Joannis nuncupati simul et summi pontificis aliorumque paucorum auxilio fidebat.

Ceterum sepedictus Philippus nouem annis imperialem dignitatem non sine maximis molestiis retinuit, quem fertur Lantgrauium Turingie principem siue, vt alii volunt, Ottonem comitem palatinum de Witispach Bamberge interfecisse X kalendas Julii. Hic castrum, quod Lanskroen dicitur, ad oppressionem Coloniensis ecclesie construi fecit. Fertur quoque in prelibatis bellorum perturbationibus Andernacum et Bonnam expugnata[3]) fuisse cum villis et pagis circum iacentibus. Et nedum[4]) illa loca....[5]) iuxta Coloniam per girum duobus miliaribus ab ea distancia deuastata fuere, tunc etiam omnes monasterii nostri grangie fuerunt exuste, et quod magis est fere totius monasterii structura fuit igne consumpta. Nam tota abbacia cum capella sua, que fuit in honore

1) Die Stadt Neuß.
2) In der Handschrift: accurunt.
3) Die Handschrift hat: expugnatis.
4) In der Handschrift: ne dum.
5) In der Handschrift: vernentis (?).

s. Maximini consecrata, nec non alia capella s. Pauli apostoli in domo hospitum et granarium estiualis (?) refectorii vsque ad dormitorium circa idem tempus perierunt per ignem.

Sed hic ammoneo lectorem, quod pater noster senior Bartholomeus istud incendium sub Geldolpho decimo huius cenobii abbate contigisse posuit, sed omnino rationi contrarium estimo, eo quod illius abbatis tempore non fuerit aliquis summus pontifex, qui Honorius appellabatur, ad quem illius temporis abbas huius loci querimoniam fecisse cognoscitur ex mandato apostolico super excommunicationis sententiam per venerandos prelatos scilicet prepositum et decanum maioris ecclesie Coloniensis contra huiusmodi incendiarios ferendam, et etiam quia nescitur, quotus fuerit ille Honorius, sub quo infortunium nostro monasterio euenisset. Hinc pie arbitror, hoc non sub Geldolpho abbate decimo, sed potius quinto aut sexto anno ante obitum istius abbatis Godesmanni numerum annorum calculanti apertius videbitur contigisse. Nam hic venerabilis abbas septem annis superuixit, postquam Honorius tertius post Innocentium tertium ad summi pontificatus culmen ascendit, sic etiam non per Philippum imperatorem, sed potius per occultos huius cenobii inimicos procuratum fuisse creditur, sicut ex subsequenti apostolico mandato quisque aduertere poterit: Honorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis preposito et decano maioris ecclesie Coloniensis salutem et apostolicam benedictionem. Vere illos succendit impietas, qui religiosas personas ac eorum bona et eorum officinas et domos damnificare incendio moliuntur, sicut fecisse quosdam audiuimus, qui (tam) officinas quam omnes in monasterio Brunwilrensi et ipsorum subditorum alias domos, prout ipsius abbatis et conuentus asserunt querimonie, incenderunt, vnde idem monasterium ad extremam iam deuenit inopiam in reedificatione edificiorum ipsorum eius locis fere omnibus consumptis. Cum autem ignorentur, qui damnum tam graue intulerunt et tante impietatis excessus relinqui non debeat impunitus, prouidentes hoc a nobis idem abbas et conuentus humiliter postularunt, quo circa discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus in omnes illos, qui factum tam nefarium commiserunt, generalem proferatis excommunicationis sententiam vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obser-

uandam. Datum Viterbie tertio nonas Maii pontificatus nostri anno quarto etc. Sufficiant hec de incendio.

Postquam autem prefatus archiepiscopus Coloniensis Bruno quartus per annum vnum detentus fuisset, mediantibus vero cardinalibus ad hoc missis absolutus et summo pontifici presentatus fuisset, tandem ad ecclesiam suam est reuersus, qui cum ribus annis prefuisset, defunctus est.

Post quem ad archiepiscopatum Coloniensem Theodericus llius nominis primus ecclesie s. apostolorum Coloniensis prepositus, deinde etiam post discessum ab hac vita superius memorati mperatoris Philippi imperium obtinuit Otto prefatus eius emulus, quem summus pontifex coronauit, sed breui peracto temporis spacio orta fuit inter eos turbatio. Nam hic Otto Romanos mirabiliter bello vexare cepit. Post quod cum summus pontifex eum redargueret nec tamen cessaret, ipsum excommunicauit et per prelatos aliquos Alimanie, quorum archiepiscopus Coloniensis hic vnus erat Theodericus, sententiam huiusmodi executioni mandari precepit.

Sed quia Theodericus archiepiscopus Coloniensis apostolico mandato parere non curauit, verum etiam Ottoni excommunicato in omnibus bona ecclesiarum communicauit, per Sifridum archiepiscopum Moguntinensem commisso sibi per papam legationis officio a dignitate sua deponitur. Et eo tempore ecclesia Coloniensis duos iam archiepiscopos iam depositos habuit et vtrique quadringentas marcas pro sustentatione eorum annuatim dedit ex redditibus episcopalibus.

Hic etiam abbas ordinauit plura alia, que quia sibi secundum ura non licuit, ne legentes scandalum pariant, tacere volo. Certe cum hic venerabilis abbas, cum multotiens molestarentur ad personas recipiendas, peciit sibi taxari numerum a legato Romane curie, qui posset ex redditibus huius monasterii competenter sustentari. Cuius desiderio legatus nomine Conradus libenter acquieuit, vt in sequenti bulla plenius exprimitur: Conradus liuina miseratione Portuensis et s. Ruffine episcopus sedis apostolice legatus a latere abbati et conuentui in Brunwilre salutem n domino sempiternam. Cum secundum assertionem vestram, abba Godesmanne, facultates vestri monasterii ad victum quotilianum fratribus ibidem deo seruientibus non possint sufficere

competenter et de die in diem sustineatis magnas instancias a viris potentibus pro receptione plurium personarum, nobis humiliter supplicastis, vt super hoc vobis prouidere misericorditer dignaremur. Nos vero volentes vestre prouidere quieti vobis legationis, qua fungimur, autoritate mandamus in virtute sancte obediencie, quatinus in vestro monasterio vltra numerum quadraginta monachorum nullatenus recipiatis, nisi forte deo auxiliante tantum excrescerent vestri monasterii facultates, ita tamen quod ex ipsis bonis monasterii personis pluribus posset prouideri. Datum Colonie anno dominice incarnationis MCC vigesimo quinto kal. Januarii, hoc est penultimo regiminis anno istius abbatis. Siquidem eodem anno viam vniuerse carnis ingressus est vltima die scilicet Septembris, postquam triginta annis laudabiliter huic loco prefuisset. Ad eius autem sepulchrum, quod est in corpore ecclesie ante altare s. crucis hocsequens epitaphium appensum fuit:

Hoc cinis ossa sita monumento sunt monumentum, [1])
At status iste perit, quasi quod fuit ecce nihil sit.
Ille dei vir id est Gotman nomen tulit a re,
Dum re significat hoc nomine significatum,
Quod vir quodque dei fuerit, res hic satis aucta
Testatur, quo grex viduus pastore beato
Orba domus domino flet talem vix habitura.

### Godefridus quartus decimus abbas
(qui septem annis et tribus mensibus prefuit).

Sepulto itaque honorabili viro Godesmanno canonice electus fuit in abbatem huius monasterii Godefridus de Malstorp originem ducens. De cuius actibus nihil singulare reperire potui, nisi quod aliqua viuaria infra pagum, quod Glessen dicitur, et Kyrdorp fieri fecit, que post aliquos annos perierunt et pascua vaccarum facta fuerunt, frumenta etiam istius abbatis tempore leui precio comparabantur. Nam maldrum siliginis sex siue septem albis Coloniensis monete vendebat etc. Istum autem venerabilem patrem septem annis cum tribus mensibus diligenter calculando comperi prefuisse. Migrauit igitur ex hoc seculo anno domini millesimo ducentesimo trigesimo secundo ipso die circumcisionis

1) Die erſte, wahrſcheinlich corrumpirte Zeile hat für die Erklärung, ſo wie metriſch *ihre Räthſel* (cinis?). In der zweiten Zeile iſt vielleicht ut für at zu leſen.

dominice, sed in quo loco sepulturam acceperit, minime reperire potui.

## Hermannus primus, quintus decimus abbas
(qui prefuit quinque annis).

Deinde Hermannus primus appellatus venerandi domini Conradi de Hoesteden archiepiscopi Coloniensis consanguinens abbacialem dignitatem huius monasterii adeptus est. Hic absque consensu et voluntate conuentus vendidit quandam curtem siue habitationem illam, que der Kamper Hoeff vulgariter nuncupatur, in Colonia prope s. Joannem sitam monasterio Kampensi. Sed qua necessitate ductus fuerit et vbi pecuniam receptam dimiserit siue ad quam monasterii nostri vtilitatem exposuerit, nullus indagare poterit. Quapropter timendum est, quod non sine magna offensa conuentus sui, forte auunculi sui archiepiscopi supradicti instigatione compulsus hoc egerit. Nam successor suus scilicet venerabilis Emecho primus eandem possessionem redimere nitebatur, vt in sequentibus audietur. Illo in tempore frater quidam huius monasterii vitam sanctissimi legislatoris nostri videlicet Benedicti abbatis metrice conscripsit et pictum distinctim adornauit. Penultimo autem anno sui regiminis comes Juliacensis nomine Wilhelmus deuotione motus erga s. Nicolaum patronum nostrum donauit huic monasterio pro salute sua ac parentum suorum decimas noualium totius nemoris in Asp, vt canit instrumentum sub litera K. quinto. Ceterum cum nihil aliud reperire potui, quod auscultantes edificare posset, dico ipsum diem clausisse extremum, postquam quinque annis prefuisset, anno domini MCC trigesimo VII kal. Julii. Cuius sepulture locus ignoratur.

## Emecho primus, sextus decimus abbas
(qui quindecim annis prefuit).

Emecho primus, qui de pago nostro Clottenensi oriundus extitit, post Hermannum primum huius monasterii gubernacula suscepit. Iste quam primum conatus fuit consilio fratrum suorum ductus redimere illam possessionem a conuentu Kampensi per Hermannum precessorum suum venditum, vnde talem missiuam

ad monasterium illud direxit: Dilectis in Christo religiosis patri abbati atque conuentui ordinis s. Bernardi de Kampis Emecho dei gratia humilis abbas totusque Brunwilrensis conuentus salutem in domino et deuotas incessanter orationes. Cum dominus Hermannus pie memorie antecessor noster in discordia, que fuit inter nos aliquando et ipsum, quando sine consensu nostro quandam domum sitam prope littus Rheni ad s. Joannem vobis vendiderit, omnes igitur rogamus vos attentius et monemus, quatinus intuitu dei et iusticie denarios, quos pro eadem domo ad comparandam ipsam dedistis, recipere velitis, ita ne de vobis necesse sit facere querimoniam, quod tamen inuiti faceremus, sed si aliter feceritis, quod absit, in contrarium exorbitando cogimur nostro monasterio de validioribus remediis prouidere. Ergo cognoscentes vt religiosi, quod dignum et iustum dinoscitur esse, nostris desideriis acquiescatis, valete in domino prospere. Sed vsque in hoc tempus illa possessione caremus et causam nescimus.

Huic etiam venerabili abbati Simon cenobii s. Martini abbas missiuam direxit, in qua quidem quam plurimum eidem congratulatus fuit et fraternitatem, qua illud monasterium cum nostro colligatum fuit, renouari desiderat.

Istius abbatis tempore in quadam estate in his partibus quam maxima tempestas aëris contigit, adeo namque ventorum, tonitruorum et grandinum fragores[1]) inualescebant, vt homines finem mundi adesse arbitrarentur. Vinee tunc penitus destructe fuerunt et frumenta, antique arbores et alte turres funditus euerse corruerunt. Multi quoque homines in agris existentes cum volucribus et pecudibus lapidum ictibus periisse reperti sunt. Fuerunt quidem eodem tempore, qui se demones asserebant vidisse sibi inuicem ex ventis contrariis occurrentes. Et custos quidem vinearum in tempestatibus illis sub tugurio latitans audiuit in aëre clamantium voces et dicentium: caue, caue, et alius respondit: quid cauebo? Et primus: vineam Petri Richardi ne leseris. Sopita igitur postmodum tempestate sola Petri Richardi vinea illesa comperta est. Hic etenim vsurarius erat et multis malis obnoxius, cui nephandi spiritus in presenti calamitate

1) In der Handschrift: fragrores.

parcere voluerunt ad future damnationis sue cumulum. Grando[1]) autem, que tunc cecidit, tanta erat, vt etiam tecta domorum hinc inde frangerent. Hinc maxima caritudo in vino et frumento subsecuta est. Sed cum hec nobilitares non attendentes monasterium nostrum personis superfluis grauare conarentur, accessit dominum gratiosum archiepiscopum Coloniensem scilicet Conradum de Hoesteden petens eundem, quatinus sua autoritas dignaretur huiusmodi infestationes compescere. Qui profecto monasterii nostri perpendens necessitatem eius precibus in hoc sequenti mandato obtemperauit: Conradus dei gratia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopus sacri imperii per Ytaliam archicancellarius etc. Dilectis in Christo abbati Emechoni de Clotteno et conuentui Brunwylrensium salutem in domino sempiternam. Vobis et vestre prouidere volentes ecclesie, ne per preces importunas nobilium grauemini[2]) super aliquarum receptione personarum vltra numerum a vobis iuramento vallatum, presentium vobis autoritate mandamus in virtute sancte obedientie precipientes obedire sub pena excommunicationis, quam in vos et in quemlibet vestrum ferimus, si contrarium feceritis attendentes vobis, quemadmodum hoc ipsum etiam quondam dominus Conradus apostolice sedis aliquando legatus a latere in his terris .....[3]) ob rogatum domini Godesmanni vestri monasterii aliquando abbatis religiosi. Ergo sine nostra speciali licentia nil attentetis supra eundem numerum quadragesimum vos aggrauantes in omnium vestrum periculum animarum. Datum anno domini MCC quadragesimo septimo.

Eodem anno idem archiepiscopus donauit monasterio nostro decimas noualium nemoris Bram vulgariter nuncupati, vt sonat priuilegium sub K. quarto decimo.

Hic etiam quitauit vnum maldrum siliginis, quod monasterium nostrum tenebatur soluere domino Coloniensi. Eundem quoque archiepiscopum sepefatus abbas noster Emecho inuitauit ad comparendum in monasterio nostro propter causas huic loco attinentes. Nam tunc in presentia ipsius (qui huc ex postulatione abbatis et conuentus nostri aduenerat cum maioris ecclesie

1) Grando iſt in der Handſchrift als Masculinum gebraucht (qui-tactus).
2) In der Handſchrift: grauamine.
3) Die Handſchrift hat: vos restinxerint.

Coloniensis decano et certis aliis) honestus vir Henricus de Herle nuncupatus et Riglindis vxor sua dederunt siue remiserunt bona sua, que aliquando progenitores eorum (a) monasterio nostro in feudum acceperant, tali condicione, vt quilibet eorum quousque viueret vnam prebendam ex hoc nostro monasterio reciperet, sicut vnus frater conuentualis solet, insuper singulis annis darentur cuilibet eorum in festo s. Martini sex maldra tritici et sex maldra siliginis de XXX iugeribus apud Konigtorf sitis et XXVII apud Danswiler sitis. Instrumentum hoc latius clamat sub litera R. quarto.

Anno domini MCCLV facta est diuisio bonorum monasterii, ita vt abbas certa bona haberet ad suam sustentationem, similiter et conuentus. Que quidem particio quantorum malorum origo extitit, non facile dictu autumo. Et prefatus archiepiscopus postulatus illam diuisionem per literas suas, que sequentur, confirmauit propter dissentiones et murmurationes tollendas, eo quod abbas nimium pre ceteris fratribus de substantia monasterii notabatur consumere. Quomodo autem hec diuisio facta sit et que bona abbati siue conuentui assignata fuere, conscribere nequiui, quia literas hoc exprimentes reperire non potui. Copiam vero confirmationis illius rei per archiepiscopum Coloniensem facte hic inserere curaui: Conradus dei gratia s. Coloniensis ecclesie archiepiscopus. Dilectis abbati et conuentui monasterii Brunwylrensis ordinis diui Benedicti salutem in domino. Nostri debitum exposcit officii, vt personas ecclesiasticas cure nostre commissas pia prospiciamus solertia in his, que salutis ipsarum augmentum ita afferunt fructuosum, quod et necessatibus earum subueniatur et quietis etiam tranquillitas procuretur. Eapropter iustis vestre deuotionis supplicationibus inclinati ordinationem, quam de consensu et concilio prouide in vestro monasterio statuistis, per quam quidem ordinationis seriem abbati tempore discreta bonorum ipsius monasterii ad necessarios sustentationis vsus portio limitaretur, residua parte ad conuentum permansura perpetuo, prout literis desuper confectis plenius continetur, ratum habentes in nomine domini confirmamus et scripti presentis patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hec attentare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum apo-

stolorum Petri et Pauli ac sententiam excommunicationis se nouerit incursurum. Datum Colonie V kal. Maii anno domini MCCLV etc.

Gregorius nonus pontifex summus anno regiminis sui vndecimo, istius autem abbatis secundo misit huc quendam sacerdotem secularem cum mandato apostolico, in quo strictius precipiebatur abbatibus s. Nicolai in Brunwilre et s. Panthaleonis in Colonia, quatinus eidem sacerdoti prebendam primam in alterius monasterio vacantem offerrent et habitum monachalem concederent. Et quia hoc mandatum apostolicum hoc in loco repertum est, estimatur eundum sacerdotem de Coloniensi ciuitate oriundum in hoc cenobio susceptum fuisse.

Sub isto abbate comes Juliacensis Wilhelmus nuncupatus omne ius suum, quod habuit in silua, que Braym appellatur, scilicet excidendi et extirpandi, monasterio nostro dedit etc., vt probat epistola sigillo suo munita sub K. vndecimo. Et frater eiusdem comitis Walramus nomine renunciauit monasterio nostro omne dominium suum, quod habuit in silua, que Vele dicitur, vt canit epistola sub K. decimo. Idem etiam vendidit monasterio nostro omne ius suum et dominium, quod habuit in decimis silue Bram nuncupate et de XV iurnalibus in Hantputzen pro quinquaginta septem marcis etc. Rursus hic venerabilis abbas literas alias recepit a generoso domino Walramo comitis Juliacensis Wilhelmi fratre de decimis noualium silue, que Asp nominatur, vt patet sub K. septimo et octauo. Silua etiam Vela appellata ad duos fratres scilicet Erenfridum et Ezelinum comites palatinos communi vtilitate spectans ab ipsis olim partita est (vt constat) et cenobiis duobus tradita. Nam Erenfridus suam partem dedit beato Nicolao episcopo in Brunwilre, Ezelinus vero suam s. Cornelio in monasterio Indensi. Quam quidem siluam predictorum monasteriorum abbates equo iure insimul diu possederunt. Iam vero sub isto abbate propter maiorem pacem probis atque honestis mediantibus viris fuit diuisa anno domini MCCLVIII, vt diffusius canit bulla sub K. tercio decimo.

Fecit etiam contractum cum aduocato nostro in Clotteno, quantum annuatim recipiet etc., vt patet sub O. secundo. Similiter fecit cum aduocato in Mesenich anno scilicet domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio. Hos duos contractus procurauit vno tempore et hic idem abbas Emecho de Clotteno et

cellarius Leonius et plures alii exprimuntur in instrumento sub C. XV pro testibus etc.

Hinc pie arbitror istum venerabilem dominum abbatem viginti sex annis et quatuor mensibus prefuisse, qui defunctus creditur anno domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, tercio kal. Nouembris et in corpore ecclesie nostre sepultus.

Istius quoque abbatis tempore Vrbanus quartus summus pontifex creatus festum venerabilis sacramenti instituit et s. Thome de Aquino ordinis predicatorum famosissimo doctori historiam, que in ecclesiis de eodem canitur, componere precepit.

Hic venerandus abbas accedente consensu et authoritate archiepiscopi Coloniensis Conradi a Hoesteden curtem nostram in Mansteden cum quatuor mansis decimam non soluentibus et quatuor iuribus, que holtz gewalt vocantur (scilicet in Hamputze, Wedehauwe, in Gewere et in Vela) pro XL marcis capitulo maioris ecclesie Coloniensis libere et absolute vendidit anno 1256. Que curtis venditionis tempore obligata erat quibusdam pistoribus Coloniensibus, a qua obligatione conuentus noster per prefatum capitulum maioris ecclesie exoneratus cogitur annuatim viginti quatuor maldra tritici perpetui census eidem capitulo exoluere etc.

## Henricus decimus sextus abbas
(qui prefuit viginti quinque annis).

Henricus illius nominis primus Emechoni primo in dignitate abbaciali successit, qui ex nobili comitum prosapia de Reynenberg originem traxit, cuius pater Arnoldus vocatus fuit, mater vero Mathildis. Hic pro posse suo redditus feudales aliquando a precessoribus suis elocatos redimere curauit. Redemit namque decimas vndecim mansorum sitorum in parochia de Owenheym, de quibus dedit duabus personis, quoad uiuerent, annuatim LV maldra bladi medietate tritici et medietate siliginis et post mortem debet eorum memoria seruari, prout continetur instrumento sub L. XX. Redemit etiam duas karratas vini, quas dominus de Permunt a monasterio nostro pro feudo solet recipere pro triginta marcis legalium denariorum, vt patet in epistola sub D. XVII. Sollicitauit quoque apud comitem Juliacensem Wylhelmum, ne silua Bylke nominata *extirpa*retur, epistola canit sub X. vndecimo. Fecit cum quodam

domino Henrico de Bachem quondam aduocato nostri monasterii compositionem, quam archiepiscopus Coloniensis Engelbertus secundus sigillo proprio roborauit, vt patet in epistola sub O. primo. Fecit quoque aliam concordiam cum aduocato huius monasterii, vti clamant litere sub O. tertio et O. quarto. Quidam domicellus Theodericus nomine de Voleimutstede resignauit monasterio nostro tres amas vini et octo solidos, que ex Benchouen sibi annuatim reddebantur, vt sonat epistola sub C. XVI. Recepit etiam quadraginta iurnales iacentes in campis Danswylre, qui venerant ad manus aliorum, sed per discretionem illustris Walrami ducis Limburgensis fuerunt restituti, sicut dicit epistola sub C. XVIII. Certe iste venerabilis abbas profectum nostri monasterii auidissime cupiebat, sed tranquillitas temporis ei minime arrisit.

Eadem tempestate magna turris ecclesie nostre parrochialis in Kirdorff fuit funditus destructa, eo quod rustici ex ea se defendissent. [1])

Circa idem tempus hic venerabilis abbas Henricus computationem generalem fecit de statu monasterii nostri, prout in hac sequitur carta: Vniuersis presens scriptum inspecturis Henricus dei pacientia abbas totusque conuentus monasterii Brunwylrensis ordinis s. Benedicti salutem in domino. Noueritis, quod propter diuersas exactiones laicalis potentie et terre sterilitatem, quas iam pluribus annis passi sumus nec non et intemperiem grandinis caristiam temporis et alia incommoda, que nobis superuenerunt, inciderimus in defectum rerum et periculum hominum, ita quod vniuersis debitis, in quibus diuersis tenemur creditoribus anno domini MCCLXXI quarto decimo kalend. Octobris computatis ipsa debita ascendunt in nongentas marcas et quinquaginta Coloniensium monete, item ad centum et quatuordecim marcas tribus solidis minus Coloniensium monete, quas soluere tenemur domino Wylhelmo comiti Juliacensi in subsidium liberationis domini nostri Engelberti archiepiscopi Coloniensis ecclesie. Nos prouide deliberati et vnanimi consilio prehabito accedente ad hoc autoritate et consensu reuerendissimi patris et domini nostri Engelberti Coloniensis ecclesie archiepiscopi in hoc concordauimus et consensimus et consentimus communiter et singulariter, ne ali-

1) In dem Kriege zwiſchen Erzbiſchof Engelbert von Falkenburg und dem Grafen Wilhelm von Jülich.

quid de bonis immobilibus nostri monasterii occasione huiusmodi debitorum contingat alienari, quod omnes redditus nostros presentis anni tam in blado quam in vino quam denariis ac aliis prouentibus in predictorum cedant solutionem debitorum, et per manum Theoderici cellarii et Wilhelmi monachi capellani nostri monasterii, quos ad hoc deputauimus sub iusta et equa computatione nobis inde facienda in huiusmodi solutionem fideliter dispensentur etc. Hanc profecto computationem idcirco ipsum reor fecisse, quia in proximo erat profecturus ad consilium generale, quod Gregorius decimus summus pontifex erat Lugduni celebraturus. Nam omnes abbates huius prouincie istum venerabilem abbatem Henricum tamquam prudentem et eloquentem virum suum procuratorem constituerunt, prout in sequenti manifestatur epistola.

Sanctissimo in Christo patri ac domino sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici Gregorio decimo s. Panthaleonis, s. Martini, s. Viti Gladbacensis, s. Hereberti Tuiciensis, s. Michaelis archangeli Sibergensis et in Graedscaf monasteriorum abbates ordinis s. Benedicti Coloniensis ciuitatis et diocesis nec non decanus Malmundrensis eiusdem ordinis et diocesis cum genuum flexione deuota pedum osculatione beatorum sanctitati vestre significamus, quod nos et quilibet nostrum iuxta promissionem sanctitatis vestre super procuratoribus, abbatibus et patribus non exemptis de singulis diocesibus ad consilium destinandis venerabilem virum dominum Henricum monasterii Brunwilrensis abbatem ordinis s. Benedicti Coloniensis diocesis exhibitorem[1]) presentium pro nobis et quolibet nostrum in curia vestre sanctitatis verum et legittimum procuratorem nostrum constituimus fecimus et ordinauimus ad recipiendum apostolicum mandatum, cum omni ordinatione ipsius consilii super his, que in eodem consilio sunt agenda dantes eidem potestatem et speciale ac plenum et legittimum mandatum prestandi in animas nostras, si opus fuerit, cuiuslibet generis iuramentum et ad facienda omnia pro nobis et nomine nostro in eodem consilio quicquid nos facere possemus seu deberemus, si personaliter presentes essemus et quicquid facere potest et debet verus legittimus procurator ratum et gratum habentes quicquid procurator pro nobis fecerit in pro-

1) Die Handschrift hat: exhibitum.

missis. In cuius rei testimonium subscriptum sigillis nostris duximus muniendum. Datum dominice incarnationis anno MCCLXXIIII.

Sed hic aduertendum, quod priusquam idem abbas iter arriperet versus Lugdunum, commisit capellario suo vni scilicet monachorum nomine Wylhelmo omnes curtes siue grangias monasterii, vt sua industria omnia blada siue frumenta adhuc residua conseruarentur etc.

Sanctus Thomas de Aquino ordinis predicatorum doctor gloriosus ad predictum generale concilium a summo pontifice prefato ob singularem doctrine sue excellentiam vocatus fuit. Qui obedire volens iter quidem arripuit a conuentu suo, qui est Neapolis, sed in Campaniam veniens infirmari cepit, propter quod declinauit a via ad monasterium fosse noue ordinis Cistèrciensis ibique vitam finiuit et sepultus fuit, sed postea inde corpus eius Tholosam translatum est.

Iste venerabilis abbas precipuam familiaritatem cum illustrissimo doctore Alberto magno in monasterio ordinis predicatorii degente habuit, cuius consilio sepius in suis difficultatibus vsus fuit, sicuti in sequentibus literis quisque aduertere poterit. Sequitur epistola:

Viris religiosis ac plurimum sibi in Christo dilectis domino Henrico de Reynenberg abbati totique conuentui fratrum in Brunwylre ordinis s. Benedicti abbatis frater Albertus episcopus quondam Ratisponensis sincere dilectionis constanciam cum salute. Quia paci vestre nec non vtilitati intendo consulere quantum possum, sicut ille nouit, qui cordium est cognitor et inspector, ideo causam mihi tamquam arbitro[1]) ex parte vestra quondam commissam suspendo ad quinque annos propter diuersas rationes, quas longum esset presentibus explicare, volens igitur et mandans, vt interim omnia sint et maneant in suo statu, sicut hactenus permanserunt, videlicet vt nec abbas in preiudicium conuentus nec conuentus in preiudicium abbatis in exactionibus blandis siue in quibusdam aliis aliquid audeat attentare. Nec istud terreat vel conturbet vos, quod differo negocium et suspendo hoc ipsum mihi commissum, quia interim propono plenius de causa cognoscere mihi quasi arbitro tradita et certe quanto citius possum fine laudabili terminare domino adiuuante et hoc

1) In der Handschrift hier und unten: arbitri.

certe cum consilio discretorum virorum. Datum Colonie ex nostro claustro anno domini MCCLXXVII etc.

Circa idem tempus accidit in Traiecto superiori cum homines vtriusque sexus choreis ac aliis vanitatibus operam darent super quendam pontem, sacerdoti per eundem pontem venerabile sacramentum corporis domini nostri Jesu Christi ad egrotantem deferenti suis lusibus nimium adherentes quasi nullam reuerentiam exhibuerunt. Et hoc non impune, nam statim vt pertransisset sacerdos, pons fractus est et viginti homines in aqua Mose submersi sunt.

Sub isto quoque abbate anno videlicet MCCLXXVIII adhuc viuente Alberto Magno glorioso doctore et Sifrido dignitatem archiepiscopalem Coloniensis ecclesie tenente, facta fuit reuelacio cuidam deuoto fratri nomine Yngeberdo ordinis Johannitarum in Colonia in die s. Valentini martiris. Nam manifestatum est eidem fratri per trinam ammonitionem, vbinam inueniret corpus beate Cordule, que fuit vna de vndecim milibus virginum.

Anno autem domini MCCLXXX occisus fuit s. Wernerus a pessimis iudeis apud Wesaliam superiorem, qui requiescit circa Bacharatum (sic), cuius festum celebratur ibidem XVI kal. Decembris.

Hic etiam venerabilis abbas dominum gratiosum archiepiscopum Coloniensem Sifridum petens licentiam et confirmationem sequestrationis bonorum monasterii aliquando per Conradum predecessorem suum facte etc. Cuius equidem postulationi in sequentibus literis satisfecit: Sifridus dei gratia s. Coloniensis ecclesie archiepiscopus sacri imperii per Ytaliam archicancellarius vniuersis presentes literas inspecturis salutem in domino perpetuam. Literas bone memorie domini Conradi predecessoris nostri vidimus et legimus in hec verba: Conradus dei gratia s. Coloniensis ecclesie archiepiscopus etc. Et nos Sifridus vestigiis predecessoris nostri bone memorie inherentes dictam ordinationem et sequestrationem superius vestri monasterii bonorum expressas ratas habentes atque gratas ipsam ordinationem in nomine domini confirmamus dantes has literas nostras in testimonium super ea. Datum Colonie octauo kal. Augusti anno domini MCCLXXXIII.

Infirmitate breui tempore laborans debitum nature exoluit in *vigilia* s. Laurencii martiris anno scilicet domini millesimo

ducentesimo octogesimo octauo, quo conflictus contigit circa Woringen, postquam viginti quinque annis tribus mensibus minus prefuisset. Sepultus est autem honorifice ante fores capelle s. Benedicti in ambitu, prout viuens disposuerat.

### Arnoldus primus, decimus octauus abbas
(qui prefuit tribus annis et vno mense).

Arnoldus post defunctum Henricum primum vnanimiter electus fuit. Hic longo tempore propter captiuitatem episcopi pro benedictione atque confirmatione expectare cogebatur. Quem demum episcopus Sifridus compatiens nostro monasterio gratis iuxta priuilegia nostra confirmauit et benedixit. Iste equidem venerabilis abbas viribus amplis insudauit damna monasterii recuperare. Sed bellis durantibus monasterium eo tempore nimium erat grauatum propter exactiones et diuersis hominibus tenebatur in debitis, quapropter maxima necessitate compulsus quamuis satis inuite vendidit duas curtes domino Cunoni de Arwilre marschalco, vnamquamque curtem pro octingentis marcis pagamenti Coloniensis monete. Istarum habitationum hec sunt nomina scilicet Benchehouen et Kudenkouen et sunt vendite cum omnibus agris, siluis, pratis, vineis ac omnibus iuribus suis exceptis vasallis et curmedis ad abbatem semper pertinentibus. Nihil aliud de isto venerabili abbate reperire potui. Nam post tres annos vno addito mense ab hac luce subtractus est in profesto s. Michaelis archangeli anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

### Leonius de Nuenare, decimus nonus abbas
(qui septem annis prefuit).

Leonius ex illustri prosapia comitum de Nuenar originem ducens huius monasterii regimen post defunctum Arnoldum primum omnium fratrum votis vnanimiter in eum concurrentibus accepit. Quem gratiosus dominus archiepiscopus Coloniensis ecclesie Wickboldus nomine iuxta priuilegiorum nostrorum tenorem gratis confirmans benedixit. Certe perscrutans curiosius volumen literis priuilegiorum atque reddituum nostri monasterii descriptum repperi istum probum virum sub Emechone primo

abbate autem XVI. fuisse huius loci cellarium, sicuti manifeste innotescit bulla, que continetur sub litera C. XV, in qua agitur de aduocato in Mesenich, quantum annuatim a nostro monasterio reciperet et in eadem abbas Emecho et Leonius cellarius cum certis aliis assignatur testes fuisse anno d. MCCLXIII. Idem quoque in nonnullis aliis literis inuenitur, cui quidam Wilhelmus nomine in subsidium associatus fuit. Diligentur igitur calculans inueni ipsum quasi triginta annis cellarium huius monasterii fuisse et illud officium laudabiliter expleuisse. Cuius fidelitatem fratres perpendentes ipsum vnanimiter in abbatem et rectorem istius monasterii elegerunt, vt supra tactum est. Hic profecto toto nisu studuit ampliari morum honestate atque virtutum nobilitate generosam stirpem suam decorare. Siquidem inter ceteras virtutes misericordiam precipuam habuit erga pauperes, quorum tunc maximus erat numerus in his terris propter bella ab Engelberto et Siffrido archiepiscopis gesta. Fertur namque de ipso, quod in quadragesimali ieiunio, quam diu abbas erat triginta sex pauperes (preter illos, qui in hospitali erant) ....[1]) quotidie. Istius abbatis tempore pueri et qui adolescentioris erant etatis hic suscipiebantur, quibus preerat clericus secularis ad instruendum eos prima rudimenta grammatices. Vnde contigit quadam vice quendam illorum iuuenum artium studiis minus operam dantem a pedagogo suo corrigi, sed iuuenis nomine Arnoldus scole correctionis impatiens ira inflammatur et tamquam audax atque animosus et vindicte cupidus caput pedagogi sui pugnis impeciit. Quem tamen non adeo percutiens leserat, vt sanguinem emitteret. Quapropter venerabilis abbas Leonius expertus et prudens et sciens vtique, quemadmodum audaciam iuuenis reprimeret atque deterreret, misit eundem tamquam excommunicatum ad vicarium archiepiscopi Coloniensis, qui illo tempore erat decanus ecclesie sancte Marie ad gradus. Et hoc non ex necessitate (quia per se ipsum potuit ipsum absoluere), si excommunicatus fuisset, sed factum fuit ex industria in terrorem ipsius et aliorum. Sequitur epistola, quam abbas eidem iuueni tradens misit ad prefatum archiepiscopi Coloniensis decanum: Venerabili in Christo et discreto domino ecclesie sancte Marie ad gradus in Colonia Leonius diuina miseratione abbas

1) In der Handschrift steht: pauebat.

et prior cum toto conuentu monasterii s. Nicolai in Brunwilre orationes in Christo nostras deuotas. Cum dominus noster archiepiscopus Coloniensis autoritate sua ordinaria vobis commiserit (vt dicitur) officium[1]) absolutionem impendendi clericis vel aliis, qui manus violentas in clericos siue monachos iniecerint, hinc est quod Arnoldus dictus scole frater et monachus nostri monasterii in ordine subdiaconus constitutus in Gerlacum clericum secularem ordinis acolitatus rectorem scolarium iuuenum manus violentas iniecit dando ei manu sua ictus ad caput, ex quibus tamen ictibus sanguis non profluxit nec alias atrociter lesus fuit ab eodem, discretionem ergo vestram rogamus, quatinus ipsum Arnoldum monachum nostrum a sententia excommunicationis (quam[2]) ex hoc incidisse creditur) autoritate vobis concessa misericorditer absoluatis et dispensetis cum eodem, si necesse fuerit. Quod etiam desideramus per vestras cognoscere literas sine dilatione. In cuius rei testimonium nos abbas dictum Arnoldum nostrum monachum cum literis nostris ad vos direximus. Datum feria quarta post festum diui Gereonis martiris anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

Circa idem fere tempus quidam huius monasterii frater nescio quam ob causam tentatus monasterium suum relinquens aufugit ad amicos suos. Deinde etiam nonnulla damna monasterio intulit, sed postea tamen penitentia ductus bonis viris ac dominis mediantibus videlicet abbate s. Martini maioris in Colonia et Wernero abbate in Tuitio, Gerardo canonico maioris ecclesie in Colonia, Hugone thesaurario eiusdem ecclesie et Joanne canonico s. Gereonis in Colonia, idem frater rediit ad monasterium suum et de commissis dolens veniam coram abbate et conuentu postulauit, cui nihil plus quam emendam cum parua penitentia pro satisfactione iniuncta fuit, frater namque eius secularis omne damnum quadringentis marcis satisfecit.

Hic venerabilis abbas adiit dominum gratiosum dominum Wickboldum archiepiscopum Coloniensem suggerens ei, quatinus mandato sue autoritatis compesceret insolentiam quorundam iu-

1) In der Handſchrift fehlt officium.

2) incidere ſcheint mit dem bloßen Accuſativ verbunden zu ſein.

niorum fratrum, qui tractatibus et negociis capitularibus se intromiserunt, antequam fuissent a magisterio absoluti. Cuius quidem petitionibus archiepiscopus libenter annuens tale ei, vt sequitur mandatum, direxit etc.

Wickboldus dei gratia s. Coloniensis ecclesie archiepiscopus, sacri imperii per Italiam archicancellarius dilectis in Christo abbati et conuentui Brunwilrensi salutem in domino. Accedens ad presentiam nostram dilectus in Christo Leonius abbas nobis humiliter supplicauit, vt nostro mandato stricte restringeremus quorundum iuuenum monachorum temeritatis audaciam, qui se in causas monasterii intromittunt volentes esse capitulares culparum et causarum, antequam absoluti sunt a magisterio. Quapropter iustis vestris, o abba, petitionibus inclinati precipimus sub pena excommunicationis nullum monachorum a magisterio absolui, nisi eorum magistro ac priori cum senioribus visum fuerit expedire. Nulli ergo nostram confirmationem, prohibitionem liceat infringere nec ei ausu temerario contraire. Si quis autem contra eam prohibitionem venire presumpserit, dei omnipotentis, beate Marie virginis, apostolorum Petri et Pauli, similiter et nostram indignationem se nouerit incursurum, adiiciens etiam, quod deinceps non recipiatis vltra numerum vobis superius positum, quoadusque monasterio maior arriserit facultas. Datum anno d. MCC nonagesimo septimo quarto idus Februarii.

Idem venerabilis abbas sollicitauit, vt rehaberemus decimas in Ouschem prope Berchem, que per negligentiam fuerant surrepte etc., vt patet in bulla sub litera L. decimo nono.

Demum hic venerabilis abbas cum fere omne tempus suum in officiis cellerarie et abbacie pro commodo monasterii admodum laboriose expendisset et canis decoratus senio confectus fuisset, deliberauit se pastorali cura exonerare et petiuit coram fratribus cum bona pace a tanto onere supportari, fratres autem attendentes venerabilem senectutem eius et labores, quibus pro vtilitate monasterii desudauit, libenter eius votis assensum prebuere. Hinc ipse quam primum ad locum istum citari fecit abbates s. Martini et s. Panthaleonis in Colonia et in Tuitio nec non reuerendissimum archiepiscopum Coloniensem dominum Wickboldum istud negocium simul eis insinuando. Qui cum in hoc loco *compa*ruissent, coram ipsis prelatis ipse Leonius abbas huius

monasterii resignauit dignitatem abbacialem ad potestatem conuentus, vt alium eligerent huic loco idoneum abbatem. Quod cum archiepiscopus consensisset, elegerunt fratres vnanimiter atque canonice reuerendum dominum Ludolphum in huius monasterii abbatem. Electione igitur facta insteterunt venerabilis abbas Leonius cunctique fratres et petiuerunt archiepiscopum, quatinus ipsum vna vice confirmaret atque benediceret gratis more solito secundum tenorem priuilegiorum huius monasterii. Quod cum audisset Wickboldus archiepiscopus scrutari fecit monasterii nostri priuilegia per notarium suum publicum nomine Gisbertum, vtrumne hec priuilegia essent vera. Et idem Gisbertus publico instrumento professus est nostrum monasterium liberum esse in hac parte et in multis aliis exactionibus, vti ipsa priuilegia latius sonant: Ego Gisilbertus clericus imperiali autoritate publicus notarius priuilegia s. Nicolai episcopi in Brunwilre de verbo ad verbum legi et relegi, nihil addidi vel minui verbum aliquod, quod posset mutare sensum. Auscultatione igitur facta fideli transsumpsi et explanaui reuerendissimo in Christo domino Wickboldo archiepiscopo Coloniensi autoritatem ad hoc prestante et sigillum suum appendente et in hanc publicam formam redegi, ita auscultantibus omnibus presentibus intimandoque prenominatum monasterium s. Nicolai episcopi cum omnibus suis, que habet et in posterum poterit possidere, sunt roborata, ratificata et exempta per summos pontifices archiepiscopos Colonienses et imperatores. Acta sunt hec a natiuitate domini MCC nonagesimo nono, indictione vndecima, mensis Januarii die XXVI meo signo consueto omnia signaui et conscripsi. Istud instrumentum idem notarius archiepiscopo ad legendum tradidit et pro memoriali hic reliquit.

Postquam itaque dominus gratiosus dominus Wickboldus archiepiscopus Coloniensis sufficienter de priuilegiis nostris per notarium proprium fuisset informatus, prefatum abbatem gratis, prout ipsa eanunt priuilegia, solemniter benedicens confirmauit. Deinde quoque consilium habentes tractauerunt ipse archiepiscopus et ceteri prelati, quantum reuerendo domino Leonio, qui curam pastoralem resignauerat, pro annua sustentatione assignaretur et tandem vnanimiter conclusum est, sicut in sequenti carta ab archiepiscopo Coloniensi data plenius continetur: Wickboldus dei gratia

s. Coloniensis ecclesie archiepiscopus sacri imperii per Italiam archicancellarius. Vniuersis presentes literas inspecturis salutem in domino. Noueritis, quod nos attentis meritis religiosi viri in Christo nobis dilecti Leonii olim abbatis monasterii s. Nicolai in Brunwylre ac propter hoc volentes ipsum prosequi speciali fauore et gratia de consensu communi et vnanimi voluntate et consensu domini Ludolphi abbatis et conuentus dicti monasterii ordinamus et statuimus, quod idem Leonius quondam abbas et eius capellanus cum vno famulo specialem habeant mansionem et eidem quondam abbati deputamus singulis annis quoad uixerit de redditibus abbacie recipiendas et soluendas quatuor carratas vini XX maldra tritici et totidem siliginis et quinquaginta maldra auene. Quos redditus precipimus sub pena excommunicationis late sententie in scriptis sibi singulis annis assignari. Ceterum omnia vtensilia, equos, pecora et mobilia per ipsum comparata volumus sibi reseruari. Vt autem hec omnia eidem obseruentur, sigillum nostrum vna cum sigillo abbatis et conuentus monasterii predicti presentibus est appensum. Datum anno d. scilicet MCCXCVIII.

Sic ergo constat ipsum venerabilem abbatem Leonium octauo regiminis sui anno dignitatem abbacialem resignasse, sed quanto tempore post resignationem superuixerit, penitus est incognitum. Obiit autem octauo idus Februarii, qui honorifice sepultus est ante introitum capituli, prout viuens disposuerat.

## Ludolphus, vigesimus abbas
### (qui sedecim annis prefuit).

Confirmatus itaque Ludolphus abbas, vt prelibatum est, opido nisus est vtilitatem et honorem monasterii vndique promouere. Vnde secundo anno regiminis sui adiit inuictissimum imperatorem siue regem Romanorum Albertum supplicans maiestati eius, quatinus priuilegia nostri monasterii ab Henrico 3° Romanorum imperatore quondam data confirmaret. Cuius quidem precibus rationabilibus Romanorum rex magnificus Albertus illo in tempore Moguntie existens libenter annuit et scripta desuper facta regali sigillo munita donauit, vt patet sub litera B. sexto. Sequenti anno comparauit aliqua bona temporalia, que ibidem bonis hominibus elocauit, vt canit carta sub litera C. XIX.

Eodem anno contentauit etiam quosdam homines litigantes super decimas, quas precessor suus Leonius abbas receperat in Oyschem. Hic ergo data parua pecuniarum summa prefatos homines illas decimas monasterio nostro penitus renunciare fecit, vt liquet ex epistola sub lit. P. duodecimo.

Eodem anno scilicet domini MCCC Bonifacius octauus iubileum Rome celebrauit et plenam omnium delictorum remissionem limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli cum ceteris ecclesiis visitantibus liberaliter concessit.

Circa idem tempus adeo ingens gelu tempore brumali in istis terris erat, vt renus ante Coloniam congelatus a festo s. Agnetis virginis ac martiris liberum hominibus preberet transitum inclusiue vsque ad festum s. Heriberti archiepiscopi Coloniensis. Nam cum collegia canonicorum in Colonia de mane per glaciem ad Tuitium ex more s. Heribertum visitauissent, eadem die glacies resoluta est et in tanto turbine ac impetu glacies a superioribus partibus descendens renum repleuerat, vt hominibus, qui illo in tempore a Colonia ad Tuitium venerant, penitus regressum per aliquod tempus denegaretur. Nedum in his prouinciis, verum etiam in Ytalia et in cura Romana horridissima hiems extitit. Et in plerisque locis maximi terre motus fuere. Eciam cometes circa idem tempus apparuit. Que omnia iudicia future calamitatis ab hominibus estimabantur. Et non frustra, nam preter alias guerras et bella tanta subsequuta est caristia, vt plures homines in his finibus fame interirent. Quam ob causam venerandus abbas Ludolphus fuit plurimum anxiatus in animo super numero precipue multorum fratrum suorum, qui eo tempore in hoc monasterio sustentabantur. Demum habito consilio fratrum suorum misit priorem suum nomine Godefridum de Meren ad curiam Romanam, vt per apostolicum mandatum possit monasterio nostro in istis penuriis subueniri. Pater prior itaque opus obedientie fideliter exequens impetrauit a summo pontifice indultum apostolicum, vt quatuordecim fratres deberent ex hoc loco dimitti aliquo temporis spacio ad alia loca, vbi victualia in meliori foro essent. Dum ergo venerabilis pater prior reuersus fuisset, mox XIIII fratres propter maximam victualium penuriam sunt emissi ad alia nostri ordinis monasteria. Quorum aliqui venerunt ad s. Matthiam prope Treuirim et ad s. Maximinum ibidem, alii

ad s. Jacobum in Leodio et ad s. Laurentium prope Leodium, reliqui ad s. Trudonem. Hic venerabilis abbas impetrauit ab archiepiscopo Coloniensi Wickboldo mandatum contra illos, qui iudicabant iuniores fratres, statim cum essent professi et in sacris ordinibus constituti, absoluendos. Sequitur mandatum: Wickboldus dei gratia s. Coloniensis ecclesie archiepiscopus dilectis in Christo abbati et conuentui monasterii s. Nicolai episcopi in Brunwylre ordinis s. Benedicti salutem in domino sempiternam. Statuta predecessorum nostrorum de institutione nouellorum monachorum renouamus primo, vt de cetero adolescentes monachi de magisterio non emancipentur, nisi primum sint diaconi et cantor cum eorum magistro eos comprobauerit absolui et demum prior cum senioribus eorum meritis exigentibus viderint expedire. Tunc prior et seniores pro eisdem apud abbatem possunt absolutionem petere et si, quod absit, per suos amicos vel per se aut per alium clam vel manifeste laborauerint et in hoc deprehensi fuerint, extunc per biennium continuum omnino spem emancipationis amittant et iterum sub iugo magisterii sciant se obligatos, nisi postea prior cum senioribus et eorum directoribus testimonium tale dederint coram domino abbate resignationis et humilitatis, si illis videtur dignum, vt absolutionem a magisterio obtinere debeant. Non tamen ex toto absolutionem obtineant, ne ipsa inuentus, que semper lasciua transit in preceps propter facile libertatis indultum. Si quis se huic ordinationi indiscrete opposuerit, disciplinam condignam non euadat sui protunc abbatis etc.

Hic etiam venerabilis abbas vni viro fideli cum vxore sua dedit victum et amictum tali conditione, vt pomerium nostrum excolerent, quod et fideliter fecerunt. Nam vir ille diuersas arbores pomerio nostro inseruit scilicet pomorum, pirorum, castanearum et aliarum et hic primitus creditur castaneas pomerio nostro inseruisse. Et hoc ideo, quia cum prius in silva nostra erant plantate, vulgus eas furtiue surripiebat et conuentus parum aut nihil inde recipiebat. Vxor autem predicti viri ortum olerum pro conuentus ac familiarum necessitate diligenter excolebat, sicuti hec in quadam carta descripta fuerunt reperta etc.

Hic etiam venerabilis abbas plantari fecit salices prope Sinteren pro sepibus faciendis circa horrea et alios diuersos vsus

etc. Fecit quoque et ordinauit, vt conuentus reciperet pictantiam de recentibus piscibus et duplicem portionem vini in die s. Viti martiris, quatinus fratres eo alacrius et festiuius celebrarent et summa missa per priorem cantaretur, sicque factum, vt ab illo tempore vsque ad reformationem, donec collectaria essent impressa, festum medium in hoc monasterio de eodem sancto seruaretur. Postquam autem collectaria erant impressa, de cetero tantundem commemoratio de predicto sancto fuit. Ceterum ex hoc verisimiliter opinari quisque poterit, hunc abbatem maximam deuotionem erga s. Vitum habuisse et ob eius honorem altare iuxta minorem sacristiam consecrari sollicitasse. Nam nusquam de hoc altari reperitur, per quem aut quo tempore consecratum fuerit.

Preterea quoque eodem abbate sollicitante consecratum fuisse pie presumitur, quia eius tempore altare s. Dionisii (quod ex opposito situatum est) sequens scriptum manifeste docet consecratum esse ab Henrico videlicet episcopo Redestodensi vicario autem archiepiscopi Coloniensis ecclesie Henrici:

Frater Henricus dei gratia Redestonensis episcopus venerabilis patris domini Henrici s. Coloniensis ecclesie archiepiscopi per ciuitatem et diocesim Coloniensem in pontificali officio vicarius. Vniuersis presentes literas visuris salutem consequi in domino sempiternam. Cum ex charitatis imperio teneamur populum domini quibusdam muneribus spiritualibus ad pietatis opera allicere et ad eterne salutis brauium[1]) diligentius inuitare, hinc est, quod nos omnibus christifidelibus vere contritis et confessis, qui ad altare, quod nos a. d. MCCCVI die dominica proxima ante festum purificationis beate Marie virginis in monasterio s. Nicholai episcopi in Brunwilre in honore et nomine sanctorum Dionisii et sociorum eius martirum, trium regum et s. Margarete virginis consecramus in festis infra scriptis videlicet natalis domini pasche, ascensionis, penthecostes seu in quatuor festiuitatibus beate Marie dei genitricis et per octauas festorum omnium predictorum siue in festis singulorum apostolorum Dionisii et sociorum eius martirum, Nicolai pontificis, Egidii abbatis, trium regum, Margarete virginis et omnium sanctorum deuote accesserint oraturi

1) Brabium (βραβεῖον) Kampfpreis.

siue qui ad luminaria, calicem, libros, ornamenta dicti altaris manum porrexerint adiutricem, de omnipotentis dei et gloriose genitricis eius, beatorum apostolorum Petri et Pauli autoritate et pietate confisi quadraginta dies de iniuncta sibi penitentia in domino misericorditer relaxamus. Datum Colonie a. d. millesimo trecentesimo sexto in crastino dominice, qua cantatur Reminiscere etc.

Eodem tempore, quo hoc altare fuit consecratum, creditur, quod immunitas, que propter interfectionem vnius canonici s. Cuniberti in Colonia in abbacia peractam fuerat violata, per dictum episcopum sit reconciliata. Hic autem canonicus dictus fuit Walramus de nobili familia de Schouebreg oriundus, cuius amici fuerunt abbati et conuentui nostro per aliquod tempus aduersarii, sed postmodum melius informati monasterium nostrum penitus excusantes inimicari cessauerunt, vt hoc collectum est ex quadam missiua causas huiusmodi continente et ad venerabilem dominum abbatem Ludolphum directa.

Moritur demum, postquam sedecim annis prefuisset, ipso die s. Agnetis virginis ac martiris anno videlicet domini MCCCXIII vndecimo kalendas Februarii. Qui sepultus est in sinistro latere ecclesie nostre circa altare s. Michaelis archangeli.

Epitaphium eiusdem abbatis:

Annos millenos domini[1]) tredecimque trecentos
Obtinet vndenas Februo retinente kalendas,
Quando defunctus fuit abbas iste Ludolphus,
Quem Nicolae, Vite, Martine Medardeque tute
Reddite celesti saluum de sorde scelesti,
Pax requiesque salus pia mansio sit sibi Christus.

## Menfredus, vigesimus primus abbas.

Ingresso itaque vniuerse carnis viam Ludolpho fratres erant admodum discordantes in electione noui abbatis. Nam aliqui

1) In der Handschrift: domino. Der Text ist vielleicht corrumpirt; obtinet heißt wohl die Zeitrechnung enthält, zählt ꝛc.

scilicet officiales et extranei elegerunt sibi vnum, conuentuales vero fratres alium. Tandem autem conuentione facta dederunt vota sua quinque compromissariis per compromissi simplicis instrumentum [1]), quatinus illi quinque vnum eligerent, quem pro abbate tenerent. Dum igitur premissi compromissarii minus concorditer elegerunt, quia vna pars Menfredum habere voluit pro abbate, altera vero Arnoldum Scholle, qua propter venerabilis pater tunc temporis huius cenobii prior Godefridus nomine misit literas ad quendam doctorem Coloniensem in iure peritum, qui eo tempore istius monasterii erat procurator, petens in hac re plenius informari. Qui quidem doctor sequentem cedulam priori respondit: Diuina sapientia cum vinculo vnitatis spiritus sancti pro salute. Domine prior Godefride recipiatis instrumentum compromissi vestri et vtrum sit eidem inscriptum, quod ille, in quem omnes quinque compromissarii vestri seu maior pars consenserit, in abbatem preficiatur. Quia sic sonat compromissum, duo possunt eligere tertium humiliter consentientem, non tamen se eligentem. Si vero contineretur, quod ille, in quem omnes seu tres consentirent vel etiam quem omnes seu tres elegerent, pro electo haberetur, tunc oportet, quod tres in quartum consentirent. Sic etiam sentit magister Godefridus de Rude. Etiam domine prior ita concorditer et pacifice in negocio electionis agatis, quod vobis dissentionis valeat impingi. Insuper scitote, quod melius esset talem eligere, qui aliqualiter esset tolerabilis concorditer, licet non esset optimus, quia sufficit, quod sit bonus, quam statum monasterii vestri dissentionibus et coelectionibus et damnis infinitis et scandalis periculose subuerti. Valete charissime domine prior cum omnibus fratribus in Christo pro nobis deum exorando.

Hanc equidem doctoris epistolam conditiones simplicis compromissi et differentias exprimentem in totius conuentus presentia venerabilis pater prior Godefridus de Merem perlegit, sed heu minime quosdam fratrum ad concordiam reuocare potuit. Nam vnus quisque sue parti pertinatius adhesit nullusque alteri cedere voluit. Causam autem istius dissentionis principalem pro certo exprimere nequiui, quia acta aduersantium nusquam reperire potui. Ceterum cum licitum sit iuxta regulam iuris inspicere in

1) Das Wort instrumentum fehlt in der Handschrift.

obscuris, quod est verisimilius vel quod plerumque fieri consueuit, hinc mihi (si opinioni mee creditur) apparet dominum Menfredum fuisse vnum de quinque prefatis compromissariis, quem duo compromissariorum in abbatem elegerunt, qui tertius eorundem existens non quidem se elegit, sed in electionem de se factam per duos compromissarios humiliter consensit. Reliqui vero duo Arnoldum Scholle elegerunt, in quem et maior pars conuentus notabatur consensum prebere. Hac itaque ex causa aut alia ferme consimili (vti responsoria doctoris epistola prodere videtur) tantam reor emanasse differentiam et dissentionem, quoniam quidem (vt constat) gratiosissimus archiepiscopus Coloniensis Henricus secundus de comitatu Virneburg oriundus per legisperitos de hac electionis materia plenius informatus electionem de domino Menfredo factam approbans ipsum quantotius in abbatem confirmauit.

Alter quoque videlicet Arnoldus Scolle sinistre (vt opinor) a suis complicibus persuasus nequaquam contentari voluit, sed confestim ad summi pontificis curiam properans contra dominum Menfredum appellauit, cuius profecto appellationis causas hic inseruissem, nisi me penitus latuissent. Hanc autem dissentionem nolo ignorare lectorem sub penultimo anno pape Clementis quinti exordium sumpsisse et vsque ad nouem annos et dimidium perdurasse sub Joanne papa XXII. Horum certe summorum pontificum fama admodum celebris habetur in codice Clementinarum et sexto decretalium. Quantum vero pecunie interea propter vtramque aduersantium partem de substantia monasterii expensum sit, non facile estimo dictu. Nam protinus pater prior prefatus contra Arnoldum Scholle cum non minima pecuniarum summa ad curiam Romanam mittitur, vt procuratores constituat, qui causas domini Menfredi defendant, quo expleto mox ad monasterium reuersus est. Interea quoque germani ac ceteri amici Arnoldi Schollonis (qui eo tempore potentes in his terris erant) vndique abbati Menfredo et monasterio isto (sic) mala minabantur. Quapropter consilio fratrum suorum ductus a loco isto redire et ad tutiora se conferre cogebatur. Locum itaque mansionis elegit in diocesi Treuirensi scilicet in territorio nostro ibidem sito, hoc est in Clotteno, Mesenich et aliis diuersis pagis ad nostrum monasterium pertinentibus, nec non in ipsa ciuitate

Treuirensi et in monsterio s. Mathie apostoli, vbi preter asportatam pecuniam septingentas marcas consumpsit. Nam nouem annis et quasi dimidio durante ista dissentione a monasterio defuit, vti ex literis (quas priori huius cenobii successu temporis destinauit) elici poterit. Hinc primo anno absentie sue talem epistolam priori suo Godefrido de Meren nouiter a curia Romana reuerso contra insolentias quorundam iuniorum fratrum conscripsit: Menfredus dei gratia abbas monasterii s. Nicolai episcopi in Brunwilre. Viris religiosis in Christo sibi dilectis priori, senioribus et vniuersitati capituli nostri Brunwilrensis monasterii salutem in domino eui tempore duraturam. Peruenit ad nos, quod quidam iuuenes monachi mancipati in ecclesia nostra se ingerant tractatibus et consiliis capituli nostri in absentia nostra cum senioribus volentes interesse quemadmodum eorum seniores, licet pie memorie quondam dominus in Christo Wickboldus s. Coloniensis ecclesie archiepiscopus tempore felicis memorie Ludolphi predecessoris nostri viri religiosi de eius et monachorum timorem domini habentium consilio quandam ordinationem laudabilem insituit ita sane, quod iuniores monachi quamuis professi et in ordine diaconatus constituti non deberent tractatibus causarum atque culparum seniorum interesse sub pena suspensionis et excommunicationis in ipsos ferenda. Quod idem noster reuerendissimus in Christo pater et dominus Henricus de Virnenburg archiepiscopus sua autoritate corroborauit, prout supra confectis literis plenius continetur. In his tamen aliqui ex nostris sic mancipati sunt temeritate propria contra statutum et ordinationem huiusmodi in contrarium (intelleximus in absentia nostra) venientes et nituntur facere, quod omnino non expedit tolerare a nobis, supra modum materiam offerentes indicibilis tristicie. Certe si huiusmodi aure surda voluerimus pertransire, regularis disciplina minaretur casum, propter quod volumus atque mandamus, quantum in nobis est, confirmare bonam consuetudinem et infringere malam, atque honestam et sanctam[1]) hucusque deo autore in capitulo nostro obseruatam de die in diem melius obseruari. Ex hoc vobis omnibus in virtute sancte obedientie et sub penis suspensionis et excommunicationis, quam in vos et in quemlibet vestrum et

1) Die Handſchrift hat: sunt tam.

in his scriptis ferimus in dicto statuto et ordinationem contentis, si non feceritis quod mandamus. Obsecramus igitur quemlibet vestrum in domino taliter vos habentes in premissis, vt concorditer viuere habeamus sine querela ante deum et homines. Datum ipso die s. Scolastice virginis anno dominice incarnationis MCCCXIII.

Modico temporis spacio elapso procurator causarum domini Menfredi abbatis confirmati, qui erat scolasticus ecclesie s. Pauli Monasteriensis ciuitatis vir eruditus et admodum in negociis secularibus expertus petiuit sibi mitti per fratrem suum germanum monachum ordinis diui Benedicti professum in cenobio s. Jacobi in Leodio nomine Hermannum certam summam pecuniarum pro labore suo et aliorum, qui causas abbatis Menfredi in curia Romana agebant, sicuti latius patebit in epistola sequenti.[1])

Hec epistola ad venerabilem patrem priorem huius cenobii directa fuit, quia ipse procuratores istos instituerat et condignam eorum labori mercedem addixerat. Siquidem abbas Menfredus hinc inde propter periculum corporis sui euadendum latescens quasi totius monasterii nostri regimen in manus venerabilis patris prioris Godefridi de Meren viri prudentis commendauerat, sed aliqui monachorum eius imperium paruipendentes plurima mala contra abbatem solertissime machinabantur, quod cum eidem abbati Menfredo indicatum fuisset, tale mandatum protinus patri priori mittere curauit. Sequitur epistola: Menfredus dei gratia abbas monasterii s. Nicolai episcopi in Brunwilre dilecto sibi in Christo priori eiusdem monasterii sinceram in domino charitatem cum salute. Pater prior, intelleximus, quod nonnulli monachi monasterii nostri iterum cupientes honori nostro mendaciter derogare clam et occulte quasdam suas literas contra nos a suis quibusdam monachis ad curiam Romanam direxerunt in nostram iniuriam damnum non .....[2]) atque in his non contenti sine nostro scitu et nobis irrequisito (sic) germanos fratres Arnoldi Scollonis nostri aduersarii occulte accesserunt inficientes eosdem verbis suis exhibendo ....[3]) nomine meo quam nostre esset voluntatis nocendo

1) Es folgt der Brief in der Handschrift.
2) In der Handschrift: commodiori (undeutlich) et grauamine.
3) In der Handschrift: plurs.

in hoc nobis centum marcas brabantinorum denariorum et amplius suppressis his, que antea fecerunt, et cum hoc, quod maius est, impediuerunt nos, quo minus trugas nobis vlteriores et vtiliores obtineremus ab eisdem. Que quidem tam grauiter et moleste accepimus, quod nullo modo cum talibus est dissimilandum. Hinc est, quod vobis pater prior in virtute s. obedientie firmiter precipiendo mandamus et committimus per presentes, quatinus omnes et singulos huiusmodi detractores et conspiratores pulsatione solemni in capitulo nostri monasterii ad hoc inducatis, vt deo et nobis de huiusmodi temeritatis excessu emendam realiter ostendant cum omnibus, qui eis opem vel operam, consilium aut fauorem in premissis adhibuerunt, alioquin tam ipsos quam eorum socios in his scriptis excommunicamus, excommunicatos publice pronuncietis. Datum a. domini MCCCXVI ex Treuiri in vigilia s. Bartholomaei apostoli.

Ceterum post breve temporis spacium [1]) aliqui fratres nolentes ad accusationem prioris auscultare cum excommunicarentur iuxta mandatum abbatis Menfredi malis prioribus priora addiderunt. Nam fugam ineuntes etiam habitum eorum tres abiecerunt et multa damna amicis Arnoldi Scolle adherentes prediis monasterii nostri per rapinas et violentas exactiones intulerunt. Que quidem facinora cum ad gratiosissimum dominum archiepiscopum Coloniensem perlata fuissent, tale mandatum priori huius cenobii direxit.

Henricus de Virnenburch s. Coloniensis ecclesie archiepiscopus etc. religioso domino patri priori monasterii s. Nicolai episcopi in Brunwilre salutem in domino sempiternam in vinculo vnitatis et pacis. Peruenit ad nos, dilecte in Christo Godefride prior, quod aliqui ex vestris monachis videlicet Engelbertus, Hermannus et Theodericus reiecto habitu regulari contra institutionem regule beati Benedicti abbatis tibi et conuentui tuo in disciplina et obseruancia regulari inobedientes existunt et incorrigibiles, nedum istis contenti, verum etiam bona monasterii hinc inde rapiunt et violenter suis vsibus applicare non formidant et hoc in fauorem illius, qui ab ipsis et eorum complicibus est temere electus. Quare tibi mandamus in absentia tui abbatis, vt eorum vesanie fortiter obuies, quatinus eosdem in premissis culpabiles

1) In der Handschrift: brevi temporis spacio.

tenere studeas atque nobis presentes, quos cum presentaueris, volumus autore deo cum moderamine ad obedientiam debitam reducere. Datum in Godesberch castro nostro. Non multo tempore elapso vnus predictorum fratrum videlicet Theodericus demum per fautores et amicos huius loci captus est et vener. priori Godefrido presentatus. Qui eiusdem autoritate in fortem custodiam quam primum missus est et admodum dure alligatus. Quod cum fama vulgante ad amicos eius deductum fuisset, non minime tam de eius flagiciis quam de carceribus, miseriis doluere, precipue quod tali dedecore nobilis eorum progenies aliqualiter obscuraretur. Quapropter instantissime vener. patrem dominum abbatem Menfredum efflagitarant, quatinus eius dura custodia relaxaretur et ne more furum siue latronum diutius teneretur. Hinc vener. abbas Menfredus nobilem eorum propaginem attendens admodum in diocesi Treuirensi potentem presertim circa Mosellam (vbi et bona nostra sita sunt) tandem habito prudenti suorum consilio piissimis nobilium virorum precibus acquiescens subsequenti cedula eius custodiam moderari iussit.

Menfredus abbas. Notum facimus vniuersis presentes literas visuris aut audituris, quod nos ad petitionem multorum nobilium virorum precipue dominorum Joannis de Bronschen et Wirici de Winenburg militum Theodericum de Clotteno nostrum commonachum et confratem super excessibus non modicis, criminibus, forefactis et damnis nobis et nostris subditis in rapinis et incendiis communiter vel diuisim per ipsum et suos complices illatis vsque in diem presentem tamquam penitentem de commissis ad gratiam et veniam recipimus et per presentes omnia et singula sub spe perfectissime emendationis pure et simpliciter remittendo, prebendam etiam suam cum ceteris fratribus sibi restituentes in victu et amictu, quamdiu sub obedientia fuerit debita et consueta, ita tamen, quod prefatus monachus noster Theodericus more carcerali [1]) tamquam filius obedientie sub clausura compeditorum ferreorum in camera honesta cum pyropo etigne atque seruitore vno sibi absque lesione tamen enormi corporali seruiendo permanebit. Datum anno domini MCCCXVIII in vigilia sancti Mathei apostoli et euangeliste, anno vero nostre presidentie quinto etc.

---

1) Handſchrift: cercerali.

Quid autem de duobus aliis actum sit, nullam informationem er literas habere potui. Anno autem precedenti, cum hic Theoericus a captiuitate relaxatus fuerat, abbas Menfredus sepefato riori totius monasterii autoritatem, immo et domum hospitum c pauperum commiserat, quia querimonias perceperat, quod pera misericordie et eleemosinarum consueta subtrahebantur auperibus ea fortassis de causa, quia prouentus hospitalis diinuti erant per exactiones prediorum nostrorum, ex quibus ipsi ddditus recipiebantur. Attamen venerabilis abbas nolens negliere pauperes per sequens instrumentum precepit priori eorum cuam gerere.

Nos Menfredus dei gratia abbas protestamur publice per presentes, uod cum prouentus hospitalis monasterii nostri non sufficiant ad rogationem eleemosynarum dicti hospitalis et ideo consueta charitis opera non possunt adeo largiter expleri, ne ergo eleemosine et ospitalitatis pretacte ad presens minus fiant plus solito propter sam caristiam ac nostri loci miseriam et vt verius dicam controersiam penitus deficiant siue cessent, quare contradimus in his criptis et assignauimus medietatem annone hiemalis dicti hospitalis unc seminate dilecto nobis in Christo Godefrido priori monasterii ostri facientes eundem prouisorem pauperum Christi pro nunc ibi degentium atque cotidie ibidem aduentantium hospitum eidem antes in mandatis, vt medietatem hospitalis ad vsus eleemosinarum c cetera consueta hospitalis debita fideliter dispenset, nobis tantumodo postmodum, quando arriserit fortuna proueniendi ad monasteium, si requisitus fuerit, fidelem computationem faciendo assignet. t si contigerit medietatem annone hiemalis pauperibus in eleemosinam on sufficere et hoc contigerit propter grandinem siue sterilitatem el incendium aut rapinam, que heu quotidie nostrum monasterium atitur, propter quod tamen non negligantur pauperes Christo neque ospitalitas minuatur. Ergo vobis priori Godefrido mandamus, vt esiduum hospitalis in vestrum ius suscipiatis, dummodo pauperes hristi non negligantur. Cuius facti testes dominus Walramus de aclingen, nepos noster et dominus Bruno de Speculo ecclesie s. uniberti episcopi decanus. Horum robur per euidentiam per preens scriptum sigillo nostro dedimus roboratum. Anno domini MCCCXVII dominica, qua cantatur letare Jherusalem.

Circa idem tempus Henricus miles de Bachem nostri monasterii

aduocatus alterius electi in curia Romana existentis fauore simul et aliorum eidem adherentium instigatione motus militum cohortem colligens maxima damna intulit monasterio nostro ac subditis. Nam equos et cetera pecora diuersi generis abstulit et nonnullas curtes destruxit atque igni comburendas tradidit, ideo quia exactiones pecuniarum subditi soluere nequibant. Hec autem ea presertim de causa perpetrata estimantur, quia prior et ceteri officiales renuebant pecunias pro indigentiis expensarum Arnoldi Scolle in curia Romana agentis vlterius exponere et propterea tali modo cogebantur amici eius necessitatibus per rapinas prouidere etc.

Dictus autem Henricus cum de his flagiciis apud archiepiscopum fuisset accusatus, quam primum est excommunicationi maiori illaqueatus et in omnibus ecclesiis circumquaque adiacentibus pulsatis campanis candelisque succensis publice denunciatus, quamdiu monasterio talionem non redderet, sed in territorio nostro interdum positum fuit eo quod de cemiterio et emunitate nostri monasterii pecora atque alia bona temporalia subditorum surripuerat. Quod quidem interdictum longo durabat tempore, quamuis per instantias fratrum conuentualium ac plebani in Kyrtorff Christiani nomine fuit relaxatum, scilicet a festo s. Andree apostoli vsque ad festum purificationis beate virginis Marie inclusiue, quamdiu vero postea durauerit, incertum est, sicut et de restitutione rapinarum prefati Henrici de Bachem. Vix autem tempus relaxationis interdicti expirauerat, quando iterata vice fratres cogebantur cessare a diuinis, eo quod nobilis dominus Wilhelmus de Weuelkouen miles Arnoldo Scholle adherens duos filios honesti atque egregii militis N. de Stummel scilicet Radolphum et Conradum et quendam eorum familiarium[1]) vna cum suis collegis infra emunitatem nostri monasterii armata ac violenta manu inuasit et captiuos secum duxit, quo sibi placuit. Istud autem interdictum admodum diu durauit, quoniam, vt ex quadam cedula archiepiscopi Coloniensis Henrici secundi colligere potui, bina vice relaxatum fuit; quando autem terminum acceperit, conscribere nequiui, quia documenta de eo reperire non potuin. Tertia vero vice hic interdictum positum fuit, cuius quidem temporis initium aut terminum hic inserere non potui, quia penitus me latuere. Ea vero de causa positum fuisse perhibetur per officialem, quia Rimarus

[1]) Die Handſchrift: familium.

e Flysteden cum suis complicibus Godeschalcum de Meiswilkele dia-
onum et monachum huius cenobii de cemiterio violenta manu sur-
ipuit et quo sibi placuit captiuum secum duxit. Quamuis autem
ıonasterium nostrum diuersa damna et miserias pateretur, attamen
ersonas colligere diuersorum nobilium precibus pulsatus venerabilis
ater et dominus abbas Menfredus regebatur (sic), sicuti ex sequenti
ɔrma literarum elici potest:

Menfredus dei gratia abbas monasterii s. Nicolai episcopi in Brun-
ylre viris religiosis patri priori et conuentui nostri monasterii salu-
ɔm in domino sempiternam. Noueritis, quod nos maximis instantiis [1])
ŧ precibus reuerendissimi in Christo patris et domini Henrici archie-
iscopi et nobilis viri Wilhelmi primogeniti comitis Juliacensis pre-
endam in dicto monasterio nostro promisimus conferre, que prima
ccurrerit vacans, filio Ade de Hompechs, qua re rogamus, vt eidem
unc attribuatis consensum, cum intelleximus vnum ex nostris iam
iam vniuerse carnis intrasse, ideo nunc amore dei et nostri de ipsa
rebenda faueatis eidem et conferatis. Datum anno domini MCCCXIX
ıso die exaltationis s. crucis.

Hic quoque venerab. pater et dom. abbas Menfredus necessitate coac-
us vendidit aliqua bona monasterii, quoniam quidem annuales redditus
um in bladis quam vinis hinc inde per aduersarios diripiebantur,
iminuebantur et agricole terras colere non permittebantur (sic);
qui namque et cetera pecora frequenter rapiebantur, immo et ipsi
ncole huius territorii captiuabantur. Vendidit igitur venerabilis abbas
lenfredus nimia penuria compulsus vnam curtem domino Brunoni
ecano s. Cuniberti episcopi atque ceteris illius collegii canonicis.
reditur etiam nonnulla alia vendidisse, de quibus tamen certa do-
umenta habere non potui, quenam fuerint illa aut quibus sint ven-
ita. Vtrum etiam sub conditione redemptionis sint vendita aut
nitus alienata incognitum est. Dubitatur quoque an abbas Men-
redus venditioni interfuerit prefate curtis aut an prior nomine eius
endiderit, siquidem vniuersalem totius monasterii autoritatem priori
ı domino abbate concessum fuisse, sequens cedula manifestabit. [2])

Sed et complices Arnoldi Schollonis bona temporalia per Men-

1) In der Handschrift steht per vor maximis.

2) Es folgt in der Handschrift ein Vollmachts-Instrument mit dem Datum: MCCC ipso die s. Bartholomei apostoli.

*

fredum abbatem vendi perpendentes ipsi quoque nonnulla bona nostri monasterii vendidisse creduntur, sed quenam fuerint illa aut vbi sita aut quibus vendita, omnimoda veritas assignari non potest. Habuit namque monasterium nostrum multa bona temporalia in terra Montensi et aliis diuersis locis et precipue in terra Geldrensi vt duos pagos, que nominantur Assela superior et Assela inferior [1]) cum ecclesiis eorundem. Habuit etiam ibidem siluam prope Rurimundam sitam, cuius nomen est Ellenterwalt. Habuit ibidem super Mosam fluuium molendinum et nauem, que copa dici potest. Cuius profecto nauclerus ea conditione conductus erat, vt quotiescumque nostrum monasterium illa indigeret, ipse nauclerus suis ac aliorum necessitatibus postpositis nostram necessitatem prius expediret et hoc presertim in vindemia, quoniam ibidem annuatim multa frumenta de decimis et de septem curtibus (quas aliquando circa Masam habuimus siue in pagis prefatis) recipere solemus. Quotienscumque etiam aliquis familiarium nostrorum Masam transnauigare necessario ex parte monasterii cogeretur, ipse nauclerus gratis illum ab instanti nauigio transferre tenebatur. Insuper tenebatur singulis annis vnum maldrum synapis in profesto s. Thome apostoli nostro monasterio exoluere et hic presentare nec non quatuor salmones de proprio sumptu in festiuitatibus patronorum huius monasterii scilicet Nicolai et Medardi et dedicationis ecclesie nostre ad refectionem fratrum obligabatur. Ceterum quisnam istorum abbatum aut quispiam aliorum prefata bona a monasterio alienauerit, certa inde documenta reperire [2]) nequiui, ideoque nec alicui pro certo asscribere ausus fui.

Constat autem ex certis indiciis et scriptis ipsos fautores et consanguineos Arnoldi Schol quasi omnia clenodia et ornamenta ecclesie nostre raptim aut furtiue expoliasse et ad suos necessarios vsus applicasse, vt sunt scilicet preciosi libri diuersarum scripturarum, quibus illo tempore monasterium abundabat, aurea et argentea ornamenta reliquiarum, calices admodum preciosos, [3]) casulas et dalmaticas non inferioris precii et cetera huiusmodi. Nam mani-

1) Am Rande ſteht von derſelben Hand: Nota, quod isti duo pagi iacent prope Nouimagum et vnus eorum pertinet ad monasterium Campense ordinis Cisterciensis, alter vero pertinet ad monasterium monialium eiusdem ordinis in terra Gelrensi.

2) In der Handſchrift: reperiri.

3) Es ſollte der Nominativ ſtehen.

festum est, nullum illorum ornamentorum per fundatores nostros aut Richezam reginam aliosue benefactores dispositorum exceptis duobus, quibus vtitur diaconus et subdiaconus in ipsorum exequiis ....[1]), que tum preciosissima fuerunt, que illi olim de thesauris suis, vestibus ceterisque clenodiis (sicuti liber fundationis attestatur) fieri procurauerint. Rubea aut viridia ornamenta, que nunc habemus, et nonnulla alterius speciei alia per sequentes abbates ceterosque huius monasterii fautores sunt partim procurata, partim contributa, vt suis in locis patebit. Preterea extat epistola siue mandatum ipsius Memfredi abbatis continens querimonias et minas super prefatis rebus monasterii abbatis.

Memfredus diuina permissione abbas religioso in Christo domino Godefrido de Merem priori salutem in domino. Quia, sicut comperimus, dolenter retroactis vsque nunc temporibus post obitum videlicet domini Ludolphi pie memorie predecessoris nostri abbatis religiosi in eo quod dissentio in nostro monasterio vltra nouem annis habuit dominium[2]) tempore nostre electionis facta, de quo non parum sumus consternati, nunc vero per vos relatione digna suscepimus in scriptis, quod a tempore scismatis multa sunt bona subtracta in fauorem partis aduerse, videlicet reliquie, calices, clenodia, libri diuersarum scripturarum, casule, albe cum suis attinenciis, dalmatice miri decoris cum auro obriso (?) et gemmis preciosis adornate sic sunt annichilate vel, vt verius dicam, sacrilegis manibus furate, nedum hoc tantum, verum etiam cappe corales omni industria per fundatores sumptuose comparate. Que omnia turpiter cum certis priuilegiis sunt expignorata, quod tamen nephas est dicere. Quare vobis, pater prior, in virtute s. obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus conuocatis omnibus fratribus nostri monasterii in vnum vniuersos et singulos moneatis, vt qui de prefatis vel ipsarum rerum aliquas sciuerit furtiue asportatas infra quindenam post trinam monitionem in locis suis restituat vel restitui procuret. Quod si factum non fuerit, contra ipsos predictorum bonorum invasores, vsurpatores, abstractatores, venditores, prout de iure ac ordinis rigore est, procedemus etc.

1) In der Handschrift steht possem, was keinen Sinn gibt. Es fehlt in dem Satze ein Wort, etwa superesse.

2) Das Wort nicht mit Sicherheit zu lesen.

Godefridus huius loci prior executus quidem est mandatum istud admonendo diligentissime fratres suos, sed vtrum quid restitutum sit, nulla inde documenta videre potui, quod male note indicium est.

Circa istud tempus Colonienses castrum in pago Frechgen solotenus destruxerunt.

Demum abbas Memfredus animaduertens aduersarium suum Arnoldum Scoll pertinacius in sua opinione persistere et bona monasterii per istam dissensionem dissipari et alienari, deliberauit habito suorum amicorum consilio abbacialem dignitatem ad consensum summi pontificis ad manus conuentus iterum resignare sub certa tamen condicione ita videlicet, quod sibi annua pensio centum marcarum brabantinarum et trium carratarum vini asscriberetur. Hinc proprium capellarium suum Bertolphum nomine virum satis industrium et expertum cum non minima pecuniarum summa ad curiam Romanam misit, quatinus causidico nostro siue aduocato pro laboribus suis satisfaceret. Quo facto ipse aduocatus nomine Ambrosius capellano abbatis in singulis negociis sibi commissis fideliter astitit et resignationis licentiam obtinuit, insuper et priuilegium siue mandatum contra vsurpatores et raptores ac malos possessores bonorum temporalium monasterii a summo pontifice Johanne vigesimo secundo impetrauit, vt in sequenti latius patet forma.

Johannes episcopus seruus seruorum dei dilecto filio decano ecclesie sanctorum apostolorum in Colonia salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram peruenit, quod tam dilecti abbas et conuentus monasterii Brunwilrensis ordinis s. Benedicti Coloniensis diocesis quam aduersarii eorum decimas, agros, terras, domos, possessiones, vineas, molendina, prata, pascua, nemora, redditus, iura, iurisdictiones et quedam alia bona ipsius monasterii datis super hoc literis, confectis inde publicis instrumentis, iuramentis interpositis, factis renuntiationibus et penis adiectis in grauamen et lesionem ipsius monasterii nonnullis clericis et laicis aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus et aliis perpetuo sub censu annuo concesserunt. Quorum aliqui in forma communi confirmationis literas super his a sede apostolica impetrasse dicitur. Cum igitur nostra intersit lesis monasteriis subuenire, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ea, que de bonis predicti monasterii per concessiones huiusmodi alienata inueneris illicite vel distracta, non obstantibus instrumentis, iuramen-

tis, renuntiationibus, penis et confirmationibus supradictis ad ius et proprietatem prefati monasterii legittime reuocare procures, contradictores vero per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum tertio idus Februarii pontificatus nostri anno sexto...

Hic diligentius considerandum adhortor, quod scilicet Clemens quintus papa octo annis decem mensibus ac quindecim diebus summi pontificis officio functus fuit; cuius vltimo anno, hoc est nono impetrate sunt indulgentie ab octodecim episcopis videlicet a quolibet singulae dierum quadragenae,[1]) dummodo voluntas et consensus diocesani ad id accesserit, quas quisque contritus ac penitens promereri poterit, qui in certis festiuitatibus ecclesiam nostram visitauerit, prout ipsa bulla latius huiusmodi declarat etc. Post huius autem Clementis pape quinti obitum sedes apostolica duobus annis mensibus tribus et septendecim diebus vacauit. Quapropter lites prenominatorum scilicet Memfredi abbatis et Arnoldi Scholl expeditionem accipere nequibant, sed et actores causarum multam interea pecuniam frustra consumebant. Tandem vero virginei partus anno MCCC decimo septimo Joannes vigesimus secundus summi pontificii apicem electus ascendit, qui anno pontificatus sui sexto, anno autem domini MCCCXXI consensit in hoc, vt Memfredus abbacialem dignitatem ad manus conuentus nostri monasterii resignare posset et de nouo electio fieret. Insuper mandatum prelibatum domino decano sanctorum apostolorum in Colonia Memfredo per capellarium suum sollicitantem misit, quo compelleret bona monasterii istius dissensionis tempore ablata et dissipata restitui sub censura, sicuti bulla ipsa canit. Ipsa quoque manifestius declarat, quantis miseriis eo tempore hic locus saturatus fuit. Postquam autem Bertholphus capellanus a Roma veniens prefatas apostolici mandati bullas domino Memfredo illo in tempore in monasterio s. Mathie apostoli prope Treuerim moram trahenti presentasset, ocius Coloniam venire curauit. Deinde conuocatis amicis suis probis ac honestis viris scilicet domino Henrico preposito Bonnensis ecclesie et eiusdem ecclesie decano Jo-

1) In der Handschrift: singulas quadragenas.

anne atque strenuo[1]) milite Friderico de Erenbarch (sic), amicis quoque aduerse partis videlicet domino Godefrido de Halle milite, Walramo de Lobio canonico s. Seuerini episcopi et Reynardo de Berge laico tamquam arbitratoribus ab vtraque parte ordinatis comitiisque in ambitu monasterii s. Panthaleonis martiris celebratis ordinarunt et in hoc ipsi arbitratores conuenerunt ante resignationem, vt quicumque postea eligeretur canonice in huius monasterii abbatem domino Memfredo dignitatem illam resignare volenti annuam quandam pensionem pro solatio suo assignaret et sine fraude obseruaret singulis scilicet annis eidem persoluere centum marcas brabantinas et tria carrata vini. Quam equidem ordinationem gratiosissimus dominus archiepiscopus Coloniensis Henricus secundus de Virnenburch cum nonnullis aliis vtriusque partis amicis presens personaliter approbauit et obseruari voluit, quamuis in curia Romana actores causarum vtriusque partis ignorantes paupertatem et miseriam monasterii nostri in hoc conuenerant, quatinus electus de iure abbas officium suum resignans a successore suo trecentas marcas brabantinas pro sustentatione sua reciperet annuatim quoad uiueret, que quidem pecunia deberet esse pagamenti Coloniensis et sine fraude persolui. Sed cum iam monasterium nostrum oppido[2]) debitis hinc inde grauatum et redditibus annuis expoliatum extitit, arbitratores hec perpendentes summam illam in curia Romana taxatam diminuerunt. Memfredus namque (preter cetera debita diuersis in locis contracta) a monasterio s. Mathie apostoli iam vltima vice recedens in septingentis marcis obligabatur ibidem. De ceteris autem damnis et debitis hinc inde factis taceo, quia certa documenta ex scriptis habere non valeo. Denique cum ordinata a prefatis arbitratoribus vtrique parti placuissent, abbas Memfredus in medium veniens abbacialis dignitatis officium resignauit, quam resignationem dictus archiepiscopus ex parte conuentus suscepit. Acta sunt hec anno domini quo supra videlicet MCCC vigesimo primo in festo s. Joannis ante portam latinam in monasterio s. Panthaleonis martiris in Colonia. Facta itaque resignatione certus dies pro noui abbatis electione assignatus est. Scrutatis demum determinato die omnium fratrum votis secundum viam iuris electus est canonice per maiorem

1) In der Handschrift: strennuo.
2) In der Handschrift: opido.

eorundem fratrum partem Fridericus de Seynheym in huius monasterii abbatem, qui ante paucos annos sub Memfredo abbate fuerat ordinatus in cellarium, deposito prius Hermanno de Foresto, qui officium supprioratus continuauit. Nam eo tempore non minima controuersia inter officiales huius monasterii fuit, quam quidem abbas Memfredus per dominum Heydericum prepositum s. Seuerini episcopi et dominum Brunonem decanum s. Cuniberti episcopi tamquam arbitratores sedari fecit etc. Consanguinei autem Arnoldi Scholl audientes electionem non vt sperauerant factam, non mediocriter indignati sunt, ipsam electionem annichilare annisi sunt, insuper sub ymno Ambrosiano amici Arnoldi Scholl et electi abbatis Friderici de Seynheym se mutuo (vt ipse Bartholomeus descripsit) grauiter vulnerauerunt. Quo autem in loco hoc contigerit, ignoratur. Arbitratores tamen eosdem concordes fecerunt et Reynardo et aliis fratribus domini Arnoldi Scholl septuaginta duas marcas brabantinas pro eorum contentione assignarunt. Preterea ipsi arbitratores constituerunt ab vtraque parte, vt omnes inimicicie, discordie, damna, captiuitates, excommunicationes, incendia et quecumque alia a die electionis domini Memfredi abbatis vsque in presentem diem inter monachos et laicos eorumque amicos aliquando exorta penitus essent sopita, ita vt vnus alteri aliquid horum obiicere non presumeret aut improperare et sic omnia manerent in pace. Ceterum quanto tempore abbas Memfredus post resignationem abbacialis dominii superuixerit, ignoratur, moritur autem tandem in profesto beate Marie Magdalene, hoc est 12 kalend. Augusti, cuius sepulture locus incognitus est.

## **Fridericus de Seynheym**, vigesimus secundus abbas

(qui triginta octo annis minus duobus mensibus prefuit).

Fridericus de generosa prosapia comitatus Seynheym originem ducens post resignationem Memfredi per maiorem partem conuentus in huius monasterii abbatem electus fuit, qui ante paucos annos per fautores huius nostri monasterii cellarius ordinatus extiterat, sicut latius prelibatum est superius. Quod cum patri eius generoso comiti de Seynheym indicatum fuisset, quam primum huc venire cum nonnullis aliis curauit congratulans filio suo super promotione ad dignitatem abbatialem et consulens super recuperatione bonorum monasterii hinc inde dispersorum. Insuper nobilissimi comites

Henricus et Joannes duo fratres de Waldecken eidem congratulantes et obsequium suum offerentes hanc epistolam per subcellarium nostri monasterii direxe unt. [1])

Fridericus itaque venerabilis abbas cognoscens monasterium istud in multis debitis pregrauatum non mediocriter doluit, presertim quia numerus fratrum magnus erat, qui singulis mensibus suas prebendas exquirebant. Et cum iam non haberet pecuniam, que distribui fratribus posset, lamentabili egestate ac ineuitabili necessitate compulsus plura bona monasterii vendidit ea tamen conditione, vt cum placuerit et facultas affuerit eodem precio redimi possent. Vendidit igitur curtem in Daynswilre ad mensam abbatis spectantem collegio canonicorum in Colonia ad gradus Marie pro mille marcis Coloniensis pagamenti, de qua venditione habentur litere abbatis et conuentus et archiepiscopi Coloniensis Henrici sub litera . . ., [2]) quod contigit anno domini MCCCXXIX.

Deinde vendidit domino Thilmanno de Kouelshouen ciui Coloniensi decimas in Glessen pro trecentis et quinquaginta marcis conditione predicta, quas nunc constat esse redemptas. De ista venditione habentur scripta abbatis sub litera . . . [3])

Circa idem tempus prior et conuentus exposuerunt cuidam viro nomine Hildegero et suis heredibus quinquaginta iurnales terre arabilis iacentes in campis de Daynswilre pro centum et quiquaginta marcis denariorum pagamenti Coloniensis tribus scilicet Hallensibus bonis pro duobus denariis computatis tali conditione, vt eadem pecunia redimi possent tali conditione, vt patet sub litera Q. X.

Vendidit hic quoque venerabilis abbas ius decimandi trium mansorum terre arabilis spectantium ad curtem nostram zo de Vogelsangh nuncupatam pro ducentis et triginta duabus marcis denariorum Coloniensium pagamenti monasterio s. martirum extra muros ciuitatis Colon ensis sito, quod postea destructum est, scilicet in obsidione Nussiensis ciuitatis, vt infra dicetur. Verum quia dicta decima cuidam domine de Schallenburch ciui Coloniensi ad vitam suam prolumque suarum pro octoginta septem maldris tritici suppignorata erat, dominus abbas sepefatus assignauit religiosis virgi-

1) Es folgt der Brief ohne besonders wissenswerthen Inhalt.
2) Ist in der Handschrift nicht ausgefüllt.
3) Nicht ausgeführt.

nibus predicti monasterii mansum vnum in Fremersdorp situm, vt eius redditus tam diu subleuarent, quousque domina de Schallenburch cum filiis suis defuncta esset. Sciendum quoque, quod prefate virgines, que erant ordinis Cisterciensis concesserunt nobis libertatem redimendi illud ius decimandi pro eadem pecunia, vt patet sub litera Q, $2^{o}$, quod contigit anno domini MCCCXXIX.

Simili conditione redemptionis idem venerab. abbas eodem anno vendidit religiosis virginibus monasterii beate Gertrudis in Colonia ius decimandi IX mansorum in parochia Wedersdorp sitorum et triginta quatuor iurnalium in campis Daynswylre ac sex iurnalium in campis de Synteren sitorum pro octingentis et duodecim marcis Coloniensis pagamenti. Sed quia dicta decima nouem mansorum iacentium in parochia de Wederstorp etiam obligata erat prefate domine de Schallenburch cum filiis modo predicto. Propterea concessa est eisdem virginibus loco pignoris curtis quedam in Fremersdorp cum tribus mansis, quousque iam dicta domina mortua esset, vt patet sub litera Q tertio.

Eodem tempore domino Wintero militi vendita fuit decima in Oeffheym cum quadraginta iurnalibus pro octingentis marcis.

Circa idem tempus subpignorationi exposita fuit ecclesia nostra s. Medardi in Auwenem [1]) cum decimis Teuthonicis dominis ad s. Katharinam in Colonia.

Vendidit etiam hic abbas alio tempore curtem quandam Wystube nuncupatam abbatisse et conuentui monasterii Hernich vocitatam, que quidem curtis a domino Memfredo huius monasterii abbate domino Brunoni de Speculo ad s. Cunibertum in Colonia decano per duodecim annos pro centum maldris siliginis suppignorata fuerat et decem marcis.

Circa idem tempus venditi sunt domino gratioso archiepiscopo Treuerensi bona monasterii in Rile et Lutzenraid pro mille marcis et ducentis libris tali prouida conditione, vt eadem pecuniarum summa redimi possent, sicuti ipse venerabilis abbas in quodam cirographo relicto protestatus est.

Fecit quoque cambium cum archiepiscopo Treuerensi, vt sequens manifeste testatur cedula.

Baldewinus dei gratia s. Treuerensis ecclesie archiepiscopus sacri

1) Am Rande ſteht: hec ecclesia sita est prope Bethbur.

imperii per Galliam archicancellarius nec non totum ecclesie nostre capitulum. Notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris literas has visuris et audituris, quod pro iure et omnibus areis ac eo, quod vulgariter de Nederwalt dicitur, ac aliis omnibus iuribus oppidi Essche prope Cochemo et eius oppidi pertinentiis, que religiosi viri abbas et conuentus monasterii Brunwylrensis ordinis s. Benedicti abbatis Coloniensis diocesis habebant vel habere poterant hactenus, pro quibus redditibus infra scriptos videlicet duo maldra frumenti, quod vulgariter kerne appellatur, VI maldra auene, VI ordei quartalia, duas libras piperis, duodecim pullos, sexaginta oua et sexaginta scutellas, que nobis annis singulis in castrum nostrum Cochemo ex eorum curte sita apud Clotten ex bonis dicte curtis debentur ipsis religiosis recipientibus in cambium et permutationem remisimus, damus, tradidimus perpetuo per presentes literas. Insuper eisdem religiosis gratiam volentes facere specialem super deductione vinorum seu crementi, quemadnodum hucusque eis arrisit secundum eorum priuilegia autoritas hoc exposcens. Quam quidem specialem gratiam largiter attribuimus, nedum in deductione vinorum, verum etiam et aliorum bonorum vsque ad locum, vbi Necta [1]) Renum influit, ex his gaudere volumus pacifice et quiete. In quorum omnium testimonium sigilla nostra his scriptis sunt appensa. Anno domini millesimo trecentesimo vigesimo nono in die beate Agathe virginis et martiris.

Vendidit quoque idem venerab. abbas domino Theoderico militi de Gelsdorp et domino Joanni militi de Kochem et eorum in hoc casu consortibus centum et triginta duo maldra tritici. Cuidam etiam militi Treuerensis diocesis de Luzze vendidit quinquaginta maldra siliginis mensure Confluentie ciuitatis pro septingentis marcis.

Sequitur hic litera consensus archiepiscopi Coloniensis Walrami, quod predicta bona monasterii sub conditione redemptionis venerab. abbas sepefatus vendere potuit secundum contractum et ordinationem inter conuentum et ipsum facta, [2]) vt in literis prenotatis latius continetur.

Walramus dei gratia s. Coloniensis ecclesie archiepiscopus sacri imperii per Ytaliam archicancellarius dilecto nobis in Christo Fri-

1) Am Rande ſteht: Necta est riuus.
2) In der Handſchrift: factis.

derico abbati Joanni priori et toti conuentui monasterii s. Nicolai episcopi Brunwylrensis ordinis s. Benedicti nostre diocesis salutem in domino sempiternam. Ex debito nostri vrgemur officii, vt pium his ordinationibus, que in euidentem vtilitatem ecclesiarum et monasteriorum nostre diocesis procedere dinoscuntur, adhibeamus consensum et eas per decretum et autoritatis nostre interpositionem robore valido solidemus. Ea propter cum per prouidentiam vestram diuina fauente gratia monasterium vestrum, quod diutius gravibus fuit oneribus debitorum et quasi ad extremam exinanitionem perductum, ad aliquem recuperationis statum nouerimus peruenisse vos, vt idem monasterium possessionis reciperet diu deperditas et in statum pristinum et antiquum salubriter restauretur, per conceptum ordinationis vestre, cui hec presens cedula est transfixa, totis desideriis anhelare, nos itaque, vt ipsam ordinationem vestram confirmemus et ad obseruantiam ipsius ne infringatur in posterum, vos artemus a vobis humiliter requisiti vestris iustis precibus duximus annuendum. Et quia ex diligenti inquisitione pluribus et solemnibus tractatibus premissis prefatam vestram ordinationem in euidentem vtilitatem predicti vestri monasterii procedere inuenimus, eidem in omni forma vt iacet autoritatem nostram interponimus pariter et assensum ipsam ordinationem nostra autoritate fulcitam in omni sua forma diligenter obseruetis nec eam aliquo modo violare aut eidem contraire presumatis. Alioquin in vos, si nobis non parueritis, suspensionem ab ingressu ecclesie aut in singulos, qui culpabiles fueritis in premissis excommunicationis sententiam sex dierum monitione pro trina et canonice premissa ex nunc, prout ex tunc ferimus in his scriptis. Datum anno domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo.

Habetur hec litera etiam in libro copiarum iuxta alias, ex qua quidem litera videtur vtique, quod iubemur curtem illam in Daynswilre redimere tempore opportuno et habita facultate, sicut et cetera bona illo in tempore vendita pro magna parte successu temporis sunt redempta. Non enim exprimitur in literis prenominatis determinatum tempus redemptionis, sed cum fortuna arriserit maior quiuis successor in abbaciali dignitate huius monasterii redimere possit, ne in perpetuum tam flebilem exhereditationem patiatur monasterium nostrum.[1])

1) Am Rande ſteht von derſelben Hand: Regula iuris est, non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.

Item de curte prefata etiam inuenies sub p. 14. Interea autem cum ista (vt dictum est) agerentur, adhuc aliud remedium hic venerab. abbas pro releuamine debitorum monasterii adinuenit, nam bonis huius loci fautoribus sibi consultantibus simul et auxiliantibus impetrauit indultum a summo pontifice Joanne vigesimo secundo, quod viginti fratres ex hoc loco ad alia diuersa nostri ordinis cenobia infra Germaniam sita pro sua sustentatione emitti possent. Cuius equidem indulti executor fuit gratiosissimus dominus archiepiscopus Coloniensis ecclesie Henricus secundus de Virnenburch appellatus, de quo superius dictum est. Ipse namque ad instantiam abbatis nostri sepedicti singulis fratribus singula ad loca mittendum sequens licentiatorium proprio sigillo insignitum contribuit: Heinricus dei gratia s. Coloniensis archiepiscopus sacri imperii per Italiam archicancellarius etc. Venerabilibus in Christo patribus, episcopis, suffraganeis ac religiosis viris abbatibus, conuentibus ordinis s. Benedicti per diocesim ac prouinciam Coloniensem constitutis salutem in eo, qui omnium est salus vera. Ingruente inedia (quod dolenter referimus) in monasterio nostre diocesis, quod Brunwylre dicitur, debitorum multitudine oppresso et ad tantam vergente inopiam tum propter expensas in curia Romana et extra factas per duos electos olim super abbacia eiusdem monasterii quasi ad decem annos litigantes tum propter vsuras, quas iudei et alii vsurarii christiani ab ipsis monachis impie extorserunt, quod monachi ipsius conuentus nequaquam possunt de facultatibus dicti monasterii in vite necessariis sustentari. Sed dominus noster summus pontifex Joannes vigesimus secundus ipsis paterno affectu compatiens, ne cogantur in opprobrium religionis sue et ordinis mendicare et per mundum damnabiliter euagari, concessit per gratiam specialem, vt singuli monachi eiusdem monasterii XX in singulis monasteris eiusdem ordinis per Alemaniam recipiantur eisque vite necessaria ministrentur et sineera in domino charitate tractentur, quousque monasterium predictum ad meliorem fortunam redactum fuerit. Quocirca vos et quemlibet vestrum hortamur in domino et rogamus, quatinus dei intuitu nostrarumque precum instantia tam magnum pietatis opus vestris piis patrociniis adiuuare et ad effectum debitum perducere studeatis ipsosque monachos vobis presentatos benigno recipiatis affectu et recipi faciatis et eis, prout vobis fuerint presentati, vite necessaria tamquam alicui ex vestris ministretis, quousque predictum

monasterium ad fortunam vberiorem redactum fuerit domino concedente. Datum Bonne anno domini MCCCXXIX ipso die conuersionis s. Pauli apostoli.

Posset hic quis verisimiliter suspicari ex industria istos XX fratres ad tempus esse emissos, vt eo liberius prenominata bona monasterii sine contradictione fratrum suorum pro libitu vendi possent. Quapropter vnumquemque ista legentem siue audientem ammonitum esse cupio venerabilem istum virum ac prouidum non ex aliqua simulatione aut defrautatione monasterii hoc egisse, sed mera necessitate coactus cum consensu fratrum suorum generali ipsa bona vendidisse sub conditione redemptionis pro consimili precio, vt videri potest clarius in literis ex parte conuentus datis, antequam a monasterio discederent predicti fratres, in quibus exprimuntur nominatim testes et consiliarii ipsi abbati in hac parte a toto conuentu vnanimiter adiuncti, videlicet honesti ac probi viri Hermannus de Bachem et Hermannus de Bell milites. Hanc copiam literarum inuenies etiam circa priores literas. Nam vt manifestum est vtilissime precium ipsorum bonorum venditorum expendit contracta debita hinc inde soluendo suppignorata iudeis aliisque malis christianis vsurariis redimendo, quia (vt experientia docet magistra) talia debita in dies augmentantur etc.

Iste venerabilis abbas molendinum nostrum cum aliis bonis temporalibus in Ichendorp sitis[1]) ab omni tallia et exactione a reuerendissimo domino archiepiscopo Coloniensi Heynrico 2$^{do}$ de Virnenburch, vt pat sub lit. N. nono.

Redemit etiam aliqua bona in Mesenich sita ab abbatissa et conuentu in Matra ordinis Cisterciensis Treuerensis diocesis, vt patet sub lit. D. decimo nono. D. XV. Recepit vnum feudum scilicet triginta iurnales terre arabilis a monasterio monialium s. Gertrudis in Colonia siti in campis Wedersdorp, vt notatur in epistola sub M. octauo.

Comparauit quoque mansum vnum cum dimidio a Joanne Gryn iacentis in pratis Wederstorp, vt notatur in epistola sub F. decimo.

Eodem anno 1339 prior huius monasterii cum conuentu comparauit viginti iurnales sitos inter Louenich et Fremerstorp a Goswino aduocato in Bell, vt patet sub litera L. quinto. Quos quidem agros

1) In dem Satze fehlt ein Wort, etwa liberauit.

sequenti anno prior cum conuentu assignauit patri Arnoldo Scoll grandeuo, qui sub isto abbate multis annis laborauit in officio cellarii, vt patet sub lit. R. septimo.

Idem Arnoldus Scholl comparauit a quodam armigero Euerhardo Kost quedam bona temporalia in territorio nostro sita, vt patet latius sub lit. P. decimo septimo.

Idem quoque emit aliqua bona pro hospitali, custoria et infirmaria, sicuti diffusius habetur sub lit. L. decimo sexto.

Circa idem tempus Karsilius hospitalarius domus pauperum comparauit duas marcas perpetui census ad hospitale pauperum, vt patet latius sub lit. L. decimo.

Item prior et conuentus post aliquot annos iterum comparauit duo maldra tritici et duo maldra siliginis, vt habetur sub lit. P. tertio decimo.

Sepefatus quoque abbas iterum post aliquot annos comparauit duas amas vini perpetue ab abbatissa in conuentu ordinis Cisterciensis in Hergenich, vt patet latius sub lit. D. septimo.

Fecit insuper iste abbas contractum cum monialibus s. Agathe in Colonia super dimidio feudo sito in Synteren, vt notatur clarius sub lit. M. tertio decimo.

Insuper cum ecclesia nostra cum ornamentis suis preciosissimis per fundatores procuratis priuata esset (vt predictum est), ipse necessitate simul et honestate coactus comparauit ornamenta pro summis festiuitatibus videlicet casulam et dalmaticas draconibus pauonibusque contextis et casulam cum dalmaticis de oloserico rubei coloris, casulam cum dalmaticis de oloserico viridis coloris et cappam eiusdem coloris, que postea fuit denigrata (hec ornamenta sunt eius armis scilicet tribus leonibus insignita).

Impetrauit etiam iste abbas indulgentias pro visitantibus ecclesiam nostram a XII episcopis, a quolibet singulas dierum quadragenas de iniunctis sibi penitentiis relaxando, dummodo voluntas diocesani ad id accesserit et consensus etc. Anno summi pontificis Joannis XXII duodecimo, quarum copiam custos ecclesie conseruat.

Hic venerab. abbas vasallum instituit quendam militem nomine Hermannum de Bell propter labores et diuersa seruicia fideliter circa monasterium nostrum exhibita assignans ei quindecim marcarum redditus pagamenti Coloniensis, quos quidem redditus ab ipso siue suis heredibus redimi poterant infra quinque annos pro centum

et quiquaginta marcis eiusdem pagamenti etc., vt patet sub lit. M. nono.

Instituit etiam alium vasallum scilicet Godefridum dictum Winter de Alderade assignans eidem et suis heredibus decem marcarum redditus, quos recipere deberet a molendino nostro in Synteren dicto Bynxmollen singulis annis ea tamen condicione, vt cum nobis placuerit pro centum marcis predicti redditus redimi possent. Quas quidem centum marcas pro tunc ipsius heredes applicabunt ad aliquam suam hereditatem abbati nostro et conuentui demonstrendam, ita vt quicumque illam tenuerit siue possederit in posterum, erit monasterii nostri vasallus fidelis, vt notatur sub P. decimo quinto. Similis condicio exprimitur de predicto feudo etc.

Sub isto venerab. abbate Walramus frater comitis Juliacensis archiepiscopus Coloniensis ecclesie construi fecit monasterium Carthusiense [1]) in Colonia in honorem gloriose virginis ac martiris diue Barbare propter quoddam miraculum, quod circa idem tempus contigit de quodam latrone, qui a Coloniensibus propter sua mala facta rotali supplicio addictus fuit. Cum autem per quatuor dies confractis cruribus et brachiis ac spina dorsi insuper XIX vulneribus a spiculatore ipsum transfodiente susceptis mori se minime posse asserebat, nisi prius confessus fuisset et cetera sacramenta ecclesiastica more vere penitentium sumpsisset, que omnia eidem post hoc ministrata fuerunt, prout latius in eiusdem virginis hystoria continetur.

Iste venerabilis abbas consecrare fecit altare s. Anthonii in honorem domini nostri Jesu Christi, s. crucis, s. dei genitricis virginis Marie, s. Anthonii confessoris Christi, s. Barbare virginis ac martiris, s. Marie Magdalene et s. Marie Egiptiace, vt testantur eorundem ymagines vetuste in pariete cum ipsius abbatis figura depicte (sed modo alia tabula exculpta est lapidea per reuerendum dominum D. Hermannum tercium a Boichem anno domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo). Creditur autem consecratum a venerabili episcopo Scopiensi archiepiscopi Coloniensis ecclesie Walrami suffraganeo, a quo etiam impetrauit translationem dedicationis ecclesie nostre et omnium altarium tunc consecratorum ad dominicam proximam ante Alexii cum omnibus suis indulgentiis a summis pontificibus, patri-

1) In der Handschrift: Cathusiense.

archis, episcopis olim concessis, prout sequitur in hac cedula ab ipso episcopo data.

Nos frater Joannes dei et apostolice sedis gratia episcopus ecclesie Scopiensis venerabilis in Christo patris domini Walrami archiepiscopi Coloniensis in pontificalibus et spiritualibus per ciuitatem et diocesim Coloniensem vices gerentes dilectis nobis in Christo abbati et conventui monasterii Bruwilrensis ordinis s. Benedicti salutem in domino. Cupientes cunctos Christi fideles ad cultum dei simul et ad opera pietatis inuitare dedicationem ecclesie vestre in Brunwylre et altarium ibidem, que dominica ante Michaelis vna cum dedicatione trium altarium scilicet Dionisii, Viti et Anthonii sanctorum factorum, postea et dedicatorum, que videlicet beati Dionisii dominica ante purificationem beate Marie virginis et beati Viti dominica post octauas Pentecostes, beati vero Anthonii dominica post Viti et Modesti consueuit celebrari, ex causis legittimis nobis per vos propositis ad dominicam proximam ante Alexii cum omnibus suis indulgentiis a summo pontifice, patriarchis et archiepiscopis et episcopis ibidem concessis in nomine domini transferimus per presentes mandantes vobis et cunctis Christi fidelibus eandem dedicationem dicta dominica perpetuo celebrandam. Omnibus igitur vere penitentibus contritis et confessis dictam ecclesiam causa deuotionis ipsa die dedicationis visitantibus quadraginta dies indulgentiarum autoritate dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli confisi de iniunctis eis penitentiis misericorditer penitentibus in domino relaxamus. Datum sub sigillo nostro feria sexta post festum natiuitatis beate Marie virginis anno domini millesimo trecentesimo tricesimo octauo.

Ceterum quia festum s. Alexii non habemus in ordinario nostro, ideo sic communiter computamus, quod dominica proxima festo s. Margarete siue dominica immediate post octauas visitationis beate Marie virginis ipsa dedicatio ecclesie nostre celebratur, illa etenim dominica semper est ante festum s. Alexii et hec computatio est infallibilis. In ipsa igitur dedicatione ecclesie nostre duo cerei accenduntur in omnibus altaribus, scilicet ad vtrasque vesperas in laudibus in priuatis missis et in summa missa, vt hactenus consuetum est, quia dedicatio omnium altarium simul tunc celebratur.

Hic notandum, quod aliqua altaria post hoc tempus sunt consecrata, scilicet beate Anne, s. Michaelis, quod est translatum e turri

maiori, vbi iam folles organi sunt. Item anno domini 1525 sunt adhuc duo altaria consecrata et edificata, scilicet altare s. Gregorii pape magni et s. Huperti, prout latius patebit suis in locis atque temporibus Joannis abbatis huius nominis secundi et trigesimi tertii in ordine.

Sub hoc abbate abbas et conuentus monasterii Steinfeldensis ordinis Premonstratensium fecerunt quandam fraternitatem cum conuentu nostro, vt ex sequenti litera patet.

Venerabilibus viris et dominis abbati, priori totique conuentui in Brunwylre monasterii ordinis s. Benedicti Coloniensis diocesis Marsilius dei patientia abbas prior et totus conuentus ecclesie Steinfeldensis ordinis Premonstratensium eiusdem diocesis in domino Jesu Christo salutem et per sex dies huius erumnose vite manna colligere et in sabbato requiescere cum beatis. Considerantes, quod huius seculi viatoribus ad eterne beatitudinis felicitatem comprehendendam nulla (testante apostolo) prodesse possunt beneficia, si non fuerint charitatis operibus insignita, quapropter nostre vite peregrinationis terminum huius supreme virtutis operibus preuenire pia liberalitate volentes alter alterius comportando, vobis vestrisque successoribus ex nunc in antea in perpetuum nec non familiaribus et benefactoribus vestris damus et per presentes conferimus plenam participationem et fraternitatem omnium bonorum operum nostrorum in missis, psalmis, ymnis, vigiliis et commendationibus, orationibus, obsecrationibus ac aliis omnibus et singulis bonis, que de cetero per nos dominus omnipotens dignabitur operari, praeter hec adiicientes, quod singulis annis in perpetuum infra tempus quadragesimalis ieiunii specialiter pro vobis et vestris successoribus familiaribus ac benefactoribus solemnem memoriam (prout in ordine nostro consuetum est fieri) peragemus, quam peragendam nostro kalendario annotauimus inscribentes. In cuius donationis et collationis testimonium presentes literas sigillis nostris videlicet abbatis et conuentus predictorum fecimus communiri. Datum in ecclesia nostra predicta anno domini MCCCL mensis Marcii die prima.

Hic etiam venerabilis abbas Fridericus impetrauit ab imperatore Karolo quarto eo tempore Colonie moram trahente renouationem, approbationem et ratificationem omnium priuilegiorum monasterii nostri anno scilicet domini MCCCXLIX decimo septimo kalend. Septembris, prout latius continetur sub B. septimo.

Fecit quoque quandam ordinationem cum bonis nostri monasterii in pago Pirna sitis, vt explanatur latius sub litera P. sexto decimo.

Habuit hic venerabilis abbas in isto monasterio ex proprio fratre Cunone vnum nepotem adolescentem monachum de Seynheym, quem alter quidam Conradus de Bell nuncupatus occidit, sed quonam in loco ignoratur. Quam ob causam pater et frater cum ceteris amicis fuerunt monasterio nostro valde infesti pluribus annis anhelantes pro talione interfectori inferenda. Tandem vero post obitum huius abbatis scilicet sub primo anno regiminis abbatis Hermanni Zob concordia facta fuit, ita quod monasterium nostrum cogebatur dare occisi amicis quadringentos aureos etc.

Reuoluens registra reddituum monasterii nostri sub regimine istius abbatis conscripta consideraui vitam monasticam eo tempore adhuc nimis discordem. Nam vt in illis repperi, singulis mensibus cuilibet fratrum pecunie scilicet tres aut quatuor marce distribuebantur, interdum plus, interdum vero minus. Abbas separatam portionem bonorum monasterii habuit et proprium cellarium ordinabat, vnum ex fratribus, cui adiungebantur duo alii tamquam consiliarii et vnus secularis, qui reddituarius appellabatur, quibus cellarius singulis mensibus de receptis et expositis computationem faciebat, illi vero priori et conuentui ter aut quater in anno etc.

Istius abbatis tempore, vt pater Bartholomeus conscripsit, quodam anno tanta abundantia vini creuerat, vt vna quarta vini pro duobus hallensibus venderetur, immo pro pomo dabatur, vt sic homines ad tabernas allicerentur. Alio quoque tempore tanta caristia fuit, vt pauperibus daretur licentia rapiendi panes, vbi publice vendebantur.

Moritur tandem hic venerabilis abbas Fridericus, postquam triginta octo annis duobus mensibus minus prefuisset, anno scilicet domini MCCCLIX quarto nonas Marcii, qui honorifice sepultus est in sepulchro eleuato ante altare s. Anthonii, vt viuens disposuerat, cuius monumento hoc epitaphium est appensum:

Annis millenis ac ter centum reuolutis
Cum quinquagenis hos pene nouemque secutis
Post ortum Christi mortem Frederice tulisti,
Tu qui mansisti rector prudentior isti
Collegio: gemit hinc legio fratrum generalis.
Martis quarta dies tibi prestitit exicialis,
Justus eras, gratus, deuotus, honestus, amatus,

De Seynheym natus, hinc respirans tumulatus,
Christo, queso, datus, sanctis quoque sis sociatus.

## Arnoldus II. Scholl, vigesimus tertius abbas
(qui duobus annis et vno mense prefuit).

Defuncto pariter et sepulto venerabili domino abbate Friderico de Seynheim Arnoldus Scholl (nescio vtrum electus an intrusus) abbacialem dignitatem, cum iam fere per quadraginta annos multis laboribus aspirasset, demum adeptus est. Hic siquidem est, qui contra dominum Menfredum de Beclingen huius loci abbatem electum et confirmatum in curia Romana quasi per decem annos continuas lites habuit. Propter quam appellationem monasterium nostrum quam maxima damna perpessum fuisse et ad extremam paupertatem venisse superius, cum de domino Memfredo abbate ageretur,[1]) latissime memoratum est. Ibi namque dispendia retuli quam plurima, vtinam possem de restitutione hic recitare vel paucissima. Ceterum vter eorum magis fuerit in culpa, temere diffinire non audeo, sed eius iudicio tute relinquo, qui scrutator cordium et renum est et nouit omnia. Hic sub Friderico de Seynheym fuit multis annis cellarius maior a conuentu ordinatus, minor vero fuit Christianus de Bonna, sicuti in registris vetustioribus repperi in pergameno descriptis.

Ipse vnum feudalem instituit scilicet Reynardum Zobb in bonis nostris in Burgel sitis, vt patet latius sub litera B. quarto, qui habuit in isto monasterio germanum fratrem Hermannum nomine eo tempore pastorem in Burgell et Sons existentem, de quo post pauca inferius dicetur latius.

Sub isto abbate prior et conuentus comparauerunt per se redditus scilicet sex marcarum de quatuor iurnalibus in Ichendorp sitis, vt patet sub N. octauo, et duarum marcarum de semitribus iurnalibus in Quaetraedt sitis, vt declaratur sub litera N. vndecimo.

Hic vir valde grandeuus existens tandem vocatur a supremo iudice omnisciente deo de sua villicatione redditurus rationem, postquam duobus annis et vno mense prefuisset anno scilicet domini MCCCLXI octauo idus Aprilis, cuius sepulture locum pater Bartholomeus diligentius perquirens minime reperire potuit.[2])

1) In der Handschrift: ageret.

2) Von anderer Hand ist zugesetzt: Antiquum mortilogium habet, quod sit sepultus ante sacellum s. Benedicti.

## **Hermannus II. Zobb** nuncupatus, vigesimus quartus abbas de Ichendorp oriundus

(qui triginta nouem annis valde laudabiliter prefuit).

Hermannus Zobb cognominatus de Ichendorp oriundus vnanimi omnium fratrum consensu deinde electus fuit, qui nouem annis ecclesiam parochialem in Burgell cum capella sua in Zons pastor ibidem existens respexerat et primus omnium fratrum ex hoc cenobio; a bonis amicis ad earundem ecclesiarum (curam) per vices suas fuerunt eo tempore (vt descripsit pater Bartholomeus) scilicet dominus Lorettus de Belresbach et frater eius Henricus de Belresbach milites cum vxore, dominus Joannes de Vlmen et Cuno frater eius milites, Joannes van der Leyen et Lucia vxor eius. Hos omnes venerabilis abbas Hermannus induxit ad hoc collaborante sibi fratre suo Reynardo Zobb, quatinus ipsi pro salute animarum suarum resignarent priuilegia sua super prefatis ecclesiis habita atque, vt monasterio nostro incorporarentur, consentirent. Quod sic factum fuisse diffusius declaratur in literis desuper confectis videlicet sub B. quinto et B. sexto, vbi etiam predictus Reynardus Zobb et Sophia eius conthoralis bona temporalia renunciasse nominantur, que in Burgel ab abbate Arnoldo Scholl eis in feudum concessa possidebant. Patet et sub H. sexto, vbi archiepiscopus Coloniensis decimas illarum ecclesiarum fauorabiliter nostro monasterio contribuit, siquidem ipse reuerendissimus archiepiscopus Wilhelmus de Genepe nuncupatus singularis fautor nostri cenobii existens generosos dominos scilicet maioris ecclesie Coloniensis canonicos ad consentiendum super incorporatione dictarum decimarum induxit, vt patet latius sub H. septimo. Item sub G. septimo et G. octauo tractatur diffusius de permutatione earundem ecclesiarum et curtis in Burgel et iuris patronatus ex vna parte attinentis monasterio Tuitiensi et curtis siue allodii nostri monasterii in Bilke et iuris patronatus eiusdem pagi parochialis ecclesie ad nostrum monasterium alterna vice et abbatissam monasterii in Ryndorp spectantis. Quod quidem cambium sic conclusum fuit, quod monasterium nostrum teneretur monasterio Tuitiensi annuatim soluere octo maldra siliginis post festum Remigii infra quindenam, eo quod curtis eorum in Burgel curte nostra in Bilke melior erat. Istius cambii compositores fuerunt reuerendissimus archiepiscopus Treuerensis Cuno appellatus et archiepiscopus

Coloniensis Engelbertus tertius ad hoc per summum pontificem Vrbanum quintum specialiter deputati etc.

De testamento, quomodo venit Burgell ad nostrum monasterium Bruwylre anno scilicet domini MCCCLXXI, ponitur luculenter sub G. nono et etiam sub G. decimo et sub H. primo et secundo. Item sub H. tertio describitur priuilegium Wylhelmi ducis Montensis super curtim et bona in Burgell videlicet quod ea libera fecit a quibusdam grauaminibus sui ac suorum heredum et quod in nullo nocebunt monasterio nostro, si bellum cum archiepiscopo Coloniensi contigerit habere. Datum anno domini MCCCLXXIII.

Item alius processus ponitur super incorporatione decimarum in Zons et quod quatuor officiales huius nostri monasterii pastorem ecclesie in Burgel ac capelle eius in Zons eligent videlicet prior, thesaurarius, custos, cellarius et hospitalarius etc., vt patet latissime et clarissime sub H. octauo. Item de competentia assignata pastori dictarum ecclesiarum scilicet xx paria siliginis et auene etc. latius describitur sub H. vndecimo.

Hic agitur et describuntur pastores ecclesie in Burgell et capelle eius in Zons: quoniam iam agitur de istis ecclesiis videlicet in Burgell et Zons, libet referre hic, qui et quot fuerunt pastores eo tempore, quo per monasterium nostrum sepius nominate ecclesie gubernate fuerint. Vnde sciendum, quod hic venerabilis abbas Hermannus Zob antea huius monasterii conuentualis frater existens promotus est per amicos suos (quorum aliqui erant collatores) ad[1]) iam sepius dictam ecclesiam vt verus pastor respiciendam. Qui postquam nouem annis eandem gubernasset laudabilissime, tandem promotus atque vnanimiter electus in abbatem huius monasterii mox officium suum pastorie resignauit confratri suo Waltero de Carpena huius monasterii monacho professo. Post quem eandem ecclesiam rexit tertius in ordine scilicet Arnoldus Warfengell nostre congregationis monachus professus. Post quem quartus in ordine successit Thomas de Neyll. Hic licet erat ordinis diui Augustini episcopi, attamen, quia dilectus erat quam plurimum domino Theoderico de Moyrsa archiepiscopo Coloniensi, per consensum summi pontificis habitum nostri ordinis acceptauit ac inter confratres nostros computatus fuit, qui ante obitum suum dictam ecclesiam ad manus officialium electorum

1) In der Handschrift: vt.

scilicet prioris, thesaurarii, cellarii ac hospitalarii spontanee resignauit. Qui equidem electores concorditer consenserunt in priorem huius loci scilicet Wernerum de Reyndorp. Post cuius obitum electus fuit ab officialibus Joannes de Leuwenich. Post quem electus est Engelbertus Frentze huius monasterii prior ante existens. Quo defuncto successit per electionem vnanimen Henricus de Lulsdorp, qui etiam huius loci prior per aliquos annos extiterat. Deinde electus est Godefridus de Gluell, post quem Joannes de Zanctis, qui prius cellarius extitit. Quem per vnanimem electionem subsequutus Joannes de Weda per multos annos huius loci prior existens. Hic postea electus vnanimiter in abbatem huius loci anno scilicet domini MCCCC nonagesimo octauo ipso die sanctorum Fabiani et Sebastiani martirum. Qui statim vt electus fuit ad abbacialem dignitatem, resignauit officium pastoris ad manus officialium predictorum, quorum consensu electus fuit Adam de Reyda cellarius nostri monasterii existens. Post cuius obitum successit Joannes de Lunen etiam huius monasterii cellarius existens. Hic quoque postea ad abbacialem dignitatem promotus est. [1])

Circa idem tempus monasterium nostrum quam maxime infestabatur per dominos videlicet Carsilium de Palant et Philippum de Kenthenich eo tempore aduocatiam huius domini nostri diuisim possidentes. Quodam etenim tempore territorium nostrum inuadentes cum equitibus subditorum nostrorum bona mobilia ipsorumque pecora et nostra simul rapuerunt tam de ediculis quam etiam de cimiteriis, emunitatibus atque ecclesiis. Precium autem pecorum fuit istud: acceperunt XIII equos, quemlibet equum pro XVIII marcis computatum, summa CCXXXIIII marce, item quatuor poledios, [2]) quemlibet pro quinque marcis computatum, summa XX marce. Item octo vaccas, quamlibet pro decem marcis, summa LXXX marce. Item centum et quindecim porcos, quemlibet pro quatuor marcis, summa CCCCLX marce, item vtensilia pro ducentis marcis computata, item in Konynxdorp centum et nouemdecim oues cum lana in maio pro qualibet quartali LX marce. Aliquos etiam subditos secum captiuos

1) Am Rande eines unbeſchriebenen Theiles der Seite werden noch aufgeführt: 14 Mathias Nouesianus. 15. Joannes a Monteregio ex prouincia Prussie oriundus.

2) Am Rande ſteht: poledius est filius eque.

duxerunt, quorum numerus nescitur. Dominus igitur Hermannus abbas huius monasterii plurimum angustiatus prefata damna conquestus est reuerendissimo archiepiscopo Coloniensi domino Engelberto, qui super his admodum commotus statim hic interdictum posuit, eo quod loca sacra per dictos aduersarios violata essent, sed idem Hermannus abbas ad instantiam subditorum nostrorum relaxationem [1]) ipsius interdicti impetrauit, cuius relaxationis forma sequitur et predicta vera esse testatur.

Officialis curie Coloniensis interdictum latum authoritate statutorum nostre s. Coloniensis ecclesie pro eo, quod Carsilius de Palant et Philippus de Kenthenich cum suis complicibus hospitale vestri monasterii ac curtem pecorum cum subditis vestris et capellam s. Laurencii martiris iniuste inuaserunt fringendo ianuam et ipsam capellam spoliauerunt, nedum istis contenti, verum etiam de cimiterio oues, boues, vaccas, porcos, equos aliaque diuersi generis animalia nec non vestes, ollas, lectisternia et alia vtensilia diuersa domus receperunt et deduxerunt ac suis vsibus applicuerunt. Sed quia precibus venerandi abbatis domini Hermanni condolemus, eidem relaxamus interdictum abhinc vsque Remigii episcopi etc.

Breui autem temporis spacio elapso predicti aduersarii iam altera vice armata manu territorium nostrum inuaserunt et quicquid acquirere poterant rapuerunt. Insuper et plures subditos captiuos secum ad sua fortalicia deduxerunt. Quapropter vener. dominus abbas Hermannus iterata vice cogebatur archiepiscopum Coloniensem pro consilio inuocare. Qui auditis tantis querimoniis maxime nostris infortuniis compassus est et certum diem tam ipsi abbati nostro quam etiam aduersariis prefixit, quo insimul de eorum indifferentiis tractarent. Quod et factum est. Nam idem archiepiscopus scabinos nostri territorii diligentius examinauit etc., vt patet sub G. octauo. Sed tunc presente archiepiscopo Philippus de Kenthenich abscessit et iudicio stare renuit. Post recessum autem archiepiscopi multos articulos et querimonias proposuit, vt habetur de verbo ad verbum in vulgari sub O. nono. Et ibidem etiam respondetur ei ad singula, quod errauerit etc.

Ceterum ad maiora precauenda damna venerabilis abbas habito multorum huius monasterii amicorum consilio redemit mediam par-

1) In der Handschrift: relaxatione.

tem aduocatie a Philippo de Kentenich pro mille et quingentis aureis florenis scilicet antiquis scutatis, vt patet sub litera O. decimo. Reliquam partem aduocatie eodem fere tempore redemit a domino Carsilio de Palant pro mille trecentis florenis aureis scilicet alt schilt vulgariter nominatis, vt patet sub O. XII.

Dum itaque aduocatia ad manus abbatis huius monasterii cuiuscumque futuri translata esset, ipse abbas sepefatus sufficienter preallegatis damnis ac incommoditatibus edoctus volens adhuc futura precauere pericula habito consilio fratrum suorum vnanimiter statutum est, quod nullus aduocatus perpetuus institueretur et quod ordinatus vltra biennium non remaneret, sed ad nutum amoueri posset. Quod quidem statutum archiepiscopus Coloniensis Engelbertus tertius approbans omnimode in posterum obseruari voluit sub excommunicationis periculo,[1]) in quemlibet eorum ferende, qui istam ordinationem impedire voluerit vel aliquid contra eam per se vel per alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte fecerit vel fieri procurauerit, insuper quod post sex dies in casu huiusmodi rebellionis et negligentie canonica admonitione premissa in ipsum conuentum suspensionis et in idem monasterium nostrum interdicti sententias ferire posset etc., vt patet latius sub O. vndecimo. Idem archiepiscopus induxit subditos nostros piis monitis, quatinus contribuerent ad emendam aduocatiam, vt patet sub lit. O. vigesimo.

Primus ergo aduocatus conditione prefata assumptus fuit Heynricus de Kentenich, cui singulis annis dabantur centum marce et viginti maldra auene etc., vt patet sub O. sexto decimo.

Successu vero temporis ordinatum est, quod aduocatus nostri territorii recipiet a subditis nostris annuatim quinquaginta maldra hauene et dimidiam partem pecuniarum de excessibus maioribus subditorum, aliam autem partem recipiet dominus abbas.

Prefectus qui vices gerit aduocati recipiet annuatim decem maldra auene, cui aduocatus condiuidit de parte pecuniarum, quam recipit de excessibus. Habet etiam alia accidentalia, quando post festum natiuitatis Christi et in media estatis seruat iudicium pro secularibus, quod vulgariter dicitur hultzgeding.

Schultetus (qui minister est abbatis) habet a monasterio pro premio laborum suorum quatuordecim florenos, vnum maldrum sili-

1) Periculo fehlt in der Handschrift; dann steht ferner ne für in und ferende für ferende.

ginis, vnum sobrium pisarum, vnum porcum et vnum quartale lignorum cum fasciculis et sex vlnas lanei panni pro vestitura. Et si ipse respicit domum vini, habet adhuc vnam vestituram de VI vlnis panni supradicti, habet et alia accidentalia, prout sonant statuta secularia etc.

Preco monasterii habet annuatim a monasterio scilicet octo maldra siliginis et vestituram preter alia accidentalia, que recipit a arrestatione et mandatis peragendis, prout sonant statuta secularia.

Scabini sunt tantum feudales monasterii, qui etiam accidentalibus habent statutam pecuniam de aperiendo scrinio et bonis inscribendis etc. huiusmodi.

Decanus monasterii recipit annuatim a monasterio II sobrinos tritici, IIII maldra auene, II pullos, VII solidos et vnum flesconem vini, quando portauerit virgam ante dominum abbatem cum schulteto nostro summis festiuitatibus in processione, recipit etiam vestituram de sex vlnis panni lanei.

Ceterum, vt superius tactum est, medietatem aduocatie a Philippo de Kenthenich pro mille et quingentis aureis scutatis antiquis imperialis ac regis Francie monete hic venerabilis abbas Hermannus et conuentus redemit. Que quidem pecuniarum summa non sine magno monasterii damno collecta sunt. Nam plura bona monasterii ea de causa per annuas pensiones in bladis et pecuniis ad vitam nonnullarum personarum exposita fuerunt, summam autem pecuniarum Carsilio de Palant debitam scilicet mille et trecentos aureos eiusdem monete, cuius superius meminimus, cum predictus abbas et conuentus noster pro tunc in promptu non haberent nec vllatenus sine graui damno conquirere poterant, eidem domino Carsilio securitatem et obligationem fecerunt de bonis monasterii ad mensam domini abbatis spectantibus videlicet de curte in pago nostro sita den Viehoff nuncupata cum ducentis iurnalibus agrorum eiusdem curtis talibus pactis et conditionibus, si illi de huiusmodi summa scilicet mille trecentorum florenorum certo termino ad hoc tunc statuto non satisfieret, quod tunc deinceps quolibet anno centum et triginta scutatos aureos predicto Carsilio et suis heredibus ex bonis nostris sine omni defalcatione sortis et principalis summe predicte persoluere tenerentur; donec de ipsa summa mille trecentorum scutatorum aureorum integre esset satisfactum. Cum autem huiusmodi centum et triginta scutatos aureos eidem Carsilio per decem et septem annos persol-

uissemus, ita quod infra illud tempus duo milia scutatorum cum ducentis et decem a monasterio nostro recepisset et nihilominus tamen principalis summa persoluenda restaret, tam ipse abbas quam conuentus quam maxima perplexitate et grauamine oppressi fuerunt nescientes, quemadmodum se commodose de huiusmodi debitis exonerarent, licet plures desuper consilia et tractatus in capitulo nostro seruarent. Sed tandem ipsis sic grauiter perplexis et quasi omnino desolatis, presertim quia iam infra breue tempus omnia bona in Burgell a monasterio alienauerant et nonnulla per plures annuas pensiones exposuerant, ecce ex altissimi prouidentia, cuius clementia in se sperantes non deserit, vir religiosus et circumspectus frater Godefridus de Halle Commendator domus Coloniensis ordinis hospitalis s. Joannis Jherosolimitani cooperatione et licentia venerabilis domini fratris Conradi de Bruynsberg magistri generalis dicti ordinis s. Joannis per Alemaniam amici nostri monasterii singularis abbati et conuentui nostro in hac necessitate constitutis vt pius et sincerus amicus succurrens pia intentione et compassionis intuitu gratiose subuenit eisque mille et quingentos aureos scutatos antiquos imperialis et regis Francie monete in promptis deneraiis (sic) scutatis aureis et alia moneta aurea legali causa veri et puri mutui concessit. Quam equidem pecuniarum summam cum immenso mentis iubilo suscipientes protinus domino Carsilio de Palant illas pecunias in solutionem illius summe, qua ei tenebantur, tradiderunt scilicet mille et trecentos aureos scutatos pro principali summa, reliquos vero ducentos in solutionem annualis pecunie sibi inde adhuc competentis et solui restantis. Tali autem condicione hec beneuolentia exhibita fuit, vt per spacium quindecim annorum illis fratribus supradicte domus centum aurei scutati singulis annis inuicem succedentibus restituerentur, donec sic summa totius per illud spacium compleretur etc. Quod abbas et conuentus cum maxima gratiarum actione et debita gratitudine acceptarunt et in signum veritatis, quod predictos antiquos aureos scutatos annuatim soluere vellent, curtem den Viehoff vulgariter appellatam prius Carsilio de Palant pro predictis debitis obligatam eisdem fratribus cum alia etiam curte nostra in parua Konynxdorp sita cum XL iurnalibus terre arabilis nec non cum omnibus bonis redditibus et prouentibus quibuscumque ad mensam domini abbatis spectantibus vbicumque locorum sitis obligauerunt. Hec omnia latius significantur in bulla sub J. secundo et J. tertio.

Preterea hic venerabilis abbas et conuentus eodem anno, eodem quoque die aliud quoddam cambium fecerunt. Nam ipse Hermannus venerabilis abbas et conuentus cum licentia gratiosissimi domini Friderici resignarunt ad manus religiosorum virorum Commendatoris et ceterorum fratrum domus Coloniensis ordinis hospitalis s. Joannis Jherosolimitani pagum nostri territorii Louenich vulgariter nuncupatum, in quo preter cetera dominia, imperia et iurisdictiones nostrum monasterium habuit viginti iurnales terre arabilis sitos in vna pecia in loco dicto vulgariter in domo Mersele, redditus quoque annuos et perpetuos quinque maldra tritici mensure Coloniensis de bonis quondam domini Gobelini Mede nec non omnia feudalia bona et feudales. Habuimus enim in eodem pago siue parrochia de Louenich duodecim feuda et dimidium sub sex mansis et dimidio feudo terre arabilis contenta, de quibus quidem singulis feudis monasterium nostrum quolibet anno recipiebat scilicet dimidium maldrum tritici, tria maldra et dimidium auene mensure Coloniensis, septem solidos, tres denarios pagamenti Coloniensis, quatuor oua et dimidium et tot curmedas, quot fuerint persone huiusmodi feuda suscipientes etc. Hec quoque conditio expressa est, vt si contigerint aliqua forefacta, excessus aut commissa punitione correctione aut animaduersione digna, in ipsa strata [1]) Bunnensi talium correctio, examinatio, decisio et diffinitio ad vtramque partem spectabit de cetero et perpetuis temporibus in futurum et emolumenta inde prouenientia inter vtramque partem sunt diuidenda. Ipsi vero religiosi domini sepefati vice versa nobis in cambium dederunt scilicet annuos et perpetuos redditus triginta octo marcarum pagamenti Coloniensis de curtes et bonis appellatis Steynbuchel sitis in parochia de Wedersdorp. Quam curtem tunc temporis possidebat dominus Joannes dictus Velthoyn, redditus quoque duodecim maldrorum siliginis mensure Coloniensis, que tunc soluere tenebantur heredes Heynonis de Kyrdorf et heredes dicti Lyddermans de bonis eorum sitis in Synteren et in Mansteden, que bona sunt feuda monasterii, septuaginta octo quoque iurnales terre arabilis, quorum sexaginta sex iurnales et tria quartalia siti sunt in vna pecia et appellati sunt der lynden acker et vndecim iurnales et vnum quartale siti sunt in vna pecia et dimensi sunt de agro dicto van den langher hoeuen, per quos

1) Das Wort iſt undeutlich geſchrieben.

strata de Wedersdorp transit, et siti sunt in parochia de Wedersdorp. Hec diffusius explicantur sub J. quinto et J. sexto. Acta sunt hec anno domini MCCC octuagesimo tercio mensis Februarii die sexta.

Idem etiam venerabilis abbas ante hoc tempus scilicet anno domini MCCC septuagesimo sexto curtem nostram et cetera bona in Burgell preter ecclesiam et decimas vendidit cuidam militi Gerardo nomine pro quatuor milibus florenorum aureorum ea vt opinor de causa, quod aliqui domicelli militario ordine scilicet dominus Baldewinus et Godefridus de Capella et dominus Gumbertus eorum adiutor aduersantes monasterio nostro quadam vice associatis sibi sexaginta equitibus et amplius expoliauerunt totum territorium nostrum.[1]) Acceperunt enim primo in Fremersdorp XX equos redemptos pro centum et septuaginta florenis, in parua Konynxdorp quinque equos duas vaccas cum vitulo redemptos pro septuaginta tribus florenis, in Danswiler sex equos et tres porcos redemptos pro sexaginta quatuor florenis, in Bruwylre XVIII equos, XXV vaccas et triginta porcos redemptos pro quadringentis et septuaginta quatuor florenis, in Synteren XX equos et XXIIII porcos et XXV oues redemptos pro centum et nonaginta duobus florenis, in Mansteden VI equos, XXX porcos et quinque vaccas redemptos pro centum et sex florenis, summa totius pecunie mille septuaginta nouem floreni preter alias exactiones, que loco incendii a subditis nostris acceperunt. His sic contingentibus vnus illorum predatorum per nostros subditos fuit interfectus. Quam autem occasionem contra monasterium nostrum habuerunt aut quo medio tandem elapso anno altera die conuersionis beati Pauli apostoli ad concordiam et pacem redierunt, certa documenta reperire non potui, sed pater Bartholomeus assignauit summam omnium damnorum istius controuersie quatuor milia florenorum excedere etc.

Alia quoque vice circa idem tempus duo ciues Coloniensis ciuitatis scilicet Conradus et Godefridus nuncupati monasterio nostro contrariantes multa damna intulerunt per rapinas et incendia. Isti enim quatuor curtes nostras in Fremersdorp altera s. Jacobi apostoli combusserunt. Quemadmodum autem eodem anno in profesto Mi-

1) Am Rande ſteht von derſelben Hand: Istud factum contigit anno domini 1375 vel circiter (vel circiter von anderer Hand).

chaelis archangeli se cum abbate et conuentu composuerint, si aliqua scripta hoc dictantia reperire quiuissem, vtique hic diligentius assignassem. Non igitur cuiquam mirum videatur, si prefata bona in Burgell tantis tribulationibus circumdati vendiderunt, que etiam antea suppignorata fuerunt quibusdem hominibus pro pecuniis et frumentis accommodatis, vt patet in quitantiis sub S. quinto et Q. secundo.

Vendidit quoque curtem nostram in pago Wistub sitam honorabili domine abbatisse monasterii s. Cecilie virginis et martiris in Colonia. Ad quam venditionem fuit requisitus consensus primi ducis Juliacensis scilicet Wilhelmi etc., vt patet sub P. XXI. Et hec venditio ea presertim de causa facta fuit propter euadenda seruicia et alias exactiones, que dux Juliacensis frequenter exigebat. Precium autem illius curtis versa fuit in redemptionem cuiusdam decime, que fuit domine Drude de Vischenich obligata.

Redemit quoque hic venerabilis abbas mille marcas, in quibus erat monasterium nostrum obligatum dominis St. Anthonii in Colonia, vt patet sub Q. 18. Nec non plura alia redemit, de quibus passim in libro copiarum extant quitantie.

Cum itaque monasterium nostrum propter diuersas calumnias et tribulationes ab aduersariis illatas ad maximam inopiam peruenisset, dominus abbas rogauit archiepiscopum Coloniensem Fridericum eo tempore hoc in loco presentem, quatinus sua gratia et autoritas dignaretur nostrum monasterium ab vndecim prebendis protunc vacantibus supportare. Cuius iuste ac rationabili petitioni auditis penis causis dictu lamentabilibus assensum prebuit per publicum instrumentum proprio sigillo munitum. [1])

Idem archiepiscopus cum fratres essent discordes in electione officialium ordinauit petente abbate, quatinus vnusquisque fratrum prestito prius super sacrosancta euangelia iuramento illum eligerent, quem secundum deum et suam conscientiam illi officio (ad quod ipsum nominauerit) vtiliorem et conuenientiorem estimauerit.

Idem quoque archiepiscopus concessit, vt carcerem pro secularibus reis includendis construere possimus etc., vt patet sub lit. O. decimo septimo.

---

1) Aus dieſem Inſtrument, das wir hier weglaſſen, wird unter Anderem geſagt, daß das Kloſter urſprünglich auf 36 Präbenden gegründet ſei.

Hic etiam venerabilis abbas comparauit viginti iurnales sitos inter Louenich et Fremersdorp a milite Goswino de Bell, vt patet sub lit. L. quinto.

Fecit quoque permutationem quandam cum conuentu monasterii Malmundriensis et recipimus ab eis annuatim quatuor maldra siliginis, vt diffusius continetur sub lit. C. decimo octauo.

Coegit hic abbas aduocatum nostrum in Mesenich scilicet Henricum de Pyrmont ad recognitionem ipsius aduocatie, vt patet sub D. decimo. Et fecit compositionem quandam cum incolis de Pomeren cum forestario silue etc., vt patet sub D. sexto. Item infeudauit vnum in bonis nostris in Kelle, sicuti declaratur [1]) manifeste sub D. octauo. Item aliud feudum quidem recepit ab eodem resignato priore, vt patet sub D. nono. Item de alio in Kelle sub D. decimo. Item infeudauit etiam alium dominum de Ketge cum certis bonis situatis in agris, siluis inter Confluentiam et Andernacum iacentibus etc., vt habetur sub D. vndecimo. Item infeudauit quendam in Kuynrade in bonis nostris ibidem situatis, vt patet sub D. duodecimo. Fecit et quendam vasallum in curte nostra Stuetghen vulgariter nuncupata, vt exprimitur latius sub M. primo et secundo. Fecit quoque quendam militem Velthoyn nuncupatum feudalem cum XV iurnalibus in campis Wedersdorp situatis, vt patet sub M. duodecimo et cum eodem fecit quandam permutationem de quibusdam iurnalibus in decimatione etc., vt patet sub F. septimo et octauo.

Quidam rusticus in Mansteden habitans sub isto abbate venationi cuniculorum in territorio nostro sine licentia abbatis se ingerens captus est, pro quo, tametsi boni amici intercederent, attamen cogebatur pro sui liberatione dare quadringentas marcas. [2])

Hic etiam venerabilis abbas conflari fecit magnam campanam, super quam habentur hii versus:

Ter centum milleno cum quarto terque trigeno
O Nicolae pieque tibi Medarde benigne
Hoc fuit oblatum vas iudicioque paratum
Id est anno millesimo trecentesimo nonagesimo quarto.

1) Handſchrift: declaretur.

2) Am Rande ſteht von derſelben Hand: Nota, quod quidam captans cuniculum captus dedit quadringentas marcas.

Comparauit etiam organum pro ecclesia nostra, quod eo tempore in latere ecclesie septentrionali primitus fuit aptatum, cuius magister fuit quidam canonicus de Susato Wylhelmus appellatus etc.

Istius abbatis tempore fuit hic quidam prior Gerardus de Duren, qui maxima claruit scientia et doctrina scripturarum. Hic pro informatione nouellorum fratrum transtulit regulam s. Benedicti de latino sermone in vulgarem, post cuius obitum fuit Godefridus, cui successit Emecho.

Tertio anno ante obitum suum hic venerabilis abbas misit rotulam ad diuersa monasteria ordinis nostri pro inscribendis nominibus fratrum defunctorum atque sororum.

Sequitur forma rotule: Sanctis et fidelibus patribus et fratribus, omnibus abbatibus (prioribus, prepositis, decanis, abbatissis eorumdemque subditis ad regales nuptias inuitatis Hermannus summi regis gratia pater et frater filiorum Abrahe Brunwylrensium scilicet monachorum ordinis s. Benedicti abbatis etc. [1]) nos iuxta statuta patrum priorum predecessorum nostrorum, qui huiusmodi fraternitates ordinauerunt, quamuis proh dolor! ab aliquibus, qui non sapiunt, que dei sunt refutentur friuole, vobis tamen, vt speramus, gratanter accipere credimus, quia id ipsum per mutuam recompensationem, dum litere vestre ad nos peruenerint benigniter faciemus, Thilmanno latori presentium victus subsidium charitatiue petimus ministrari, eandem vicem vestris rotulariis, cum ad nos peruenerint, sumus reddituri. Datum anno domini millessimo trecentesimo nonagesimo septimo.

Notum sit vnicuique plura monasteria tam monachorum quam monialium nec non collegia canonicorum per Alimaniam olim quandam fraternitatem instituisse, ad que similis rotula portabatur, cui nomina defunctorum inscribebantur et cum ad proprium cenobium fuisset perlata, suffragia pro animabus defunctorum fieri ordinabantur.

Hospitalarius scilicet Henricus Vridach ipso anno obitus istius abbatis mutationem quandam fecit cum siluis pro VI maldris [2]) siliginis anno scilicet domini millesimo quadringentesimo, vt patet sub P. secundo et tertio.

1) Es folgt eine längere einleitende fromme Betrachtung.
2) Die Handschrift hat maldra.

## Sequuntur hic aliqua notabilia, que successu temporis regiminis istius abbatis contigerunt.

Tempore regiminis istius abbatis quidam heretici pessimi surrexerunt scilicet Joannes Wickleff in Anglia et Joannes Huss et Jheronimus de Praga in Bohemia, qui multos christianos sua heretica [1]) doctrina infecerunt et sub habitu ouino lupinam crudelitatem abscondentes totum statum ecclesiasticum subuertere nitebantur, conueniens tempus assecuti propter scandalosum scisma ecclesie, quod diu durauit et plures summi pontifices interea electi et iterum depositi fuerunt, postea vero in concilio Constantiensi pessima illorum hereticorum doctrina deuicta fuit ac reprobata et ipsi heretici combusti. De hac materia queratur latius in cronicis.

Istius abbatis tempore dux Gelrie et dux Juliacensis primitus titulo ducatus sublimati fuerunt, nam antea comites dicebantur. Quod contigit anno domini millesimo trecentesimo tricesimo nono.

Anno sui regiminis sexto tam ingens gelu extitit, quod Renus circumquaque fuit congelatus per tres menses. Et eodem tempore nundine fiebant super Renum apud Moguntiam. Sequenti anno scilicet VII. fortissimum castrum Hemersbach nuncupatum a Coloniensibus fuit superatum in ipsa nocte natiuitatis Christi et peracto festo fuit incensum, combustum, destructum et solo coequatum, triginta vero satellites in ipso castro inuenti fuerunt, capite plexi et in eodem loco super rotas positi.

Octauo autem anno viguit in hac regione quedam pestis pectoris inusitata per thussim, qua plures homines interierunt.

Sub isto abbate maxima dissensio fuit inter ciues Colonienses et clerum, quare clerus cum omnibus rebus suis plus quam per annum et dimidium ciuitatem relinquens diuersis in oppidis, castris ac pagis se recepit.

Monasterium Tuitiense circa idem tempus a Coloniensibus combustum fuit, propter quod ipsa ciuitas per octo annos in excommunicatione fuit et nullus infans infra illud tempus in eadem ciuitate baptismum accepit etc. Ea tempestate corpus s. Heriberti archiepiscopi ecclesie Coloniensis cum ceteris reliquiis eiusdem monasterii

1) In der Handschrift: hereca.

translatum fuit ad monasterium nostri ordinis Sybergense, vbi tam diu fuit, quousque Colonienses per summum pontificem coacti monasterium Tuitiense predictum restaurassent.

Sequenti anno tanta abundantia vini creuerat, quod vas recipiens carratam vini pro tribus florenis vendebatur, ymmo, quod maius est, dabatur plenum vas vini pro vacuo addito vno floreno.

Anno domini MCCC septuagesimo quarto mensibus Januario et Februario factum est diluuium aquarum permaximum in diuersis terrarum regionibus. Renus etenim tunc vltra cursum solitum ad mensuram triginta quatuor pedum in altum excreuit. Quamobrem cunctus populus admodum perplexus est et in stuporem versus. Hinc tempore carnispriuii in ciuitate Coloniensi processiones et letaniarum decantationes per diuersas ecclesias sanctorum reliquias portando fiebant cum maxima cordis deuotione. Tandem quinta decima die mensis Februarii per vltimam processionem missarum expletis solemniis cepit stare diluuium siue inundatio aquarum et decrescere.

Eodem etiam anno mensibus Augusti, Septembris et Octobris rara quedam passio vehemens inuadebat hominum corpora, quam physici alienationem mentis vocabant. Nam ad modum furentium hominum se in moribus gerebant, horribiles voces emittendo corpusque ad terram allidendo etc. Post spacium autem quindecim dierum communiter ad meliorem statum redierunt. Plurimi quoque dictam passionem questus causa, vt sic eleemosinas largas reciperent, nec non quidam petulantia moti, vt sic femineis personis passionatis fornicarie se miscerent, nequiter simularunt, quorum nonnulli deo iustissime permittente a demonibus fuerunt obsessi, sed ad reliquias sanctorum deducti et per sacerdotes adiurati rursus miserante deo fuerunt liberati.

Anno regiminis istius abbatis vigesimo sexto quedem secta Dyebarduuen vulgariter nuncupata cum maximo exercitu in istas terras irruerunt destruentes omnia et comestabilia deuorantes. Quibus terram Juliacensem intrare nitentibus perualida resistentia facta fuit pluribus peremptis ceteris dissipatis.

Anno eiusdem vigesimo septimo nocte s. Bernardi abbatis turris s. Martini maioris in Colonia celesti igne cum omnibus campanis fuit concremata. Sequenti anno quam maxima siccitas in his terris fuit.

Plurima siquidem flumina fuerunt exsiccata et putei vbique fere arefacti negantes hominibus aquam. Tanta namque aquarum penuria eo tempore extitit, vt publice venderetur in plateis pro pecuniis. Renus etiam illa tempestate adeo minoratus et exhaustus erat, vt equi naues trahentes ad medium eius irent.

Diem autem extremum clausit hic venerab. abbas anno millesimo quadringentesimo quinto kal. Aprilis, postquam triginta nouem annis prefuisset, qui sepultus est in corpore ecclesie circa columnam ante altare s. Anne.

Epitaphium eiusdem abbatis.

Mille tibi sumas, C (CCC) quater addas, vt bene dicas,
Quinto kalendas Aprilis das, obit abbas
Hermannus fatus Zob Ichendorp quoque natus,
Sit tibi, Christe, datus sanctis simul associatus.

**Emecho secundus de Nytheym**, abbas vigesimus quintus (qui vno anno prefuit cum vno mense).

Emecho de Nitheym vnanimiter a fratribus electus fuit, cuius electioni interfuerunt (preter alios abbates) dominus Chrystianus de Erpell decanus ecclesie s. Cuniberti et officialis reuerendissimi archiepiscopi Coloniensis Friderici de Sarwede (sic), qui postea in ipsius abbatis confirmatione induxit fratres et abbatem Emechonem licet difficiles et anxios, vt daret vel saltem ad aliquod accommodaret reuerendissimo archiepiscopo Colonensis ecclesie predicto quingentos aureos. Quod factum quantum damnum huic monasterio attulerit, non facile estimo dictu. Nam vsque ad illud tempus omnes abbates nostri monasterii gratis munus benedictionis et confirmationis accipere consueuerant secundum priuilegia huic monasterio ab antiquissimis archiepiscopis et summis pontificibus ac imperatoribus donata ex singulari gratia et occassione admodum rationabili. Assidua siquidem experientia docet, quantis incommodis et expensis hic locus in receptione hospitum videlicet tam plebei quam militaris ordinis in dies grauatus sit. Ceterum istud sequentes archiepiscopi Colonienses non attendentes, quemadmodum scilicet hoc monasterium per suos stipendiarios nec non extraneos grauetur, in legem generalem dure-

unt, vt pro qualibet confirmatione abbatis aliquam pecuniarum summam exigant, cum tamen hoc ipsum generaliter (vt constat) in iure rohibeatur et contra priuilegia nostra practicetur, immo, quod peius st, nonnulli de familia ipsius archiepiscopatus maximam pecuniarum ummam eadem vice requirunt, quorum autoritatem siue causam exrimere penitus non valeo.

Hic venerabilis abbas Emecho ad aliquod tempus huius monasteii cellarius fuit et illo officio resignato ecclesia parochialis in Enerich super Mosellam sita ex certo fauore concessa fuit, sed cum rior huius monasterii Godefridus nomine viam vniuerse carnis inrasset, venerabilis dominus Hermannus Zob nesciens ad officium rioratus magis idoneum Emechonem per preces ad monasterium um reuocauit. Hinc ipse resignata prius ecclesia ad manus securis sacerdotis sui consanguinei tali conditione, vt ad septem annos cclesie preesset et singulis annis monasterio nostro centum et trinta aureos florenos persolueret, officium prioratus ad instantiam dicti bbatis acceptauit. Sacerdos autem ille secularis, postquam tribus nnis ecclesie prefate presedisset, obiit sicque monasterium nostrum cclesiam illam inopinate amisit. Ex isto vero officio prioratus ad bbacialem dignitatem post mortem Hermanni Zob, vt prefatum est, lectus fuit.

Circa idem tempus quedam secta hominum, qui flagellatoes dicebantur, in istas terras venit, sed vbique expulsa fuit et lispersa atque extirpata. Quibus quidem hominibus mos erat, vt udis pedibus incedentes et insuper nudatos ab vmbilico se mutuo lagellantes penitentiam pretenderent. Vnus illorum [1]) ante alios rucem portabat per integram diem, qui eo die non cedebatur, sequenti die alius in locum eius ordinabatur, qui simili gratia gaudeat. Cum a Colonia per istum pagum ad terram Juliacensem venissent et vbique repulsi fuissent, tandem ad pagum quendam terre lelriensis Virsen vulgariter nuncupatum declinarunt. Illuc etiam um impetu repulsi crucem suam ibidem reliquerunt, que crux sque in hodiernum tempus in ecclesia parochiali illius pagi conseratur etc.

Obiit hic venerabilis abbas Emecho anno domini millesimo qua-

1) Die Handschrift hat: illos.

dringentesimo primo quinto die Maii. Sic [1]) ergo patet liquido, ipsum tantum vno anno et mense cum paucis diebus prefuisse. Sepultus ante altare s. crucis, in cuius supulchrum postea primus reformator huius monasterii Adam de Hertzenraede ignoranter positus et tumulatus fuit.

## **Henricus secundus Vridach** de Aden fortalicio oriundus vigesimus sextus abbas

(qui viginti septem annis prefuit).

Sepulto itaque venerabili abbate Emechone eius nominis secundo fratres vnanimiter elegerunt nobilem virum atque honestum ac probum Henricum Fridach de castro Aden prope Lunen in Westphalia sito originem trahentem et eo tempore hospitalarium huius monasterii existentem. Hic venerabilis abbas magnopere studuit bona monasterii pro debitis obligata recuperare atque redimere, vt ex diuersis quitantiis considerari poterit, scilicet sub S. septimo etc.

Comparauit redditus cuiusdam viri in Glessen, qui per multos annos non fuerunt soluti, vt patet sub R. octauo. Recuperauit etiam ibidem decimas XLII iurnalium, vt patet sub L. decimo septimo.

Comparauit vnam decimam cum XLIII iurnalibus in Daynswylre sitis, que antea solebant esse feudalia bona monasterii, vt patet sub L. tercio.

Comparauit etiam XXXII iurnalia terre arabilis et septem iurnalia silue, que tamen antea fuerant bona menasterii feudalia, vt patet sub L. secuudo.

Emit quoque vnam curtem in Wedersdorp cum centum et octo iurnalibus terre arabilis, vt canunt littere sub F. duodecimo.

Hic venerabilis abbas interfuit illi contractui, quando Joannes Steynbuchel cognominatus Velthoyn contrahens matrimonium fecit assignans vxori sue curtem in Wedersdorp tali conditione, vt ipsa et ipsius heredes curtem illam Steynbuchel nuncupatam perpetuo possiderent, nisi heredes sui scilicet Velthoyns redimerent illam pro sexcentis florenis etc., vt patet diffusius sub F. tertio.

1) In der Handschrift: si.

Hic venerabilis abbas feudum concessit Wylhelmo Reyferscheyt in bonis monasterii in Synteren, que Wynans guyd vulgariter[1]) appellatur, vt patet sub M. septimo etc.

Hic etiam abbas literas confirmationis recepit ab archiepiscopo Treuirensi Ottone, quod secundum priuilegia nostra absque theloneo vina nostra deducere possimus, vt patet sub lit. D. primo.

Iste comparauit rubeam cappam choralem cum suis armis insignitam scilicet tribus annulis.

Emit quoque ab aliquibus ciuibus Coloniensibus quandam habitationem ex opposito turris captiuorum sitam, quam postmodum cuidam domicello in feudum dedit et eundem vasallum monasterii instituit tali conditione, vt ipse et sui successores annuatim monasterio XII marcas persoluant et cuilibet monasterii nostri abbati nouiter electo et confirmato homagium facere tenentur. Et insuper quicumque istud feudum nouiter acceptauerit, debet abbati offerre sericam bursam cum quinque marcis ipsum pro domino feudi recognoscendo. Istam autem habitationem nunc temporis inhabitat barbitonsor monasterii Rembuldus nomine.

Preterea redemit a viro Theoderico Gyr et Beatrice vxore eius sexaginta maldra tritici pro vna parte, altera vero parte siliginis, que vendiderat eis pro perpetuis redditibus precessor suus Fridericus Seynheyn abbas huius monasterii scilicet pro mille et quadringentis florenis Renensibus.

Hic venerabilis abbas quendam domicellum aduersarium de Harne nuncupatum habuit, qui monasterio admodum infensus erat et non mediocria damna bonis monasterii inferebat, sed postquam venerabilis abbas ipsum apud gratiosissimum dominum archiepiscopum Coloniensem Fridericum de Sarwede accusasset, ipsius archiepiscopi adiutorio de istis regionibus expulsus est et in aliis profugus effectus est.

Eadem tempestate idem archiepiscopus fortalicium prope Wilre, quod Garstorp nuncupatur, penitus destruxit. Demum defuncto archiepiscopo Friderico anno istius abbatis tertiodecimo in locum eius fuit electus nobilis vir Theodericus de Mursa, qui instigantibus Colonien-sibus bellum gessit contra Montenses. Vnde cum ipse contra eos conflictum haberet, multis ab vtraque parte peremptis victoriam ha-

1) In der Handschrift: wulgariter.

buerunt Colonienses, qui ea tempestate obtinuerunt vexilla primi ducis Montensis et Cliuensis, que suspenderunt in ecclesia s. Petri apostoli maiori in Colonia.

Circa idem fere tempus dux Juliacensis bellum gessit contra comitem Cliuensem Adolphum, quem superans in certamine Adolphus comes Cliuensis cepit, postea dimisit.

Idem Adolphus post hoc a proprio filio Adolpho nomine captus fuit.

Anno etiam istius abbatis quinto decimo ruptis nubibus super oppidum Monasterii Eyflie ducenti homines cum tribus milibus pecorum submersi sunt.

Duobus annis ante obitum istius abbatis claustrum regularium canonicorum in Colonia constructum fuit propter miraculum quoddam in eodem loco ostensum per venerabile sacramentum ibidem a rustico vineam excolente proiectum siue per vomitum aliamve infirmitatem, propter quod idem locus siue cenobium corpus Christi vocatur.

Hic quoque venerabilis abbas maxime compassionis signa erga pauperes exhibuit, nam frequentius propriis manibus eleemosinas egenis distribuit, honestus et exemplaris in conuersatione sua extitit laudabilemque disciplinam fratres suos seruare fecit, licet secundum antiquam et pessimam consuetudinem introductam fratribus propria habere concessit, vt ex diuersis registris manifestius elici poterit. Ceterum quia diligentiam suam quoad disciplinam exhibuit, non dubito ipsum diuina gratia preuentum atque prosperatum fuisse, sicuti in superioribus sufficienter enarratum est.

Obiit tandem hic venerabilis abbas, postquam viginti septem annis laudabiliter prefuisset, vigesima prima die mensis Februarii anno scilicet domini millesimo quadringentesimo vigesimo octauo. Qui reconditus est honorifice ante altare s. Martini in sepulchro eleuato.

## **Arnoldus III. Qwaydt**, nobilis vir, vigesimus septimus abbas (qui triginta annis prefuit).

Arnoldus Quaed deinde vnanimiter a septem fratribus electus fuit, quorum nomina hic sequuntur, scilicet primus fuit pater prior Theodericus Velmede, secundus hospitalarius Reynardus Tzynselmar,

ertius cantor Adolphus de Eptzendorf, quartus Euerardus de Barle nfirmarius, quintus Adolphus secundus de Bodenbenchin cellarius, extus Adam de Rismolen siue Hoesteden, septimus Nicolaus de leynheym. Cum itaque nisi septem fratres fuisse perhibeantur, qui o tempore Arnoldum Quaedt thesaurarium in abbatem huius monaterii elegerunt et in electione venerabilis patris abbatis Emechonis ecundi quatuordecim fuisse nominatim per me legerim, hinc verisiniliter reliquos fratres infra illud tempus perualida peste in hoc oco grassante absorptos fuisse opinari [1]) potest. Hic electus atque onfirmatus octo fratres successu temporis collegit, sicuti ex eis reistris diligentius perscrutando repperi, qui sui commensales erant.

Recepit a perticario curtis in Kyrdorp dicte zo dem Froenhoff num maldrum siliginis ex duobus iurnalibus sitis in Mansteden ad nemoriam sui et suorum etc., vt patet R. nono.

Redemit viginti maldra siliginis perpetui redditus pro quadrinentis florenis a collegio s. Castoris in Carden Treuerensis diocesis, t patet S. tertio.

Concordiam fecit cum aduocato nostro domino Cunone de Pyrnont, vt latius patet sub C. octauo etc., vbi dicitur, quod annuaim recipiet XV amas vini, quod Bedewin vulgaritur appellatur.

Infeudauit quendam Adam de Vischenich nuncupatum cum tribus nansis terre arabilis ad curtem Stuytgen vulgariter appellatam specantibus, vt claret sub lit. M. tertio.

Concessit etiam cuidam Joanni van der Leyen appellato sex malra siliginis in feudum vsque ad vitam suam, vt patet sub lit. D. ertio decimo. Redemit etiam vnum feudum a Wilhelmo Bell pro excentis florenis, vt patet sub L. quarto.

Elocauit quandam domum sitam in pago nostro circa puteum x opposito porte vel circa ortum olerum, queratur sub lit. N. uarto.

Elocauit etiam quandam domum in Fremersdorp, que dicitur truysmans huyss, vt patet sub P. vicesimo secundo.

Elocauit etiam vni viro triginta septem iurnales terre arabilis, ro quibus ipse et sui heredes tenebuntur annuatim soluere mona-

1) Das Wort iſt hier paſſiviſch gebraucht.

sterio nostro XII maldra siliginis et vnum quartale, vt patet sub P. XXV.

Fecit etiam commutationem cum conuentu sancte Gertrudis in Colonia de tribus feudis et kurmeda, quam dabunt etc., de his videatur sub M. vndecimo.

Impetrauit literas confirmationis super libertate thelonei a domino Treuerensi Jacobo etc.

Impetrauit quoque incorporationem ecclesie in Kirdorp ab archiepiscopo Coloniensi Theoderico de Mursa cum decimis, vt patet E. quinto. Insuper procurauit mandatum siue consensum apostolicum super eadem ecclesia, vt patet diffusius sub E. octauo. Sed hic notandum, quod dicta ecclesia ante multos annos sollicitante Godesmanno tertio decimo abbate huius cenobii fuerat incorporata ab archiepiscopo Coloniensi Theoderico, anno scilicet domini MCC decimo, nunc autem plenius incorporata tam ab archiepiscopo Coloniensi predicto quam ab ipso summo pontifice Eugenio quarto anno domini millesimo quadringentesimo trigesimo primo anno sui pontificatus primo etc.

Comparauit curtem illam zo Raede nuncupatam prope Wedersdorp sitam cum quatuor mansis terre arabilis et quinque iurnalibus silue et quatuor iurnales, qui beynden vulgariter dicuntur, prope molam de Quaetraedt sitis pro decem et septem maldris [1]) siliginis perpetui redditus, vt patet latius sub F. tertio decimo, que soluere tenemur monasterio monialium in Colonia zo Seynne, [2]) a quo dicta bona recepimus etc.

Hic venerabilis abbas interfuit consilio Basiliensi cum abbate Gladbacensi Wilhelmo Ruyffer siue Wyffelkouen cognominato, in quo quidem consilio multa bona pro reformatione nostri ordinis facta fuerunt. Habuit illud consilium optimum principium sed pessimum finem propter scisma subsecutum, vt diuersi cronographi latius narrant. Post hoc archiepiscopus Coloniensis de Moirsa hereticos de Bohemia extirpare attentauit, licet parum profecerit. Comportauit autem inde multas sanctorum reliquias, inter quas fuerunt tres spine de corona spinea, qua saluator noster mortem sustinens pro

1) In der Handschrift: maldra.
2) Kloster Sion.

nobis coronatus extitit a perfidis iudeis. Istarum autem spinarum duas dedit deo sacratis monialibus nostri ordinis in Konynxdorp. Tertiam autem spinam ex singulari [1]) fauore contulit monasterio nostro tali tamen pacto, vt sue curie officiali de Rurimunda oriundo ex progenie de Pollart molaris dens [2]) s. Christophori martiris in cambium restitueretur, quod et factum est. Nam idem N. dictum dentem secum transtulit ad Rurimundam.

Idem archiepiscopus quadam vice circa id tempus pro diuersarum causarum expeditione versus Nurenbergam iter facturus petiit sibi particulam lancee dominice accommodari ea conditione, vt possit ibidem experimentaliter (propter varias suspiciones sedandas) vtrumne hec particula parti illi, quam ibidem in magna reuerentia percolunt, concordaret. Ceterum tam ipse venerabilis abbas sepefatus quam ceteri conuentuales fratres rem propositam diligentius discutientes admodum difficiles se reddiderunt, formidabant siquidem, ne sub tali typo talis ac tantus thesaurus eis surriperetur. Quapropter non ipsam venerabilem lanceam dominicam, sed similitudinis eius figuram artificis aurifabri in argento omnimode effictam ad experiendam rei veritatem tradiderunt. Gratiosissimus itaque archiepiscopus placito [3]) acquiescens figuram secum assumpsit et per omnia nostram particulam parti illi Nurenberge in magna reuerentia conseruate per omnia concordare et forcipe abscissam esse in propria persona comprobauit, sicuti illinc rediens firmissime asseuerauit. Hec omnia sic veraciter contigisse testes adhuc sunt superstites, qui a senioribus illo in tempore viuentibus frequentius audiuerunt. Tactum est in principio [4]) huius operis, dum de primo Henrico imperatore et Ottone primo ageretur, quemadmodum Henricus primus a duce Burgundie hanc dominicam lanceam extorserit et posteris suis reliquerit, vt Anthonius quoque in cronica sua attestare videtur etc.

Hinc igitur verisimiliter opinari possumus fundatricem nostri monasterii (que vt constat de progenie dictorum fuit) particulam istam, de qua agitur, huic monasterio ab amicis suis scilicet patre

1) In der Handschrift: singulare.

2) In der Handschrift: molarem dentem.

3) In der Handschrift: placio.

4) Der Anfang der Chronik, weil er anderwärts bereits gedruckt ist, ist hier nicht mitgetheilt.

aut fratre impetratam condonasse. De hac lancea dominica ante reformationem huius monasterii speciale officium XII lectionum hic seruabatur. Quod quia de ordinario nostro non est, postpositum est, seruatur autem adhuc processio per ambitum claustri sexta feria post octauas pasche et eodem die cantatur officium misse de eadem cum sequentia etc. Completa quoque missa officians lecto euangelio s. Joannis: in principio etc. et adiungens orationem congruam benedicit aquam circa altare dispositam immittendo lanceam dominicam in eam. Hec aqua non putrescit, vt sepius expertum est, et vtitur pro diuersis infirmitatibus. Et qui coram imaginibus dominice passionis hoc acumine sacre lancee tactis ac benedictis vnicam orationem dominicam cum salutatione angelica deuoto ac compuncto corde dixerit quadraginta dierum indulgentias a tribus episcopis singillatim concessas misericorditer consequetur. Ista etiam lancea dominica nummi argentei perforantur, quibus deuoti homines contra diuersas plagas siue infirmitates vti solent secumque ob reuerentiam portare etc.

Postquam autem archiepiscopus Coloniensis Theodericus de Moirs contra hereticos in Bohemia multo sudore laborauerat, interea ciuitas Susatum cum suis complicibus a dominio diocesis Coloniensis subtraxit se et duci Cliuensi se subdidit. Quapropter archiepiscopus vehementissime commotus bellum eis indixit et congregans maximum exercitum ex Bohemia ac aliis mundi partibus terras eorum intrauit et multa loca, castra atque monasteria deuastauit. Et tandem habens in comitatu suo quadringenta[1]) milia peditum et viginti[2]) milia equitum ciuitatem Susatum anno domini MCCCCXLVI post festum pasche obsidere inchoauit, multimode eam impugnauit, multas expensas inutiles fecit. Nam post festum s. Martini eam inuictam relinquens obsidere desiit.

Circa idem tempus ciuitas, que Lippia dicitur, etiam valide impugnata fuit. Durauit autem istud bellum inter archiepiscopum Coloniensem et ducem Cliuensem dictarum ciuitatum se defensorem exhibentem multis annis. Demum vtrarumque partium euacuatis multorum nummorum marsupiis, positis induciis ad pacem redierunt. Que quidem inducie vsque hodie perseuerant, quia cause archiepis-

1) Es ſoll wohl heißen: quadraginta.
2) In der Handſchrift: viginta.

copi adhuc indeterminate sunt. Eadem tempestate idem archiepiscopus castrum et theloneum in Koninxdorp cum plurimis aliis possessionibus diuersis dominis obligauit etc.

Cum itaque post concilium Basiliense plura monasteria secundum cerimonias tunc nouiter approbatas reformarentur, hic venerabilis abbas eas acceptare renuit, sed per semetipsum quasdam ordinationes fecit, que sequuntur. Instituit igitur, vt custos priuatis diebus pulsaret hora tertia ad matutinas, festiuis vero diebus hora secunda, prime decantarentur in estate circa septimam horam, tempore vero hiemali hora VIII^a^. Hora tertia semper seruabantur vespere et cena facta per integram horam iussit pulsari pro completorio. Precepit etiam, vt primo signo facto ad matutinas summissarius cum iunioribus statim compareret et iunioribus eum adiuuantibus quindecim gradus legeret, quibus finitis secundum signum fiebat, ad quod ceteri seniores mox occurrebant et diuinum officium simul explebant. Summissarius in festis XII lectionum euangelium post Te deum laudamus cantabat, in festiuitatibus vero abbati asscriptis prior pro abbate. Concessit priori potestatem dandi licentiam fratribus eundi extra monasterium ad breue tempus, si autem diutius morari vellent, ab abbate licentiam impetrare deberent. Summissarius autem, qui officium suum per tres ebdomadas integre impleret, scilicet qui vna ebdomada summam missam cantasset, secunda autem primam missam in altari crucis seruasset, tertia vero quotidie missam in capella s. Benedicti abbatis legisset, hic tunc liber ab omnibus missis per quatuor dies erat, insuper tali priuilegio gaudebat, quod quatuor diebus extra monasterium sine scitu abbatis, sed cum licentia prioris apud amicos et notos pro solacio morari posset, nisi illis diebus solemnes vigilie defunctorum essent seruande aut cantande, quia tunc nemini sub magna pena abesse licebat. Hec vulgari sermone fuerunt descripta, que abbreuiando ad latinum sermonem transtuli, vt patuit.

Fecit circa idem tempus illas ianuas cum coris (?) a lateribus chori fieri propter maiorem disciptinam seruandam.

Repperi et alias constitutiones circa diuinum officium, que quia secularium canonicorum moribus conueniebant conscribere omisi. Ex his ergo paucis cuilibet sagaci ac prudenti relinquo lectori considerandum discuciendumque, quantum vsque in illud tempus regularis dis-

ciplina in hoc monasterio defecerat et adhuc eo tempore minus debite (scientibus legem loquor) obseruabatur. Nam propter has ordinationes quisque propria habebat.

Anno domini MCCCC trigesimo quarto vehementissimus ventus in nocte s. Dionisii martiris extitit, qui plura damna in istis regionibus peregit et lapis maximus in Coloniensis summi testudine templi super tres reges cecidit, nec tamen ipsos lesit, sed per spacium trium pedum a loco suo moti lapidi cadenti locum dederant.[1]) Quod homines pro magno miraculo habuerunt. Idem lapis vsque hodie ante tumbam eorum stare videtur.

Anno domini MCCCC quadragesimo quinto duo scabini in pago nostro Clottenensi habentes causas contra se inuicem, cum in iudicio in Clotteno celebrato minime concordare potuissent, appellarunt ad principale siue capitale iudicium Coloniense. Postquam autem a Coloniensibus informationem acceperant et reuersi fuissent, ille, qui vere reus fuit, aduocatum Joannem van der Leyen castellanum in Cochem ad conuiuium suum inuitauit eique sententiam a Coloniensibus prolatam accurate satis exposuit. Dum igitur tempus iudicandi aduenisset, scabini sententiam a Coloniensibus scabinis prelatam produxerunt, qua audita aduocatus reo volens complacere reprehendit scabinos nostros duo verba subticuisse. Econtra vero scabini constanter asserebant, nichil se omisisse, vnde advocatus commotus citauit eos coram archiepiscopo Treuerensi in Cochem ad iudicium comparere. Cum itaque comparuissent, interrogati sunt, quare illa verba scilicet subticuissent, qui exeuntes conciliati[2]) sunt et responderunt, quia iurisdictioni nostre derogarent etc., nichil autem causam principalem tangebant etc. Hinc archiepiscopus et vocatus volentes contra monasterium nostrum occasionem accipere dixerunt scabinos nostros iniquos et culpabiles, insuper carceri eos manciparunt et tria milia florenorum exegerunt. Qui tamen ad instantiam amicorum suorum fuerunt a vinculis absoluti ea conditione, vt exactam pecuniam soluerent, sed cum absoluti essent et soluere retardarent, dictus Joannes aduocatus noster consentiente archiepiscopo[3]) Treuerensi cum suis complicibus irruit in domos scabinorum nostrorum eorum-

1) In der Handschrift: lapidi cadendi locum dederat.
2) In der Handschrift: consiliati.
3) In der Handschrift: archiepiscopus.

que bona mobilia surripuit. Vxores eorum cum liberis fugauit, quarum quedam impregnate et partui proxime pre huiusmodi doloris angustia abortum fecerunt. Scabini autem tempestiue fugam accipientes huc venerunt et abbatem nostrum tamquam dominum fundi recognoscentes pro auxilio petiuerunt. Quibus auditis plurimum subditis suis est compassus et primitus quidem ipsum archiepiscopum Treuerensem supplicibus precibus multipliciter placare studuit, licet minime potuerit. Insuper aliquos scabinos secundario captiuauit, a quibus mille aureos extorsit. Post hoc dominus abbas se nichil posse proficere perpendens habito fratrum suorum consilio aliorumque amicorum fecit archiepiscopum Treuerensem Jacobum Syrke nuncupatum per germanos suos fratres milites ad secretum iudicium Westphalie citari in propria persona comparendum. Quo facto episcopus timens coram eis comparere penitus anxius effectus est. Quare (vt dicebatur) instigauit archiepiscopum Coloniensem Theodericum Moyrse, vt has sibi causas assumens dietam loco magis congruo seruandam vtrique parti assignaret. Sed hec omnia eo fraudis typo acta sunt, vt sic citationem effugere posset. Archiepiscopus igitur Coloniensis dietam ordinauit in oppido Andernacensi, vbi cum abbas cum cellario nostri monasterii Hermanno Huntzeler ceterisque amicis suis et germanis fratribus nec non consiliariis archiepiscopi Coloniensis comparuissent et archiepiscopum Treuerensem non presentem, vt promiserat, inuenissent, cellarius noster Hontzeler exacerbatus dixit auscultantibus consiliariis archiepiscopi Treuerensis: Ecce cum archiepiscopus nos et subditos nostros iniuste inuadit nec comparere vult ad examen discretorum virorum, ipse testis est, quod erret, oportet ergo, vt ipsum ad iudicium secretum Westphalie citemus. Addidit quoque nonnulla alia verba sumptuosa etc. Que cum audissent consiliarii dicti archiepiscopi, vehementius exasperati responderunt: Eya, vos monachi Brunwilrenses tantum habetis nomen et tonsuram, habitu autem et moribus ad secularium statum magis declinatis quam religiosum. Hinc igitur cum non minima discordia ab inuicem recesserunt.

Circa idem tempus cum abbas apud amicos suos diutius moraretur, vt frater Engelbertus de Frens patri Bartholemeo retulit, qui capellanus eius tunc extitit, timore domini ac preceptis s. regule penitus postpositis plures excessus in hoc monasterio facti sunt, de quibus quidem plura dici possent, nisi nimis scandalosa essent et

nisi viua adhuc testimonia adhuc superessent. Vnde vereor plurimum iusto dei iudicio hanc tribulationem eis euenisse ipsosque tamquam preuaricatores in angustiis derelictos fuisse; deus enim neminem deserit, nisi prius deseratur. Cum ergo hic pessimus rumor ad aures archiepiscopi Coloniensis peruenisset, abbati seriosius scriptis mandauit, quatinus quam primum ad monasterium rediret et huiusmodi corrigere curaret.

Preterea consiliarii Treuerensis cellarium nostrum super temeritate sua apud dominum archiepiscopum Treuerensem accusarunt et ad maiorem indignationem concitarunt. Postea autem adhuc plures diete sunt seruate, vt patet ex actis istius cause latius. Et interea venerabilis abbas fecit tres recognitiones fieri per scabinos Clottenses de dominio et iurisdictione nostra in Clotteno, que conscripte sunt sub lit C. 3. 4 et 5., vbi in primis fatentur dominum abbatem et conuentum dominum fundi et feudi cum multis aliis scitu dignissimis. Ista durante dissentione exposita sunt octo milia florenorum. Propterea namque vendita sunt sequentia bona perpetui redditus sub condicione redemptionis Joanni Koninx ciui Nouesiano quinquaginta aureos florenos pro mille aureis, vt patet Q. secundo, Cruciferis in Colonia LX aureos florenos pro M et CC, vt patet Q. 4°, Carthusiensibus Colonie C florenos aureos pro II milibus florenis aureis, vt patet Q. septimo, Reynero de Reyferscheyt eo tempore aduocato nostro XIIII maldra siliginis pro CC florenis koufmansgulden Q. octauo, Predicatoribus in Colonia X florenos aureos pro CC florenis aureis, vt patet Q. nono, vitalicia scilicet cuidam ciui Coloniensi et yxori L florenos aureos currentis monete pro quingentis florenis currentis monete, vt patet Q. decimo, Carmilite cuidam in Colonia LII marcas pro quingentis viginti marcis, vt patet Q. sexto. Vendidit idem abbas XXV iurnalia Joanni Schoegyn pro octo maldris siliginis perpetui redditus, vt patet P. XXIIII. Post mortem archiepiscopi predicti pax facta est penultimo anno istius abbatis anno scilicet domini MCCCC 57, vt patet C. sexto. Joannes vero successor eius priuilegium de theloneo cum certa quadam clausula renouauit, vt patet D. tertio.

Circa idem tempus quidam militaris ordinis, cuius nomen est, Ros de Laich arrestauit perticarium nostri monasterii in Roide curte prope Wedersdorp, sed cum ipse esset innocens, clam aufugit et huc veniens causas suas abbati sepedicto conquestus est. Qui etiam

ad curtem nostram redire propter periculum corporis sui formidauit. Quapropter dominus abbas tres fratres conuentuales illuc missit, qui vicissim vigilantes curtem nostram custodirent, sed cum aduersarius iam magis esset exacerbatus, multa damna per rapinas et incendia bonis nostri monasterii atque subditorum intulit. Et quadam nocte cum duobus filiis et nonnullis aliis irruit in curtem nostram predictam zom Roide et primo impetu vnum de fratribus interfecerunt. Qui quidem vir nobilis erat et diaconus Wilhelmus de Plettenberch appellatus. Hic quia claudus extitit minus currere siue effugere potuit. Reliquos autem duos in curte latitantes captiuarunt et secum duxerunt, quorum vnus vocabatur Godeswinus de Palant, sed ipsis in itinere existentibus dominus Joannes de Gimnich miles terre sancte maximus monasterii fautor existens (eo quod sororem abbatis nostri predicti in coniugem haberet), eis a casu inopinato obuiauit et fratres monasterii nostri habens secum comitatum fortiorem et ampliorem de manibus aduersariorum eripuit. Tandem sequenti anno in festo beati Petri apostoli ad vincula abbas cum amicis suis aduersarios contentauit.

Eodem fere tempore curtes nostre in Synteren zum Froenhoff et in hospitali nec non de Viehoff vulgariter appellate cum frugibus et nonnullis pecoribus sunt per incendium (clam dispositum) exuste. De pessimo scelere quidam frater conuentualis Winricus de Slend [1]) nonimatus fuit a pluribus diffamatus. Quam ob rem abbas eundem carceri quantotius mancipauit et post aliquod tempus alium conuentualem Engelbertum de Frens nuncupatum cum notario publico ad incarceratum pro exploranda rei veritate misit. Qui cum diuersimode admonitus fuisset, demum deliberato animo rei veritatem aperuit et audiente Engelberto cum notario se duas scilicet Viehoff et hospitalis ira atque inuidia instigantibus incendisse manifeste confessus est et vt neminem alium de istis duabus curtibus combustis culpabilem tenerent rogauit. De curte autem in Synteren se excusauit nec aliquem culpabilem se agnoscere asseruit. Cum igitur hec ad abbatem relata fuissent, vehementer doluit et crassam cathenam ad pedes eius alligari mandauit. Sic ergo sedit ille nouem annis

1) In der Handschrift steht Slend mit einem Abkürzungszeichen am Ende. Da Slenderhain später als seine väterliche Besitzung angegeben wird, so ist vielleicht dieses Wort hier zu setzen.

in carcere vsque ad obitum domini abbatis Arnoldi Quaedt, numquam carnes comedens aut vinum bibens. Postquam autem dominus abbas obiisset et successor eius Euerhardus de Galen nouiter electus pro confirmatione ad archiepiscopum profectus fuisset Coloniam, amici incarcerati monachi nocte quadam venerunt et armata manu ianuam de halle et penarie cereuisie atque carceris ibidem existentis effregerunt et consanguineum suum cum cathena de carcere ereptum et equo impositum per oppidum Berchem ducentes ad propria dedexurunt. Preterea ipsi amici eius scilicet Winrici de Slend, cum eo tempore essent valde potentes in terra Juliacensi, multa damna monasterio intulerunt et plures domos subditorum successu temporis incenderunt. Denique cum quinquaginta aurei floreni annui redditus essent ei asscripti, ad pacem redierunt. Post hoc idem Winricus longo tempore habitauit in paterna possessione Slenderhain vulgariter dicta prope Ychendorp, vbi est capella s. Catharine virginis et martiris, quam sui progenitores fundarunt. Postquam autem esset reformatio hic introducta, ipse plurimum congaudebat, fouebat et contrarientes nobisque nocere volentes retrahens prohibebat commendans fratres iuxta regulam s. Benedicti abbatis laudabilem ordinatamque vitam ducere. Insuper ipso effectu probauit, quantum affectum ad fratres tunc iuxta regulam diui Benedicti hic viuentes habuerit. Nam quadam vice cum omnes vacce et cetera pecora essent per inimicos ablate, pater noster senior Bartholomeus ab abbate Adam de Herctzenraide ad ipsum missus pro vna vacca, quia fratres lactis edulium minus habere possent, idem Wynricus de XV vaccis meliorem ei a nepte sua dari quam primum iussit. Hic Wynricus demum senio confectus ac debilitatus concupiuit adhuc in monasterio suo mori. Et propter hoc precipue, quia frequentius huc veniens fratres charitatiue adinuicem conuersantes viderat sicque edificatus eorum bonis exemplis et cordialiter eis inclinatus misit nuncium ad abbatem Adam Herctzenroydt deprecans, quatinus omnia, que successu temporis congregauerat, ad monasterium suum tolli iuberet. Quod sic factum est per currus et bigas omnia vtensilia eius ad monasterium nostrum transferendum, siquidem nec ipse prius de loco discedere voluit, nisi omnia vtensilia hic essent translata. Vltimus ipse tandem subsecutus est. Reliquum tempus vite sue in infirmitorio consumpsit, cuius respectus fuit pater noster Bartholomeus. Hinc Winricus maximam contritionem de peccatis suis habuit et culpabilem

se semper proclamare solebat. Et licet sepius admonitus erat, ne faceret, tamen pre vehementia contriti cordis tacere non potuit, sed omnem vite sue seriem aperiens publice multis auscultantibus atque stupentibus generaliter confessus fuit. Qui tandem in felici statu (vt speratur) obiit.

Istius quoque abbatis tempore contigit quoddam mirabile de spiritu cuiusdam hominis Henrici Bosman nuncupati qui quadraginta annis vndecim septimanis minus defunctus fuerat et tunc diuersas apparitiones nepoti suo Arnoldo Busman in pago Meyrych prope Duysburch oppidum faciebat, quod non modicam occupationem doctoribus Coloniensibus prestabat. Queratur de hac re in libello desuper composito latius.

Circa idem tempus maxima mortalitas hominum in his terris extitit, que eisdem insolitum pauorem incussit.

Anno etiam domini millesimo quadringentesimo quadragesimo octauo monasterium Bottenbroch ad extremam paupertatem peruenerat omni eius fabrica fere per malas moniales inutiliter consumpta.[1]) Quare ipse moniales superstites se perdita recuperare desperantes monasterium suum ad manus abbatis Kampensis resignarunt, qui eiectis monialibus aliquos fratres de suo monasterio ibidem ordinauit etc.

Defunctus est hic venerabilis abbas postquam triginta annis prefuisset, scilicet anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo tertio kal. Aprilis, hoc est ipso die Quirini martiris, qui sepultus est ante altare s. Georgii martiris in sepulchro eleuato parieti opposito. Ante idem altare parentes eius scilicet Wilhelmus Quaedt miles et Bela comitissa de Lymburch sub magna petra sepulti iacent.

Hic venerabilis abbas adhuc viuens anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo sub Nicolao papa quinto impetrauit indulgentias a quatuor cardinalibus, a quolibet centum dies his, qui in certis festiuitatibus (prout latius in literis continetur) ecclesiam nostram visitauerint etc.

Epitaphium eiusdem abbatis:

Heic cubat Arnoldus venerabilis istius abbas

1) In der Handschrift: consumptis.

Cenobii, generis gloria honorque sui,
Qui malus[1]) (haud ex re) celebri sed stirpe paterna
Germana vulgo voce vocatus erat.
Non operam siquidem rebus nauauit iniquis,
Cui bonitas cordi semper auita fuit.

## Euerhardus de Galen, vigesimus octauus abbas

(qui vndecim annis prefuit minus septem mensibus).

Euerhardus de Galen thesaurarius vir probus atque honestus deinde vnanimiter electus fuit, de quo Arnoldus Quaedt, venerabilis abbas, adhuc viuens bonum testimonium dederat et vt eligeretur in abbatem huius monasterii post obitum suum multipliciter adhortatus fuerat. Hic voluit fratres suos ad rectam viam regule sanctissimi patris nostri Benedicti reducere, sed minime potuit. Nam tantum infestabatur a diuersis in temporalibus causis, quod spiritualibus minus incumbere potuit. In primis sustinuit duros aduersarios, amicos scilicet predicti Winrici de Slend, qui nouem annos incarceratus fuerat, siquidem preter damna superius enumerata frater eius Theodericus Slend singulariter contra monasterium nostrum deseuit et quasi totum pagum nostrum successu temporis combustione vastauit, multas predationes fecit etc. 'Quapropter venerabilis abbas Euerhardus cum multis inutilibus expensis diuersas dietas seruare coactus fuit, vt ex actis illarum causarum latius patet. Sed idem tandem incurabili morbo lepre tactus condignam penam suscepit, quippe qui aliorum habitationes comburendo contristauerat, ipse quoque pessima lepra exustus proprias possessiones relinquere ab amicis suis eiectus in aliena leprosorum domuncula reliquum vite sue in miserabili egestate agere cogebatur. Habuit etiam alios aduersarios, cum quibus longo tempore lites in iudicio exercuit cum non mediocribus expensis. Nam cum propter huiusmodi lites et iura monasterii defendenda plura exponere cogebatur, ita vt nec debita, quibus diuersis hominibus monasterium obligabatur, persoluere poterat. Quamobrem monasterium nostrum quasi ad decem menses

1) Quadt bedeutet: böſe.

nterdicto fuit subiectum. Hinc igitur necessitate coactus bona monasterii obligare cogebatur et vendere.

Vendidit hic venerabilis abbas cuidam vidue et sue filie moniali d s. Claram in Colonia quindecim florenos aureos superior, quoad iuerent pro centum et quinquaginta florenis eiusdem monete, vt atet sub lit. Q. tertio decimo.

Vendidit monialibus s. Gertrudis in Colonia viginti florenos suerior, perpetui redditus sub conditione redemptionis pro quadringentis orenis eiusdem monete, vt patet sub lit. Q. quarto decimo.

Vendidit Johanni Geyen ciui Coloniensi quinque florenos perpetui edditus sub redemptione pro centum florenis aureis superioribus, vt atet sub. lit. Q. quinto decimo.

Vendidit et multa alia bona vitalicia, quorum summam pater artholomeus assignauit decem milium florenorum.

Infeudauit quendam nomine Adam de Fyschenich de Bel in bonis ostris in curte zo dem Stuytgen, vt patet M. 4.

Fecit quoddam cambium cum vineis et pomerio in Kunda etc., ideatur sub lit. D. quinto.

Comparauit etiam quindecim iurnalia terre arabilis, vt patet sub t. septimo octauo et nono.

## equuntur aliqua, que tempore regiminis istius abbatis contigerunt.

Anno secundo istius abbatis tanta copia niuis cecidit in die s. eorgii martiris, quantum nunquam aliquis eo tempore viuentium iderat.

Anno eiusdem quinto ciuitas Moguntina fuit capta in die s. postolorum Symonis et Jude.

Anno domini MCCCC sexagesimo quarto oppidum, quod Zons algariter nuncupatur, preter duas domos fuit totaliter igne vastaum in ipso medio noctis festi translationis s. Martini episcopi per endam fatuum nomine Gobelinum, qui fuerat multotiens molestas per vnum ciuium oppidi eiusdem. Hic ergo vindicare se volens icuti frequenter dixerat) conceptum mentis primo domum dicti uis incendendo expleuit indeque sequens damnum exordium sumpt. Tunc domus dotis siue pastoris nostri cum multis preciosis

libris scriptis et aliis bonis simul exusta fuit. Hinc ciues dicti oppidi in maxima angustia et tristicia fuerunt, quippe qui omnem fere fabricam quoad vtensilia et comestabilia perdiderunt. Quapropter plures eorum mendicare hincinde cogebantur.

Venerandus abbas Knechstedensis dominus scilicet Henricus Slickem audiens talem ac tantam miseriam ibidem factam misit ciuibus predicti oppidi farinam quatuordecim maldrorum siliginis cum octo porcis etc.

Sequenti anno scilicet MCCCC sexagesimo quinto Adolphus dux Gelrie captiuauit patrem suum Arnoldum ad instigationem matris sue etc.

Anno autem domini MCCCCLXVII iterum propter diuersa debita monasterium nostrum fuit a multis personis excommunicationi subditum, ita vt per sex septimanas diuinus cultus ex toto dimitteretur. Sed tandem bonorum hominum consilio et auxilio ab huiusmodi interdicto releuatum fuit. Nam vt superius dictum est, redditus ex fabrica monasterii partim vitalicia, partim vero perpetuos redditus pro decem milibus florenorum infra nouem annos (quibus prefuerat ante reformationem) vendere cogebatur, vt sic debitoribus satisfacere posset. Sed hic lectorem admonitum esse volo non per istum venerabilem abbatem Euerhardum, sed potius per precessorem suum, qui multa vendiderat et propter diuersa damna restauranda singulis satisfacere nequiuit, predicta debita successiue contracta fuere. Ceterum ista fratres conuentuales perpendere nolentes prodigiosissime reliquam monasterii fabricam absumebant et vitam s. regule beatissimi patris nostri Benedicti omnino contrariam ducebant. De quorum inordinata conuersatione potius estimo penitus tacendum quam singulariter aliquid (quod audientes scandalizet) proferendum. Hinc venerabilis abbas predictus tristis efficitur propter multiplicia damna monasterio suo inflicta, tristior autem, quod tanta bona monasterii necessitate ductus vendidisset, sed tristissimus effectus est super pessima et dissolutissima fratrum suorum conuersatione. Vnde attendens, quod eos nullis adhortationibus ad rectam viuendi normam reducere posset, archiepiscopi Coloniensis Roberti de Bauaria presentiam petiit, cui omnem animi angustiam aperuit. Quia igitur vir bone conscientie erat, ipsa synderisi (sic) stimulante dolenter archiepiscopo exposuit, in quanto honore hoc insigne monasterium aliquando fuerit et ad quantam penuriam ac mi-

seriam tandem peruenerit sicque ei ad memoriam breuibus verbis reduxit, quantam sollicitudinem primi fundatores erga hoc monasterium gesserint. Nam sibi ipsis bona temporalia et largissimas possessiones Christi amore ducti subtraxerunt et abbati atque conuentui fratrum ordinis diui Benedicti in hoc claustro per ipsos fundato degentibus integraliter, quemadmodum prius ad eos spectauerant, liberalissime condonantes vendicarunt. Et hoc profecto ea condicione factum est, quatinus inde sufficienter sustentati ac in singulis largissime prouisi diuinum cultum die noctuque more ordinis alacriter persoluere possent. Tantam siquidem bonorum temporalium copiam hoc monasterium, postquam integre constructum atque in singulis officinis necessario requisitis perfectum fuerat, tam ab ipsis fundatoribus quam a nonnullis aliis optimis fautoribus et benefactoribus pro suarum salute animarum concessam successu temporis acquisierat, vt circa quinquaginta fratres monachi hoc in monasterio competenter sustentari potuissent, sicuti hoc apertissime probari potest per publica instrumenta ipsorum ecclesie Coloniensis episcoporum, quibus dispensarunt et propter varia damna nostro monasterio illata strictissime perhibendo mandarunt, ne vltra quadragesimum numerum monachorum vllus assumeret, quousque pinguior fortuna arrideret et damna recuperata essent.

Illo etenim tempore archiepiscopis Coloniensibus[1]) contra comitem Juliacensem diutius bella gerentibus monasterii nostri edificia omnino preter dormitorium et templum clam combusta fuerunt et pecora frequentius ablata. Insuper monasterium nostrum cogebatur contribuere pro ipsis captiuis archiepiscopi liberandis. Quapropter dicta mandata archiepiscoporum ex industria ad instantiam abbatum illius temporis sollicitata fuerunt, qui in dies per nobilitares pro eorum filiis suscipiendis molestabantur. Sed et successu temporis monasterium nostrum ampliora damna perpessum est, precipue autem et maxime in discordi electione duorum abbatum scilicet Memfredi et Arnoldi Scholl, qui dissentientes vsque in decimum annum in curia Romana pro abbaciali dignitate obtinenda sub summis pontificibus Clemente quinto et Joanne XXII pertinacius contenderunt. Qua quidem dissensione durante monasterium nostrum vltra dimidiam partem bonorum temporalium (iuxta illud euangelium: omne

1) In der Handschrift: archiepiscopus Coloniensis.

regnum in se diuisum desolabitur) miserabiliter amisit. Illam ergo ambitiosam differentiam non immerito vsque hodie deplangere cogimur, eo quod plures pagos circa Mosellam et in terra Gelrensi ac Montensi cum diuersis prediis iam penitus alienatos et in aliorum possessiones cum suis proscriptionibus redactos cognoscimus.

De his quidem plura adhuc scripta apud nos seruantur, sed alii de fructibus eorum letantur, nedum ista eo tempore, verum etiam omnia pecora in nostro allodio Brunwylrensi existentia cum cunctis clenodiis ac ornamentis templi nostri sublata fuerunt, ita vt sequens scilicet Fridericus de Seynheym extrema inopia ductus (concesso sibi indulto apostolico) viginti fratres emitteret ad diuersa monasteria nostri ordinis per Alimaniam pro sustentatione habenda, quousque deperdita successu temporis recuperata ac debita soluta essent. Deinde etiam non minima damna nostro monasterio fuerunt inflicta per ipsos aduocatos nostros, qui se perpetuatos esse temerarie presumebant.

Quibus cum auctoritas rationabiliter ac iuste denegaretur, maxima damna monasterio nostro ac subditis multis vicibus intulerunt. Et cum multe diete siue conuentiones pro concordia adipiscenda seruarentur nec aliquis inde profectus videretur, consulente archiepiscopo Coloniensi Friderico Sarwede non mediocri pecuniarum summa ipsam aduocatiam redimere cogebamur, ad quod tamen (vt priuilegia nostra apertissime tradunt) minime tenebamur. Vni ergo aduocatorum scilicet Philippo de Kentenich mille et quingenti floreni aurei scutati pro parte sua concessi fuere, alteri autem scilicet Carsilio de Palant summarie tria milia florenorum aureorum scutatorum cum quingentis et decem scutatis. Contigerunt eodem tempore et alia damna per incendia et depredationes. Quamobrem tunc monasterium nostrum fuit ab vndecim prebendis supportatum, sicuti sonat mandatum archiepiscopi Frederici de Sarwede, vbi etiam explicatur, quod ante illud tempus triginta sex monachi sustentari consueuerunt. Ex quo elici valet, quod demptis vndecim prebendis nisi viginti quinque permansisse. Postmodum vero archiepiscopus Treuirensis Jacobus Circk occasionem sumpsit aduersos scabinos nostros Clottenenses propter duo aut tria verba, vt asserebat. Quod quam iniustum fuit, ipsa acta latius probant. Attamen cum ei in diuersis dietis seruatis pro iurisdictione nostra ac priuilegiis tuendis obuiaretur, preter cetera damna exposita uerunt octo milia florenorum. Insuper

nonnulli monachi proprium nidum per se suosque consanguineos defedantes plurima incendia fecerunt ac fieri procurauerunt additis et rapinis. Ratione cuius conquestus est, quod ipsemet coactus fuit vendere bona monasterii in vitalitiis et aliis pro decem milibus florenorum, vt sic debita restantia, quibus monasterium aliis diuersis personis fuit obligatum, satisfaceret et destructa siue combusta restaurare posset. Postremo autem, quod omnium pessimum ac lamentabilissimum fuit, subiungens dixit, fratres suos priore dimidio fere anno carentes ista prealligata minime animadvertere, sed timore domini postposito professionis sue immemores potius in viciis quam in virtutibus proficere nec quicquam de obedientia secundum regulam sibi prestanda seruare. Verum de singulis eorum viciis, quantum videlicet deliciis ac voluptatibus carnis actibusque venereis operam dederint, specifice non fuit necessarium explicare, quia eo tempore quam plurimis tam principibus quam ceteris plebei generis hominibus manifestissima erant. Quoniam quidem cum monasterium nostrum propter debita nondum soluta frequentius interdicto subderetur, non eos exterruit sed potius male agendi occasionem administrauit. Nam tunc a diuino officio cantando suspensi, liberius hinc inde ad diuersa loca huius mundi solacia querentes vagabantur. Adeo autem huiusmodi comessationibus ex praua consuetudine fuere intenti et allecti, vt iam plures eorum diuino officio cum iunioribus ceterisque scolaribus interesse penitus flocci penderent, multo certe libentius in tabernis ac locis sibi congruis taxillis ludendo aliisque obscenis operibus vacando reliquam monasterii nostri fabricam admodum tenuem profuse ac improbe absumentes tempus suum die noctuque scandalose expendebant. Quam enim tenues siue pauci tunc fuerint monasterii nostri redditus, computationes et registra illius temporis clarius demonstrant, vbi narrantur multo plura pro debitis soluendis exposita quam fuerint recepta etc. Istiusmodi itaque de statu monasterii nostri per Euerhardum abbatem succinctim recitatis archiepiscopus vehementius obstupuit et auscultata penitus vituperauit. Hinc venerabilis abbas Euerhardus eundem archiepiscopum intimis precibus instantissime efflagitauit, quatinus sua gratia velit sibi consilio esse atque auxilio pro tanta fratrum suorum vesania resistenda. Nam si in tali statu diutius perseuerarent, cunctam nostri monasterii fabricam in breui tempore dilapidarent et totaliter annichilarent. Preterea se promptum obtulit ad resignandum mo-

nasterium causa reformande[1]) discipline et melioris vite hic introducende. His auditis archiepiscopus rursum letior efficitur et libenter eius acquiescens precibus se prope diem nostrum monasterium visitaturum est pollicitus.

Anno igitur domini MCCCC sexagesimo septimo die decima nona mensis Julii summi pontificis apicem Paulo secundo tenente atque Friderico Austrie duce imperium Romanum gubernante, venit reuerendissimus in Christo dominus dominus Robertus de Bauaria archiepiscopus ecclesie Coloniensis ad monasterium nostrum in regulari disciplina reformandum habens in comitatu multos nobiles ac spirituales prelatos. Hinc fratres monasterii nostri per pulsatam campanam capitularem conuocantur, quorum hec sunt nomina: Euerhardus de Galen abbas, Hermannus Hontzeler cellarius, Nicolaus de Seynheym cantor, Engelbertus Vridach pastor in Wedersdorp, Joannes in dem hoyffe, Wylhelmus Buderich, Godeswinus de Palant, Bernardus Hering, Joannes Weyfert pastor in Kyrdorp. Quibus congregatis reuerendissimus archiepiscopus sepedictus causam sui aduentus premittens latius exposuit, que de statu monasterii nostri percepisset, in quanto honore aliquando fuerit et ad quantam miseriam successu temporis peruenisset. Deinde non mediocriter eos in generali, per quorum negligentias contigisset, detestans redarguit. Tandem vero eosdem piis verbis comiter admonuit, vt resipiscentes de necessitate virtutem facerent atque reformationem discipline admittere velint. Primum ergo venerabilis abbas omne ius suum et autoritatem, quam habuit super monasterio, coram notariis ac legisperitis ad manus archiepiscopi libere resignauit tali conditione, vt aliquem expertum atque idoneum[1]) virum constituerent prepositum, qui plenariam in temporalibus ac spiritualibus autoritatem haberet regendi monasterium nostrum, reseruata sibi annua pensione quoad viueret, scilicet seraginta florenorum aureorum in duobus terminis videlicet Remigii ac pasche, trium carratorum vini, decem maldrorum siliginis et totidem tritici, quatuor porcorum etc. Preterea reseruauit sibi vestes, clenodia, pecunias ac medietatem vtensilium domus sue. Reliqui autem fratres habitis deliberationibus simulate reformationem ipsum archiepiscopum contentare volentes assumpserunt. Noue igitur cappe

1) In der Handſchrift: reformandi.
2) In der Handſchrift: idonium.

fiunt, quibus presente archipontifice cantata prius missa de s. spiritu induuntur, sed mox, vt ipse archiepiscopus monasterium fuisset egressus, easdem exuerunt et antiquum habitum rursus assumpserunt exceptis duobus, scilicet Joanne Weyfer pastore in Kyrdorf, qui in habitu reformationis ibidem obiit et omnia bona sua monasterio assignauit et domino Nicolao de Seynheym cantore, qui tamen postmodum habitum proiecit et pristinum resumpsit. Cum ergo ista venerabilis abbas Euerhardus reuerendissimo significasset, idem archiepiscopus quam primum septem fratres disciplina et scientia apprime imbutos ad hoc monasterium cum literis proprio sigillo munitis direxit:

Ropertus dei gratia s. Coloniensis ecclesie electus et confirmatus archiepiscopus sacri imperii Romani princeps elector ac per Ytaliam archicancellarius Westphalie et Angarie dux etc. Venerabili et religioso Euerhardo abbati, priori et conuentui monasterii s. Nicolai episcopi in Brunwylre ordinis s. Benedicti Coloniensis diocesis salutem in domino et nostris firmiter obedire mandatis. Cum nos pridem ex visitatione ordinaria vestrum monasterium comperimus in spiritualibus et temporalibus, quod dolenter referimus, miserabiliter a sua primeua solemni institutione collapsum et destitutum, vnde non immerito animaduersione nostra negligentes plecti deberent, in hoc tamen partim placati, quod fere omnes prompti et resignati estis ad emendandum aut non impediendum, quod idem vestrum monasterium ad pristinam suam laudabilem regularis obseruantie institutionem reducatur, habitis igitur maturis et seriosis deliberationibus nostris cum consiliariis in hunc qui sequitur modum, saluti vestri dicti monasterii decreuimus succurrendum, in primis igitur sicut accepimus ex libera et voluntaria resignatione tui (sic) abbatis ad manus nostras administrationem et regimen in temporalibus et spiritualibus vestri monasterii, ideoque mandamus et committimus vobis omnibus et singulis ad vos recipere charitatiue ad predictum vestrum monasterium septem fratres in ordinis vestri obseruantia institutos, quorum primum videlicet religiosum fratrem Adam cellarium monasterii s. Martini in Colonia ordinamus et preuidimus in prepositum dicti vestri monasterii. Cui plenariam administrationem in spiritualibus et temporalibus committimus videlicet curam animarum et custodiam reliquiarum ipsius monasterii et possessionum ipsi per presentium traditionem literarum assignamus

confidentes in domino monasterium supradictum ex hoc tam in spiritualibus quam in temporalibus votiua suscepturum incrementa. Quocirca mandamus vobis omnibus et singulis, quorum interest vel interesse poterit, quomodolibet in futurum sub excommunicatione singulariter in singulos inferimus in his scriptis, vt infra sex dierum spacium, quorum duos pro primo, duos pro secundo et reliquos duos pro tertio et peremptorio termino assignamus, dum requisiti fuerint aut alter eorum fuerit requisitus, prefatum vestrum Adam in veram et corporalem possessionem predicti monasterii iuriumque et pertinentiarum inducant et defendant inductum eique tamquam vero rectori monasterii pretacti obediant et intendant sibique de fructibus, redditibus, prouentibus et obuentionibus, iuribus et pertinentiis vniuersis ipsius monasterii respondeant, contradictione qualibet semota et ab aliis, quantum in eis est, faciant integraliter et cum effectu responderi. Datum in Tuitio nostro sub sigillo presentibus appenso anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo ipso die s. Alexii.

Intrauerunt igitur dicti septem fratres monachi in regulari obseruantia optime instituti monasterium istud Brunwilrense pro reformanda disciplina regularis vite anno scilicet domini MCCCCLXVII in profesto s. Marie Magdalene, quibus venerabilis abbas s. Martini Coloniensis Adam nuncupatus cum nonnullis aliis archiepiscopi predicti consiliariis et doctoribus Coloniensis ciuitatis ducatum prebuit et huc introduxit. Deinde pulsata campana capitulari officiales secundum ordinationem archiepiscopi constituit, inprimis itaque expertus vir Adam de Hertzenroydt prepositus ordinatus fuit, qui prius cellarius s. Martini Coloniensis nec non pastor in Flittert et confessor monialium ad s. Agatham in Colonia extiterat. Quod quidem monasterium tunc nouiter relicto ordine s. Augustini sacrum ordinem s. Benedicti admittente summo pontifice assumpserat et se abbati monasterii s. Martini Coloniensis commendauerat. Secundus pater Leonardus de Rurimunda, qui prius fuerat frater congregationis in monte s. Jheronimi cenobii Huylsberg nominati prope Hattem, sed quam primum de monasterio s. Martini huc venerat, prior ordinatus fuit, vir vtique eloquens et magne literature extitit. Hic postmodum cellarius constitutus fuit, sed equitando et multis laboribus insudando ruptus est. Quapropter se castrari permisit et non longo post hoc tempore obiit. Tertius quidem honestus pater Euerhardus

de Colonia admodum senio confectus paruo tempore in hoc monasterio degens tandem in pace quieuit. Quartus fuit Wolnerus, qui antequam ad s. Martinum venisset, in monasterio Siburgensi cellarius extiterat. Sed ipse hic cernens tantam penuriam ac miseriam cum licencia ad s. Martinum reuersus est. Quintus fuit pater Petrus de noua ecclesia ex ducatu Gelriensi, qui statim custos ordinatus fuit. Hic ad monasterium monialium in Koninxdorp reformatum per abbatem Adam de Hartzenraidt[1]) (sic) confessor earum constitutus fuit. Sed post hoc reformato monasterio monialium in nouo opere prope oppidum Gladbach ibidem etiam confessor instituitur. Dehinc pastor in Wedersdorp eligitur, sed numquam illi ecclesie presedit, sed in nouo opere permansit et obiit. Sextus fuit Joannes Zanctis, qui in primis cantor ordinatus, post hoc cellarii officium ad aliquod tempus respexit. Deinde autem pastor in Zons electus fuit et ibidem finem vite sue consummauit. Septimus eorum fuit Henricus Vda prope Kempis oriundus, qui multos labores fecit in scribendis libris. Patet ergo ex predictis, quod septem simul venerunt, quorum sex manserunt, quia Wolnerus causa solacii breui tempore hic custos ad monasterium suum s. Martini rediit etc. Ceterum quantis laboribus dicti fratres laborauerint, postquam hoc monasterium ingressi fuissent, non facile estimo dictu. Omnia namque loca foedata atque distorta iacebant et ipsum monasterium nocte diuque patens cunctis introitum prebebat. Quando seculares subditi nostri nuptias celebrabant, in refectorio estiuo ludere atque chorizare ante reformationem solitum fuerat etc. Antiqui autem monachi assignata sibi annua pensione ad loca magis placita recesserunt cum indignatione non minima. Nam frequenter abbati suo fatue fecisse improperabant et exprobabant. Insuper vbique fratribus huc missis de monasterio s. Martini nocere machinabantur. Quadam etenim vice duo eorum scilicet Goswinus Palant et Bernardus Herinck nocte quadam occulte sacristiam effringentes intrauerunt et quinque calices cum duabus ampullis argenteis abstulerunt, quos apud iudeos in Tuitio commorantes pro certa pecuniarum summa suppignorauerunt, sed venerabilis abbas de Herctzenraidt quam primum eos redimi fecit. Dicti quoque monachi plures porcos in terra Montensi glandibus saginatos, cum per oppidum Zons ducerentur,

1) In der Handschrift steht nach Hartzenraidt noch fuit.

monasterio nostro subtraxerunt. Eodem tempore Hermannus Honctzeler, qui olim huius monasterii fuit cellarius, vnum calicem a parentibus datum furtiue abstulit et Colonie cuidam vidue annose suppignorauit pro viginti florenis Renensibus, quem quidem deuotus vir Christianus nomine de Frechen redemit et monasterio reddidit. Subtraxerunt etiam quidam dictorum monachorum pannum sericum satis preciosum, de quo casule et alia ornamenta templi nostri fieri debuissent. Hunc pannum subpignorauerunt cuidam vidue Sophie de Syburch, quem numquam rehabere potuit venerabilis abbas de Hertzenroidt. Subtraxerunt quoque plura alia, vbicumque opportunitatem habere potuerunt.

Secundo anno reformationis monasterii nostri bellum fuit inter Adolphum ducem Gelrie [1]) et Joannem ducem Cliuensem, qui conflictum fecere infra illa duo oppida Stralen et Wachtendunck nuncupata in loco, qui vulgariter dicitur der landtwer, in quo quidem conflictu dux Cliuensis maximam stragem perpessus est et fugam inire coactus. Quapropter ad propria redire recta via nequiens aliam eligere necessitate ductus ad nostrum monasterium tandem diuertit et vna nocte in eodem super coquinam dormiens permansit, habens in comitatu suo vltra XII milia tam equitum quam peditum, qui hoc in nostro monasterio quieuerunt et de bonis monasterii, cum essent maxime fatigati ac sitibundi ex longo itinere, fere omnes panes reperibiles ac omnem ceruisiam scilicet octo amas et nouem amas vini consumpserunt. Equi autem eorum centum maldra auene comederunt exceptis aliis damnis, que in frumentis per eosdem pro equis abscissis facta fuerunt. Eodem tempore scilicet in profesto Petri et Pauli apostolorum fere omnes putei et lacus pro equis ad aquandum euacuati fuerunt. Nonnulli quoque deficiente vino et ceruisia aquam bibere necessitate vrgente compulsi fuere et de eadem quoque aqua carnes coxerunt. Quantum autem de carnibus consumpserunt, pro certo scire non potui etc.

Plures quoque alii satellites preter dicta XII milia se in pagis territorii nostri receperunt, qui quantum consumpserunt incertum est. Preterea cum ad nostrum monasterium diuertissent, mandatum fuerat per dictum ducem Cliuensem, vt in crastino hinc recedentes accensis subditorum habitaculis viros secum abducerent, eo quod

1) Am Rande ſteht: Hoc inscripto carmine factum huius belli notatur: *ecce* luge Cliuis, nam te prostrauit Adolphus (1473).

ıonasterium nostrum per archiepiscopum Ropertum tunc temporis ıci Gelriensi adminiculantem reformatum ac sub eius diocesi situm ıse intellexisset. Hoc mandatum venerabilis abbas Adam Hertzenıidt multum anxiatus per celerem nuntium ducisse Juliacensi pronus indicari sollicitauit. Hec igitur illustrissima ducissa audiens ostro monasterio compassa fuit et celerrime per eundem nuncium ıripsit, ne vnquam hoc presumeret, quia subditos nostros tamquam roprios defendere intendebat. Tali ergo modo tantum malum imeditum fuit.

Circa idem tempus venerabilis abbas dominus Euerhardus de alen, cum frequentius ab antiquis monachis diuersis opprobriis inıstaretur, peregrinationem assumpsit versus partes superiores visiıre cupiens beatam virginem Mariam, que dicitur heremitica. Qui ım vota expleuisset, in reditu ad Argentinam diuertit et ibidem ıfirmitate inopinata preuentus extremum diem in profesto s. Auguıini clausit.

Hic ergo, vt ex precedentibus claret, anno nono regiminis sui ıonasterium ad confirmationem resignauit, post hoc duobus annis uperuiuens anno regiminis suo vndecimo obiit, anno videlicet doıini millesimo quadringentesimo sexagesimo nono etc.

Sepultus est hic venerabilis abbas Argentine in monasterio Carıelitarum etc.

## **Adam de Hertzenraidt**, vigesimus nonus abbas

(qui prefuit tredecim annis).

Adam igitur expleto officio funeris pro domino Euerhardo abate vnanimiter a fratribus hic existentibus ex officio prepositure in bbatem huius monasterii electus fuit. Hic maximus zelator aniıarum semper extitit et primus reformator discipline in hoc loco ecundum statuta ac cerimonialia vnionis Bursfeldensis. Munus beedictionis (confirmatus a domino Stephano duce Bauariensi domini ratiosi archiepiscopi auunculo ac commissario eiusdem) in monaterio s. Martini episcopi Coloniensi et episcopo suffragenio (sic) domino lenrico ordinis predicatorum accepit. Cogebatur autem maximam ecuniarum summam archiepiscopo Coloniensi pro confirmatione sua are et nonnullis officialibus eiusdem similiter, licet hoc factum sit ontra priuilegia nostra ab archiepiscopis Coloniensis ecclesie ac ummis pontificibus concessa. Istas pecunias hinc inde a diuersis

personis collegit venditis vitaliciis aliisque redditibus. Hoc ideo factum fuit, quia quam maxima paupertas hoc in loco extitit licet occulta.

## Sequuntur aliqua digna notatu de statu monasterii tempore reformationis.

Anno etenim domini MCCCC sexagesimo septimo circa festum Margarete virginis, quo idem venerabilis abbas Adam de Hertzenroidt prepositus ordinatus regimen huius cenobii assumpserat, his debitis preaggrauatum inuenit, primo in redditibus annuis ex vitaliciis cessis et non solutis scilicet 2563 flor. superioribus XLIIII alb. LXIIII dn. hall., tritici VII maldr. I sumb. silig. centum et vnum maldr.

Sequuntur que eo tempore monasterium annuatim cogebatur persoluere quoad vitalicia et perpetuos redditus, computandum scilicet 2016 flor. superiores II. flor. Renens. XII alb., tritici XXXV maldr., siliginis LXXXVIII maldr. Eodem anno extenderunt se exposita vltra recepta scilicet VI centum et XLIIII flor. superiores I marc. VI hall., vt manifestant registra.

Ceterum cum singulis debitoribus suis nimia inopia retractus minime satisfacere preualeret, multotiens ab ipsis infestabatur et per dura probra debitorum causa impetebatur, presertim autem quadam vice mercatrix femina ipsum domum suam pertranseuntem tamquam vesana et effrons irreuerenter inuasit altioreque rumoris strepitu cunctis auscultantibus vicinis publice perfidum proclamans atque mendacem in huiuscemodi verba prorupit: O homo mendax et erroris auctor, cur non soluis debita pro pannis, quibus vestri monachi, quos expulistis, nuditatem suam velauerunt. Plures iam menses et dies preterierunt, ante quos mihi satisfacere promisistis et non fecistis. Hoccine sanctitati vestre ascribendum erit? Certe vbique mendacio vos defenditis, nullibi fidem seruatis, sed cunctos mendacio fallitis. Jam igitur condignam vindictam in te exquiram etc.

Tunc pater Bartholomeus Greuenbroich dilectus eius discipulus itineris comes existens nimio rubore atque verecundia perfusus ipsi reuerendissimo patri suo supplicando suggessit, quatinus ex plateis secedens aliquam domum intraret, vt sic paulisper tantam confusionem euadere posset. Vir autem dei constanter hec omnia scuto patientie excipiens fratri suo respondit: O dilectissime frater, vtinam

omnes confratres nostri in presentiarum adessent et vituperia huiusmodi, quibus frequentius infestor, semel audirent. Deinde benignissima voce alloquutus est mulierem: o charissima domina, nostis vtique non per me aut confratres meos die noctuque iam mecum in monasterio nostro cunctipotenti deo deuotius seruientes que allegatis debita contracta fuisse, sed per antiquos monachos irreligiose viuentes, qui nedum apud vos, verum etiam (vt vniuerse ciuitati Coloniensi constat) apud plures alios magna debita fecerunt et ferme totam bonorum temporalium monasterii nostri fabricam, que aliquando amplissima fuit, pessime dilapidarunt. Idcirco si ad rectam rationem redire volueritis, non me tantis convitiis atque contumeliis dehonestando afficere deberetis, sed potius ab illis, quibus merces vestras vendidistis, iuste ac rationabiliter exigere possetis. Si sciretis, quantam penuriam confratres mei (tecta edificiorum pluuia hinc inde penetrante et super lectisternia mensasque distillante) patiuntur, non dubium, quin istis verbis vtique parceretis, sed et nobis maximam compassionem exhiberetis.

Huiuscemodi autem verba viro dei loquente maritus dicte femine ab ecclesia domum rediens, mox vt percepit coniugem suam contra venerandum virum sic furibunde exarsisse, ipsam de tanta temeritate durius redarguit. Deinde ad abbatem sermonem conuertens sic inquit: O reuerende pater abba, parcatis obsecro garrulitati vxoris mee, noui enim vos probum virum atque veracem semper extitisse, quando adhuc cellarius monasterii s. Martini eratis. Quare rogo, ne turbemini, sed, cum facultas vobis data fuerit, exoluite. Hinc tamen venerabilis abbas sepedictus consolatus propria petiuit. Certe hic vir dei sedulo corde illud dictum sapientis reuoluens, quod scilicet generosus est animam hominis magis cupiens ratione duci quam seueritate obrui, maximam in omni regimine suo pretendebat mansuetudinem. Insuper secundum sanctam diui Benedicti regulam multorum seruire moribus sibi precipi non ignorans singulorum infirmitatibus benigne ac discrete condescendebat, ita vt nunc piis collationibus nunc feruentibus admonitionibus nunc vero iustis ac rationabilibus redargutionibus fratres suos ad viam rectam[1]) reduceret. Tali etenim moderatione semper vsus fuit, vt fratres sui causa exigente correpti nequaquam ei succensere potuissent, sed potius rationibus eius

1) In der Handschrift: regiam.

iustissimis consensum prebentes ampliori charitate complecterent eundem. Nam si quempiam fratrum quandoque oblata occasione corripi contigisset, nullam expeditione facta postmodum in corde amaritudinem retinuit, verum ex melliflua charitatis radice ac sola eterne salutis gratia increpationem illam processisse indicio aliquo significauit atque vulneribus congrua pietatis consolationisque malagmata rursus adhibere studuit. Istiusmodi siquidem industria prudentissime fretus cunctos fratres sibi amicabiles fauorabiles ac in singulis dirigibiles beniuolosque effecit. Pari ergo modo apud homines mundanos beniuolentiam captare studuit.

Hic venerabilis abbas zelo religionis feruens commissione accepta ab archiepiscopo Coloniensi Roberto reformauit disciplinam monasterii monialium in Konixdorp anno videlicet domini millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio.

Circa idem tempus quidam domicellus Wilhelmus de Etzbach vocitatus ipso die translationis s. Nicolai patroni nostri inopinate de terra Montensi cum non paucis eiusdem sortis viris bona monasterii ac subditorum hostiliter inuasit atque predam magnam fecit. Nam equos, oues, vaccas, quos habere potuit, surripuit et cum spoliis per pagum, quod (sic) Frechem dicitur, iter faciens ad Thonaburg castrum festinauit. Hiis autem contingentibus quidam prebendarius nostri monasterii, qui vna cum sorore sua[1]) domum suam ex opposito braxatorii nostri sitam cum omnibus bonis suis temporalibus monasterio resignauerat, volens fidelitatem suam demonstrare dictos raptores vociferando insecutus est et propter hoc ab eisdem prope Frechen interemptus statim a nostris subditis reuectus atque cymiterio nostro sepultus est. Causam vero istius depredationis aliam assignare non potui, nisi quod dicti aduersarii ex rancore atque inuidia antiquorum monachorum instigati hec flagitia perpetrarunt.

Post hoc aliud bellum exortum est grauissimum in terra siue diocesi Coloniensi. Venit namque dux Burgundie maximo peditum atque equitum exercitu comitatus et obsedit ciuitatem Nuciensem anno scilicet domini MCCCCLXXIIII sexta feria post festum s. Jacobi et perseueravit fere integrum annum quatuor hebdomadis exceptis. Durante autem isto bello Burgundinenses et Piccardi et Lumbardi per

1) Am Rande ſteht von derſelben Hand: Nomina istorum: Joannes et Bela cognomento Pyngen.

has terras vagabantur cuncta, que obtinere poterant, deuastantes et surripientes, qua propter plurimi eorum fuerunt occisi in diuersis locis. Quadam etiam vice cum pagum nostrum intrare vellent, satellites Colonienses contra eosdem conflictum fecerunt retro pomerium et nonnullos (fratribus de dormitorio procul videntibus) occiderunt etc.

Circa idem tempus venerabilis abbas dolenter ista perpendens tres currus frumento oneratos misit versus oppidum Berchem, sed antequam peruenissent ad oppidum, obuios habuerunt stipendiarios Colonienses, qui famulos nostros cum curribus Coloniam versus tendere coegerunt. Postquam autem ciuitati Coloniensi appropinquarunt, propulsatis famulis nostris protinus frumenta, tres currus et XII equos diuersis personis tamquam bona aduersariorum vendiderunt. Istis a venerabili abbate nostro perceptis confestim ad ciuitatem Coloniensem properauit atque consulibus singula conquestus fuit. Consules quidem inquirendi sua per singula loca totius ciuitatis licentiam generalem dederunt, sed suorum pluribus locis perscrutatis reperire aut rehabere nihil [1]) potuit. Quam ob rem venerabilis abbas tristior effectus ad monasterium rediit et residuum frumentorum omnium super testudinem altaris s. Anthonii abscondi mandauit. Quod consilium fratres arbitrantes quam vtilissimum completorio finito cuncti fratres monachi et donati indusiis tantum induti ac scapularibus cum maxima festinatione ac grauissimo labore dicta frumenta super testudinem illam portauerunt vsque ad matutinas eidem labori continue insistentes. Et hoc ideo factum est, vt laicales homines rem gestam ignorantes aduersariis pandere non possent. Interea Colonienses animaduertentes ducis Burgundie satellites terras eorum raptim hinc inde peruagari, formidarunt plurimum, ne etiam ciuitatem eorum obsiderent. Quamobrem hostium insidiis preuenire volentes, duo monasteria monialium prope ciuitatem sita funditus destruxerunt. Deinde domum leprosorum [2]) solo adequarunt, ne aduersarii ibidem habitacula recipere possent. Quibus expeditis monasterium nostrum simili exterminio inuadere intendebant, sed diuina aspirante gratia et bonis fautoribus interuenientibus malum eorum propositum impeditum fuit. Que cum fuissent per ipsos amicos et fautores abbati nostro intimata, immensas omnipotenti deo super tantorum damnorum euasione egit gratias.

1) nihil fehlt in der Handschr.

2) Zu Melaten, wo jetzt der Kirchhof ist, stand das Leprosenhaus.

Et deinde quam primum omnia vtensilia monasterii in stagno et auricalco [1]) siue cupro cum candelabro maiori in presbiterio sito cum reliquis ecclesie candelabris in vasis vinariis sub terra prope cimiterium [2]) in loco, vbi hupulus solet crescere, abscondi fecit. Similiter nonnullas sanctorum reliquias in loco aliquo honesto et sacrato tegi iussit. Inter quas quidem reliquias digitus s. Nicolai patroni nostri abditus fuit, de quo, vt post effossionem compertum est, oleum efluxit, sicuti luculentius hodie demonstrari potest per panniculum, quo inuolutus fuerat, ipso oleo inquinatum. Supellectilia vero totius monasterii ad oppidum Berchem causa conseruationis vehi mandauit, sed monstrantias reliquiarum cum ornamentis et clenodiis ecclesie nostre ad monasterium nostri ordinis in Werdena (eodem anno reformatum) misit. Stipendiarii interim ducis Burgundie hinc inde cateruatim vagantes singula monasteria et pagos in circuitu frequentabant et perlustrabant atque omnia victualia et pabula pro equis, que reperire poterant, violenter auferebant. Curiosius autem quadam vice singula loca monasterii perscrutantes repererunt preter ceteri vnum vas butiro impletum, de quo partem edentes et reliqua parte sotularia et calceos suos in sole cunctis fratribus videntibus linientes euacuauerunt. Hinc igitur circa festum omnium sanctorum considerans venerabilis abbas monasterium nostrum victualibus exhaustum necessitate coactus non sine magno dolore ac tristicia cordis emisit quatuor fratres scilicet patrem Bartholomeum tunc temporis diaconum [3]) et Conradum de Warburch diaconum ad monasterium nostri ordinis, quod Lisborn vulgariter nuncupatum est, et alios duos scilicet Joannem et Joannem de Zanctis oriundos ad monasterium nostri ordinis in Rinckauia, qui omnes illis in locis a festo s. Martini vsque ad natiuitatem Joannis Baptiste manserunt. Tantam penuriam durante ista obsidione ciues Nucienses sustinuerunt, vt etiam carnibus equinis vesci cogerentur. Reliqua de ista obsidione scire cupientes ad libellum de eadem compositum [4]) remitto. Tandem autem imperator Fridericus Coloniensibus cum maximo exercitu in auxilium venit et connubio facto inter filium suum Maximilianum et filiam

1) Orichalcum (ὀρείχαλκος).

2) In der Handschr.: cimiterio.

3) In der Handschr.: diaconem.

4) Es ist wahrscheinlich die Reimchronik der Stadt Neuß, von Christian Wierstraat. (Herausgegeben 1855 von Dr. E. von Groote.)

Caroli ducis Burgundie dictum bellum dissipatum fuit. Tunc imperator per oppidum Zons iter faciens omnia frumenta, que ex decimis ibidem receperamus, cum suo exercitu consumpsit.

Circa idem tempus quidam secularis sacerdos captus Coloniensibus captus presentatus est, qui ad hoc pecunia conductus fuerat, vt comitissam[1]) de Katzenellenboich inficeret. Quod quidem nepharium factum explere conatus fuit, licet minime prosperatus extiterit. Ipse etenim eidem comitisse, postquam venerabile sacramentum dedisset, vinum veneno mixtum propinare intendebat, sed deo aspirante ipsa venenum super vinum natare notauit et idcirco sumere protinus recusauit. Cum itaque super hac re strictius examinatus fuisset, veritatem non negauit, sed triginta homines simili modo se interfecisse confessus est. Quapropter ante aulam iudicialem per septem episcopos degradatus extra ciuitatem demum igne consumptus est. Finito igitur prefato bello nobilissimus ac strenuus princeps Hermannus lantgrauius Hassie, qui in obsidione Nuciensi satellitibus ipsius ciuitatis constantissime prefuerat, abiecto de sede archipontificatus sui Roberto duce de Bauaria archiepiscopus ecclesie Coloniensis vnanimiter ob fidelitatem suam in dicti belli periculis diuersis monstratam atque probatam electus fuit. Certe hic generosissimus princeps in omnibus se strenue ac laudabiliter agens vna cum Coloniensibus prenominatum Robertum Bauarie ducem etc. vndique persecutus est, quem etiam maiori excommunicatione per summum pontificem astringi sollicitauit propter hoc presertim, quod duci Burgundie sepedicto licentiam dederat inuadendi ciuitatem Nuciensem et ab ipsis ciuibus vindictam petendi commiserat, eo quod ipsum sequi renuerant, quando consanguineo suo duci Gelrie Adolpho contra ducem Cliuensem bellum acturo auxilium laturus erat. De his superius tactum est sub Euerardo abbate, vbi continetur, ducem Cliuensem ad monasterium nostrum diuertisse et ab Adam abbate nostro tunc temporis preposito humaniter cum suorum non mediocri multitudine tractatum fuisse. Postquam igitur modico temporis spacio in excommunicatione fuisset, demum sibi apostolicam autoritatem impetrauit, quatinus post factam suorum criminum confessionem vni sua diocesis prelato absolutionem percipere posset. Hinc ocius ad nostrum abbatem prefatum nuncium destinauit postulans, vt quam primum ad eum in castro,

1) In der Handſchr.: commitissam; ſo auch ſpäter.

quod[1]) Linn dicitur commorantem venire festinet atque vt mandato apostolico in absolutione impendenda pareat, multis precibus efflagitauit. His auditis venerabilis abbas angustiis vndique premitur, quas dilectis fratribus suis suspirans manifestauit et vt omnipotens deus humilium mentium consolator quod melius esset ordinaret obnixius exorari petiit. Perpendebat etenim, quod si votis archiepiscopi acquiesceret, indignationem maximam generosi lantgrauii Hermanni ac totius cleri Coloniensis se incursurum et econtra si dimitteret, ob contemptum apostolici mandati se ineuitabiliter fore puniendum.

Tandem vero sincere intentionis fiducia fretus, licet humano timore plurimum ambiguus atque perplexus apostolico mandato parere preeligens audita prius confessione archiepiscopum Robertum a vinculis excommunicationis et ab omnibus peccatis suis absoluit. Quod cum ad aures generosi principis lantgrauii domini Hermanni atque cleri Coloniensis perlatum fuisset, vehementissima indignatione contra abbatem nostrum ac ipsum monasterium exarserunt. Hinc ergo dictum abbatem hinc inde latentem diligentissime captiuare querebant, monasterio autem nostro damna inferre comminando asserebant. Sed interea secundariam excommunicationem sepefato archiepiscopo Roberto imponi procurauerunt, quem circumquaque bello impetentes tandem captum carcerali custodie manciparunt, in qua breui temporis peracto spacio excommunicatus moritur et in Bonna extra ciuitatem[2]) sepelitur. Demum vero impetrata per amicos suos absolutione rursus effoditur ac in ecclesia s. Cassii martiris iuxta altare beate Barbare sepulture traditur. Post cuius obitum interuenientibus bonis monasterii nostri fautoribus reconsiliatio inter generosum principem Hermannum tunc nouiter in archiepiscopum Coloniensem electum et sepedictum abbatem nostrum composita fuit.

Impetrauit quoque dictus venerabilis abbas ab honorabili Roperto adhuc archiepiscopatus dignitatem tenente, vt duobus annis possemus ducem Juliacensem pro aduocato assumere et licet hoc ex certa cautela factum fuerit, ne scilicet monasterium nostrum ex parte Coloniensium contra Burgundiones bella tunc agentium damna incurreret,

---

1) Die Wörter Linn dicitur fehlen in der Handschrift; in der spätern Handschrift steht: ad eum in castro Linn commorantem etc.

2) In der spätern Handschr.: extra coemeterium.

attamen postmodum cum maxima difficultate separatio facta fuit, vt patet sub littera D vigesimo primo.

Paucis annis post hoc euolutis marscalcus diocesis Coloniensis Petrus comes de Ryferscheydt[1]) multis satellitibus stipatus territorium nostrum hostiliter inuasit et omnia pecora nostra ac subditorum, que rapere potuit, secum abstulit ad castrum suum (quod der dicke vulgariter nuncupatur) confestim deducens. Animaduertens itaque venerabilis abbas monasterium nostrum ac subditos cunctis ouibus, vaccis atque porcis expoliatum non mediocri tristicia concutitur presertim ea de causa, quod nec aliquam illi occasionem tanti sceleris dedisse sibi conscius fuit. Sequenti igitur die, hoc est ipso festo vndecim milium virginum, misit duos fratres conuentuales scilicet Henricum Vde et Bartholomeum de Greuenbroych ad interrogandum dictum comitem, quam ob causam hoc facinus perpetrasset. Qui ex obedientia ad rem satis difficilem se cogi videntes inprimis quidem cuti sue formidabant, attamen in virtute sancte obedientie inuocato dei nomine commissionem sibi factam fideliter expleuerunt et causam tanti sacrilegii illuc venientes diligentius explorarunt; sed ad interrogata responsum accipere non potuerunt, verum potius friuolis ac temerariis verbis exprobrati fuerunt. Huiuscemodi enim verba eis dabantur: cuius vos autoritatis estis, o monachi, qui filii nobilium non estis, sed potius rustici, pellifices, sutores ceterisque mechanicis artibus apti, qui filios nobilium de monasterio vestro expulistis et de prebendis eorum vos viuitis? Ceterum post multa alia criminosa verba videntibus illis pecora nostra mactauerunt dicentes: certe pecoribus vestris nec pedem nec caudam siue aurem recipietis, sed si placet, offam nobiscum de eisdem manducetis, hoc siquidem vobis minime denegabitur. Animaduertentes itaque dicti fratres sic se illudi, arbitrati sunt prefatas rapinas nonnisi per instigationem aliquorum antiquorum monachorum fuisse factas, sicuti ipsorum verba sacrilegorum sonare videbantur; nullam etenim causam contra monasterium nostrum allegari audire poterant.

Hinc quantotius de castro discedentes cum magno merore per tempestuosissimam auram ad proximum monasterium s. Nicolai Dryeff vulgariter nuncupatum, quod a fratribus tertie regule diui confessoris Francisci incolitur[2]), diuerterunt. Qui equidem fratres omnia

1) Am Rande ſteht: comes de Riferscheit inuasit territorium nostrum hostiliter.

2) In der Handſchr.: incolatur.

humanitatis obsequia eis certatim impendere curarunt. Respicientes namque ipsos penitus pluuia perfusos viribus exhaustos atque mente consternatos omnimodam compassionem eisdem ostenderunt. Vnus siquidem calceos exuere annitebatur, alius caligas, alius tunicam, alii vero magnum ignem struebant ac vestimenta exiccabant, insuper nonnisi verba consolationis plena proferebant. Dum autem sequenti die ad monasterium nostrum vacui reuersi fuissent et audita annunciassent venerabilis abbas omni virtute patientie animauit rursusque ad accomodandum hinc inde pecora a bonis fautoribus emisit. Qua quidem vice Wynricus de Slend(erhan) optimam vaccam dedit, vt superius tactum est, similiter quam plures alii boni fautores. Verum dicto comiti nunquam bene successit in hac vita. Nam adeo multa aduersa eidem omnipotens deus euenire permisit, vt hoc idem de se ipso fateretur. Cum enim ad monasterium nostrum veniret et a fratribus dictum scelus pie proponeretur eidem, respondit gemens: vere fateor, dilectissimi domini, postquam s. Nicolao dicta damna intuli, nunquam prosperum successum habui etc.

Circa idem tempus quidam ciues Colonienses carnifices [1]) pro ouibus pinguibus comparandis in terram Juliacensem profecti fuerant, qui reuertentes per medium bladorum triticorum videntibus colonis nostris ad Fremersdorp vespertino tempore declinabant, propter quod ipsi coloni nostri plurimum indignati eosdem ad pagum nostrum secum ire compulerunt et pro damno illato arrestari fecerunt. Sed post hoc i(i)dem ciues cum dimissi fuissent, incendium in nostro pago Brunwilrensi fecerunt, propter quod cum accusati apud consulatum Coloniensem fuissent atque duo eorum captiuati tandem facto iudicio extra Coloniam in cymiterio dominorum [2]) nuncupato decollantur et vnus eorum Rolandus appellatus ibidem sepelitur, alter autem Martinus nomine per intercessionem amicorum in cimiterio leprosorum [3]) sepulturam obtinuit.

Huiusmodi igitur venerabilis abbas occasione motus destrui iussit pristinas antiquorum monachorum habitationes, vt ipsarum habitationum lignis incolis nostris atque aliis indigentibus subuenire possit.

Destructum itaque fuit: habitatio prioris cum stabulo apto pro

1) In der spätern Handschr.: laniones.

2) Auf dem sogenannten Junkernkirchhofe vor dem Weiherthore.

3) Zu Melaten, wo das Leprosenhaus bestand.

tribus equis, item habitatio pulcherrima retro infirmariam, qui locus iam dicitur ceresetum, item stabulum pro quatuor equis ad custodem monasterii aliquando pertinens. Item domus etiam cellarii cum stabulo pro quatuor equis cum suis necessariis in loco, vbi hupulus crescit. Necnon multe alie inutiles habitationes circa idem tempus destructe fuerunt etc.

Breui temporis spacio post hoc elapso domicellus quidam Schiuert appellatus (cuius pater aliquando monasterii nostri extiterat aduocatus) huic loco antiquorum monachorum persuasionibus inflammatus multa mala infligere minabatur. Quem dominus abbas generose preueniens duobus plaustris vini, sexaginta maldris auene et XXIIII florenis aureis placauit.

Deinde alius quidam dictus Wilhelmus de Brakel nulla habita occasione siue auisamento facto tres equos abstulit cum complicibus suis ex stabulo cuiusdam curtarii nostri in Fremersdorp. Quem mox subditi nostri insequentes comprehenderunt atque carceri manciparunt, qui tandem propter preces amicorum emisso prius voto se non vlciscendi aut amplius huic loco nocendi libere dimissus est.

Post hunc alius quidam domicellus illegittimus (sic), filius de prosapia Egmundensi originem ducens, qui prefectus eo tempore erat in Bell, morabatur autem in Hulkenraidt territorium nostrum hostiliter inuasit et paruum Koninxdorp [1]) exussit nec non subditos nostros captiuauit et notabiliter in corporibus suis lesit. Hic demum acceptis centum et quinquaginta florenis placatus extitit atque captiuos dimisit.

Quam plurimis quoque aliis tribulationibus per instigationem antiquorum monachorum infestabatur hic venerabilis abbas, quas nimis longum esset conscribere. Ipse autem singulas patientissime perferebat, in singulis deo omnipotenti gratias agebat fratribusque in his exemplum patientie in aduersis prebebat. Hic venerabilis abbas nullatenus potuit vllis aduersitatibus a bono proposito auelli, sed potius omnipotenti deo opera sua secundante in dies sibi substantia terrena augmentabatur. Vnde ad bonum vsum cupiens illam expendere plures cellas fecit construi super testudinem ambitus versus occidentem eo intuitu, vt plures fratres posset colligere. Hoc opus quidem inchoari iussit, sed nunquam consummatum vidit. Nam anno domini MCCCCLXXXIII ipse cum venerabili patre domino

1) Klein-Königsdorf.

Adam abbate s. Martini in Colonia profectus fuit ad partes inferiores scilicet Frisie atque Hollandie causa visitationis monasteriorum diui Benedicti ibidem existentium. Qui profecto magnum fructum ibidem fecerunt, quoniam multa eiusdem diui Benedicti ordinis monasteria tam monialium quam monachorum reformationem acceptarunt vel saltem ad meliorem statum post illam visitationem redierunt. Ceterum in reditu cepit viribus corporis destitui, quapropter ad monasterium monialium, quod nouum opus [1]) nuncupatur, diuertit et ibidem inualescente infirmitate in profesto s. Jacobi apostoli, postquam tredecim annis laudabiliter prefuisset, moritur. Quantam tristitiam singuli fratres de obitu tanti patris conceperunt, non facile estimo dictu. Hinc celerius quinque fratres conuentuales diriguntur curru ad afferendum funus, quod honorifice sepultum est in ecclesia nostra ante altare s. crucis, super cuius sepulchrum in ere lapidi affixo eius imago sculpta habetur.

Epitaphium eiusdem domini Ade de Hertzenraidt monasterii huius abbatis primique reformatoris, quod quidem frater conuentualis Nicolaus dictus de Karpena oriundus composuit in laudem dicti venerandi patris:

Si qua pii te cura patris, Brunwilre, teneret,
Insolabiliter nunc lachrimans gemeres;
Ecce tuas remo puppes, qui ducere thephis [2]) (?)
Doctus eras, ceno nunc silet in gelido;
Haud vnquam poteris, quos pertulit ipse labores,
Equare hiis lachrimis, que pietate fluunt.
Hunc Adam terris Hertzenraidt villula fudit,
Abbas, qui viuens celluit vsque catus.
Pristinus hic feruor titubarat relligionis
Et cecidit cultus, qui fuit ante dei.
Tunc lesum hic heros Christi miseratus honorem
Supposuit primus non trepidans humeros
Splendida [3]) constituit viciorum stercore pulso
Atria virtutum, lilia clara serens.

---

1) Neuwerk bei M.-Gladbach.
2) In der spätern Handschr.: typhis.
3) In der Handschrift: slendida.

Indoluere mali tumefacta bile calentes,
Vtile si possent rumpere propositum,
Crebris namque patrem insidiis pressere maligni
Spemque metumque inter viueret vt medius,
Sed tamen inuidia iustum qui carpere norunt,
Hunc in amore virum post coluere pio.
Tristia si possent virtutes pellere fata,
Omine felici mors frigeret stabilem,
Sed rapidum properans et ineluctabile fatum
Gressibus innocuis occubuit laqueos
Virginis intacte post partum hoc (1483) rite peracto
Annorum numero: mors tulit atra patrem
Jamque nouenas Augusti leo sorte kalendas
Soluerat, hic heros cum peteret superos:
Ah[1]) pastor valeas patulisque in vallibus Hemi
Consistas, spretis nunc Acherontis aquis.

## Adam II de Moynchraidt trigesimus abbas

(qui tredecim annis et quinque mensibus prefuit).

Post defunctum Adam illius nominis primum istiusque cenobii primum reformatorem mox conuentus emissis ad absentes super noua electione ad comparendum literis nec non abbate s. Lutgeri episcopi in Werdena Theoderico appellato, Vdalrico Kneyt sigillifero archiepiscopi Coloniensis sacre theologie eximio professore, Cornelio de Vreda ad s. Martinum minorem in Colonia pastore ac in sacra theologia doctore, Joanne Vankel vtriusque iuris famatissimo doctore atque spectabilissimo legum professore Nicolao eo tempore domum nostram super antiquum ciuitatis murum sitam incolente conuocatis super nouo abbate eligendo more cerimoniarum die aliqua certe prefixa conuentus fratrum adunatus fuit. Deinde fratres per viam simplicis compromissi procedentes commiserunt singillatim voces suas quinque compromissariis, vt ex se aut aliis conuentualibus idoneum pastorem huic monasterio eligerent. Hii igitur maturius deliberantes elegerunt patrem monialium monasterii sanctorum Machabeorum in Colonia Adam de Moinchradt appellatum, qui antequam ad hunc

1) In der Handschr.: ath.

locum venerat, professus monachus et pastor ecclesie parochialis monasterii s. Wilhelmi confessoris in Greuenbroich septem annis extiterat. Et cum percepisset hoc in loco regularis discipline reformationem introductam, obnixis precibus abbati Ade de Hertzenraydt supplicans pro loco tandem hic suscipi meruit, cui postquam professus fuisset officium cellarii ad tempus commissum fuit. Deinde monialibus monasterii sanctorum Machabeorum preficitur et demum (vt dictum est) ad abbacialem dignitatem huius monasterii electus fuit. Sed interea dum hec agerentur, antiqui quoque monachi conuenerunt in oppido Vdirchen[1]) vulgariter appellato et quendam cardinalem montis ferrati N. coram notario et testibus pro abbate huius monasterii elegerunt, sed interuenientibus consiliariis ac huius loci amicis electio illa annichilata fuit. Nam cum eisdem triginta aurei floreni annuatim addicerentur tribuendi, ab electionis processu cessantes contenti fuerunt. Hinc archiepiscopus Coloniensis Hermannus precibus omnium fratrum rogatus abbatem electum Adam illius nominis secundum per reuerendum dominum Joannem de Lyns vtriusque iuris doctorem et ecclesie s. Seuerini episcopi Coloniensis prepositum atque Vdalricum Knytwis sigilliferum autoritate sua eisdem concessa confirmari iussit, licet postea maximam pecuniarum summam pro illo beneficio exegerit contra prinilegia nostro monasterio a summis pontificibus romane ecclesie et archiepiscopis Coloniensibus largiter prestita. Similiter familiares sui non mediocrem summam eadem vice receperunt.

Hic itaque confirmatus[2]) studuit pro posse suo monasterio in necessariis subuenire. Ipse fecit fieri tabulas in altaribus scilicet Martini episcopi, Georgii martiris, Viti martiris et ymaginem s. Nicolai confessoris principalis patroni nostri in summo altari positam, caput argenteum sancte Florentiane reliquias continens et brachium argenteum s. Gereonis martiris reliquias continens et construi fecit magnam illam domum pro braxatura et pistura anno scilicet domini 1491 nec non puteum circa eandem domum positum. Receperat namque circa idem tempus magnam pecuniarum summam de frugibus venditis pro maximo precio, quia tunc quam maxima caritas in his terris regnauerat.

Impetrauit etiam indulgentias a tredecim cardinalibus scilicet a

1) Wohl Uerdingen, wie die ſpätere Handſchrift hat.
2) Die Handſchrift hat: confimatus.

quolibet eorum centum in certis festiuitatibus, prout bulla latius canit, anno scilicet domini 1487 sub Innocentio papa octauo.

Depingi fecit ambitum floribus et armis Christi. Procurauit etiam a bonis fautoribus vitreas fenestras in refectorio estiuo.

Circa idem tempus quidam famatissimus doctor Nicasius appellatus Colonie claruit, qui omnes homines in stuporem vertit eo, quod cum cecus fuisset a tertio etatis sue anno primum quidem Louanie scolas frequentando et diligentissime auscultando adeo profecit, vt magisterii gradum obtineret. Deinde postquam scolas ibidem ad aliquod tempus rexisset et interea etiam sacram theologiam legi audiret, adeo profecit, vt licentiatus sacre theologie efficeretur. Hic etiam sacerdotii dignitatem ex dispensatione summi pontificis obtinuit, confessiones audiuit et ministrans officium diaconatus expleuit, euangelium memoriter recitauit et publice predicauit, nunquam autem celebrauit. Habuit idem in monasterio nostro consanguineum scilicet filium fratris sui Joannem nomine, quam ob causam huc venire solitus erat et verbum dei publice in templo nostro predicabat. Hic quoque Colonie existens adeo auscultando iura profecit, vt tandem omnium doctorum consensu doctor vtriusque iuris ordinaretur. Edidit plures libros et sermones etc., demum moritur Colonie anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo septimo kalend. Septembr., sepultus ad s. Columbam.

Sequenti anno in Bruyll constructum est monasterium fratrum minorum de obseruantia per expensas gratiosissimi archiepiscopi Coloniensis domini Hermanni. Dominus noster Adam secundus plurimum petitus fuit pro reliquiis sanctorum altaribus dicti monasterii ecclesie imponendis. Collegit igitur diuersorum sanctorum particulas cum nominibus suis appositis et in honesta capsula easdem recludens consentiente conuentu secum ad castrum Bruyll detulit. Quas vt gratiosissimus adesse conspexisset, maxima hilaritate perfunditur et humo prostratus cum magna reuerentia et deuotione easdem osculando suscepit. Hinc sequenti die scilicet in festiuitate conceptionis beate Marie virginis sepedictus reuerendissimus archiepiscopus Hermannus summum altare consecrauit in honore s. Trinitatis, beate Marie virginis, precipue autem s. Elizabet vidue [1]) filie regis Vngarie (eo quod ipse de eius prosapia oriundus esset) et s. Alexii confes-

1) In der Handschr.: vidre.

soris Christi. Huic consecrationi dictus abbas noster interfuit et capellani officium expleuit.

Istius abbatis tempore duo Ethiopes viri religiosi ordinis predicatorum ex India venientes causa visitandi tres reges ad nostrum monasterium diuerterunt, qui multa pro edificatione fratrum loquentes inter cetera asseruerunt firmiter, in cenobio suo vltra tria milia virorum religiosorum omnipotenti deo seruientium esse. Vnus eorum iter nudis pedibus fecerat causa deuotionis.

Post hoc anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo monasterium Egmundense per venerabiles abbates scilicet Adam de s. Martino et Anthonium Werdenensem (qui sex fratres illuc misit) reformatum est.

Circa idem tempus maxima tempestas in Reno fuit, que suffraganeum archiepiscopi Coloniensis Hermanni quarti ad terram Montensem transnauigantem cum sua familia et nonuullis aliis submersit.

Anno etiam domini MCCCCXCVI die sabbato ante festum s. Jacobi apostoli alia quam maxima tempestas fulminum et tonitruum exorta fuit, que preter diuersa damna turrim s. Quirini martiris in Nuscia cum sex campanis combussit.

Et eadem vice pater Bartholomeus sepedictus sanctorum reliquias monasterii monialium prope Regisuillam super mensam circa viam regiam decenter positas peregrinis Aquisgranum petentibus ostendebat, quas quidem omnes dicta tempestas sua immanitate de mensa ad terram deiecit et vnam cruciculam de vna monstrantia quasi in fauillam redegit.

Hic predictus abbas quendam fratrem de monasterio Spanhemensi venientem Michaelem nomine pro hospite collegit, qui subdolosa simulatione adeo studuit dicto abbati applaudere et placere, vt tandem in membrum monasterii suscipi mereretur. Veniens igitur abbas ad capitulum cum baculo pastorali minitans actioni sue contradicentibus penam excommunicationis ipsum contra consensum conuentus prius premissa fidelitate gregi nostri monasterii annumerari voluit. Qui cum breui tempore nobiscum conuersaretur et dominus abbas se eidem pre ceteris fratribus familiariorem in frequentibus allocutionibus et secretis consiliis reddere notaretur, fere totus conuentus tam contra ipsum abbatem quam etiam contra ipsum predictum fratrem non minimam displicentiam concipiebat, presertim quod ille alienus et ignotus immo contra communem conuentus consensum assumptus

ceteris fratribus hic vestitis et enutritis preponeretur. Et licet aliquando super hac re querimonie ipsi abbati fierent, nichilominus voluptate sua tractus spretis fratrum auisamentis quod libuit hoc fecit. Inde autem dictus frater non mediocriter animo exultabat, quod sic abbatem dolosis verbis sibi inclinare potuisset. Attamen cum animaduerteret, conuentum contra eum et ipsum abbatem occultam gerere displicentiam timuit, ne si[1]) abbatem deponi aut mori contingeret, ipse quoque repudium sustineret. Quapropter suum maliuolum (sic) amplius contegere nequiuit animum, sed diu conceptam peperit iniquitatem. Nam multis diebus laborans videntibus fratribus intentionem tamen eius ignorantibus preparauit sibi claues et instrumenta, quibus seras[2]) aperire posset et cistulas, quibus furanda reponeret. Demum abbate moram in curia archiepiscopi Hermanni quarti trahente in festo natiuitatis Christi ipse tunc opportunum[3]) estimans tempus eadem sacratissima nocte effregit et inuasit cellam abbatis surripiens ibidem omnem pecuniam in auro et argento et omnia vasa argentea pro hospitibus tractandis nouiter comparata, immo ipsum sigillum abbatis argenteum et nonnulla alia clenodia et pulchra rosaria, que ipse abbas fratribus suis antea abstulerat, sed (vt solitus erat) nequiciam suam atque sacrilegum opus maxima simulatione obumbrans eadem nocte matutinas visitauit et sub prima missa patri Bartholomeo seniori nostro confessus fuit, insuper benedictionem ingredientis ministri mense accepit. Postquam autem fratres se iterum reposuisse considerasset, rebus prefatis secum assumptis cum laterna domini abbatis aufugiens opus sacrilegum consummauit. Cum autem in die non compareret ad ministrandum, fratres ipsum propter aliquod secretum peccatum fugam petisse auspicabantur, sed cum dominus abbas circa festum circumcisionis de curia reuersus fuisset et prefata sibi de cella ablata perspiceret, dolenter cunctis fratribus sacrilegum facinus patefecit et quem antea inordinate et male dilexerat ac commendauerat, iam coactus odio habere cepit et iustis vituperiis detestatus fuit. Hinc plures nuncii ad ipsum requirendum missi fuerunt, qui licet in locis aliquibus ipsum fuisse audierint, attamen minime reperire potuerunt. Quam ob rem conuentus fratrum contra

1) In der Handschr.: sibi.
2) In der Handschr.: ceras.
3) In der Handschr.: oportunum.

dominum abbatem maiorem displicentiam accipiens digne ipsum remuneratum asseruit.

Idem quoque abbas cuidam domicello Theoderico van Dryss nuncupato in terra Montensi habitanti restituit curtem illam in Wedersdorp sitam Velthoens hoff vulgariter appellatam pro certa pecuniarum summa scilicet sexcentis florenis. Nam quondam dominus abbas huius loci Arnoldus Quaedt totidem pecunias pro eadem curte exposuerat cuidam ciui Coloniensi Hermanno van der Hallen cognominato, qui eam emerat a coniuge relicta dicta Velthoens militis tali conditione, vt eodem pecuniarum numero per aliquem de propinquioribus sibi sanguine iunctis redimi posset. Venit igitur post defunctam dicti nobilitaris Velthoens coniugem prefatus domicellus Theodericus de Dryss presumens se propinquiorem consanguineum (licet non erat) et curtem predictam tamquam verus heres ab abbate nostro exetig dicens feminam illam scilicet domicelli Velthoens vxorem non habuisse tantam autoritatem, vt eam vendere potuisset. Sed cum super hac re conuictus fuisset, illam curtem preallegata pecuniarum summa redimere concupiuit et dominus abbas eidem tali modo, vt pretactum est, libens concessit.

Hic quoque venerabilis abbas cum vno donatorum fratrum conflictum habens in capella s. Benedicti abbatis adeo valide in aciem eius pugno percussit, vt de naso sanguis emanaret. Quam ob causam nullus fratrum in eadem capella celebrare audebat, nisi prius reconsiliata fuisset. Hinc igitur venerabilis dominus Joannes episcopus Cyrenensis archiepiscopi Coloniensis suffraganeus ad hunc locum inuitatur, qui dictam capellam reconsilians vnicuique eam visitanti in festis scilicet patronorum suorum Christoferi martiris et Benedicti abbatis nec non in die dedicationis sue, que est in octaua pasche, XL dies indulgentiarum concessit.

Istius abbatis tempore quidam Theodericus Woyst propter suam inordinatiam conversationem [1]) homicidium in pago nostro perpetrauit et mox ad cymiterium laicorum fugit, quem scultetus monasterii nostri inde cum violentia abstulit et tandem decollatum super rotam per iudicium scabinorum iuxta patibulum poni fecit. Et quia emunitas violata fuerat, ecclesia nostra et etiam capella longo tempore scilicet a festo s. Galli abbatis vsque ad festum s. Thome apostoli

1) In der Handschr.: inordinationem conuersartionem.

subdebatur interdicto, licet in pluribus festiuitatibus interea occurrentibus pie dispensabatur.

Hic etiam venerabilis abbas plenariam incorporationem ecclesie in Wedersdorp post multas lites et damna a summo pontifice Alexandro sexto impetrauit, licet multo minori dispendio hoc idem facere potuisset, si fratrum suorum consilio acquieuisset. Ceterum vt paucis multa concludam, sciendum, quod hic venerabilis abbas competenter cum secularibus hominibus (eorum acquiescens consiliis et desideriis potius quam totius conuentus) competenter concordare potuit, cum fratribus autem nostri monasterii minime. Nam sex aut septem annis quasi continuas contentiones habuit et propter minus discretas inuectiones et redargutiones et penitentias iniunctas eos contra se concitauit. Insuper nedum apud honestos seculares, verum etiam apud ipsum dominum gratiosissimum archiepiscopum Hermannum de culpis et excessibus ipsos accusauit. Et contra ipsi fratres huiusmodi percipientes abbatem suum minime laudare potuerunt, sed potius ipsum vilipendentes ampliori odio habuerunt. Sicque factum est. vt plures tam seculares quam religiosi turbationem hanc inter conuentum et abbatem exortam percipientes scandalizarentur. Hinc frequentius visitatores abbates ad hoc monasterium pro concordia facienda conuocati fuerunt, qui licet pluribus diebus hic permansissent, attamen nihil proficere potuerunt. Quadam autem vice quatuor abbates cum priore Carthusiensium in Colonia simul ad visitandos fratres huius monasterii huc venerunt et quatuordecim diebus hic moram traxerunt. Que et quanta interea abbas contra conuentum et conuentus contra abbatem ipsis visitatoribus proposuerunt ex paucis multa opinantibus relinquens, propter plura scandala vitanda conscribere omisi. Adeo autem dicti abbates, postquam auscultata examinassent. scandalizati fuerunt, vt pre nimio stupore se quidem multa monasteria visitasse, nunquam vero similia percepisse protestarentur. Sciendum quoque ista durante dissensione plures officiales de suis officiis depositos et nonnullos fratres ad alia monasteria transmissos fuisse. Sed cum adhuc post multas factas visitationes et[1]) officiorum mutationes dissensio inter abbatem et conuentum extirpari non potuisset, ipse abbas iam senio confectus et huiusmodi turbationibus nimium attediatus cum se nihil proficere animaduerteret,

1) In der Handschr.: ex.

dignitatem abbacialem resignare omnimodo quo secretius potuit sollicitauit.

Anno igitur domini MCCCCLXXXXVI procuratores institui fecit in curia romana per duos legis peritos et dominum Wilhelmum abbatem Luctzenburgensem tali conditione, vt qui autoritate apostolica sibi resignanti successor in dignitate abbaciali huius monasterii ordinaretur, annuam pensionem scilicet ducentorum aureorum cum honesta habitatione et capellano assignaret. Wilhelmus itaque abbas Lutzenburgensis, qui ipsemet ad hanc dignitatem obtinendam quam maxime aspirabat, omnia se fideliter peracturum promittebat et preterea officium archiprothonotariatus ei procurare a summo pontifice addicebat. Hinc ergo ipsum abbatem nostrum, ne procuratores predictos reuocare posset, dextra manu super pectus posita iurare iussit. Qui etiam preceps et inconsultus statim iussa perfecit. Sed quia istud iuramentum conuentu penitus ignorante et in preiudicium patrum, abbatum vnionis et ipsius ordinarii ecclesie Coloniensis factum erat, inualidum fuit. Quoniam tametsi hoc factum fratribus suis absconderetur, attamen per nonnullos monasterii nostri fautores ad noticiam domini Gerlaci abbatis Tuitiensis deductum fuit, qui ipsum abbatem nostrum in maiori ecclesia Coloniensi existentem super hac re diligentius interrogauit et postquam ipsum fateri audisset, silere pre nimio timore non potuit, sed protinus venerabili viro domino abbati [1]) s. Martini indicauit. Qui etiam non mediocri stupore perplexus abbatem s. Panthaleonis aduocari fecit et simul ad archiepiscopum Coloniensem Hermannum properantes rem gestam cum non mediocri cordis mesticia annunciarunt. Hinc ipse archiepiscopus maxime exacerbatus factum omnino vituperauit et maturo habito cum eisdem abbatibus consilio ipsos ad monasterium nostrum cum suis consiliariis scilicet reuerendo domino Henrico Steynwich officiali et Vdalrico sigillifero et Adam Kalbecker doctoribus pro reuocatione et dissipatione illius insipientis facti destinauit. Aduenientibus itaque venerandis patribus cum predictis consiliariis non parua familia stipatis cuncti fratres causam aduentus eorum ignorantes vehementer admirati fuere. Sed tandem negocium ambulans in tenebris panditur, cum a prefatis reuerendis viris et patribus ei, vtrumne officium dignitatis abbacialis (vt apud archiepiscopum Coloniensem relatum est) resignauerit

1) In der Handschr.: abbate.

proponitur. Qui mox se deprehensum esse confessus est et cause sue procuratores reuocare se paratum esse asseruit. Hiis auditis reuerendi patres ipsum plurimum redarguentes et in omni regimine sue nimis precipitanter egisse nec fratrum suorum consiliis sed magis secularium insipientiis acquieuisse increpantes iusto dei iudicio nedum pecuniis atque clenodiis per male dilectum suum monachum extraneum esse priuatum, verum etiam ipsa abbaciali dignitate propter suam inquietudinem atque insipientiam dignum fore priuandum asserebant. Porro tunc flexis poplitibus primo se a iuramento procuratoribus prestito absolui petiit et mox per officialem archiepiscopi Hermanni quarti absoluitur atque ipsi procuratores quam primum reuocantur. Deinde dignitatem suam abbacialem et curam tam in temporalibus quam in spiritualibus libens ad manus abbatum et conuentus monasterii nostri resignans absoluitur et continuo conuentus vndique ad electionem noui abbatis conuocatur et die statuto scilicet tertio die mensis Januarii dominus Rutgerus de Moirsa originem ducens eo tempore pater et confessor monialium in Regisuilla existens vnanimiter eligitur anno scilicet domini 1497 nouiter incipiente, vt patet ex die predicta. Prefuit predictus abbas Adam secundus tredecim annis et quinque mensibus et vixit post resignationem dignitatis sue fere semisex annis habens pro annua pensione viginti quinque aureos flor. cum vno famulo sibi continuo seruiente preter alias expensas victus et amictus. Interea autem, sicuti ex bulla apostolica collegi, perpendens magnitudinem temeritatis sue ac melius recognoscens ipsa synterisi [1] (?) arguente ac diiudicante [2] vehementissimis stimulis intra conscientiam vrgebatur, eo videlicet quod contra fidelitatem et obedientiam archiepiscopo promissam nostram abbaciam ab ipso alienasset et ad manus summi pontificis resignasset, jam quod illam resignationem sine consensu capituli annalis vnionis Bursfeldensis fecisset. Insuper quod periurus in reuocatione procuratorum suorum fuisset et presumptuosis facinoribus fratres suos perturbasset et ipsos nec non propinquos suos et nostrum capitulum [3] scandalizasset. Quapropter timens, ne absolutio per officialem supradictum insufficiens esset, litteras deprecatorias excessus suos plenarie

1) In der spätern Handschr.: synderisi.
2) In der Handschr.: diudicante.
3) In der spätern Handschr. steht statt nostrum capitulum: communem populum.

continentes ad summum pontificem Alexandrum sextum destinauit. Quibus lectis summus pontifex excessibus eius compassus ac piis precibus motus remisit literas apostolicam autoritatem plenarie continentes ad dominum Joannem Heygen, decanum s. Georgii, vt abbati nostro absolutionem super predictis excessibus perpetratis et aliis sententiis censuris et penis ecclesiasticis impenderet. Quod etiam ita factum est, cum bullam apostolicam dicto decano presentasset.

Obiit tandem sub domino abbate Joanne de Weda anno domini millesimo quingentesimo secundo ipso die s. Ciriaci martiris, qui sepultus est ante altare s. crucis sub blaueo lapide.

## **Rutgerus de Moyrsa** oriundus, trigesimus primus abbas

(qui vno tantum anno prefuit minus quatuordecim diebus).

Electus itaque dominus Rutgerus modo, quo superius dictum est, die vigesima nona Januar[1]) in castro Popelstorp per archiepiscopum dominum Hermannum quartum Coloniensem confirmatus est atque ab eodem in festo cathedre s. Petri apostoli benedictus in ecclesia fratrum minorum de obseruantia ordinis s. Francisci in Bruyll oppido. Cogebatur autem maximam pecuniarum summam ipsi archiepiscopo et suis militibus ministerialibus dare pro sua confirmatione contra priuilegiorum nostrorum tenorem. Fuerat hic venerabilis abbas aliquando sub abbate Adam primo huius monasterii prior, post hoc ordinatus pater et confessor monialium in Regisuilla, quibus fere XV annis prefuit et in multis profuit. Deinde, vt dictum est, ad dignitatem abbacialem electus. Qui videns conuentum fratrum minorem habito consilio et consensu visitatorum impetrauit a domino gratiosissimo, vt septem fratres disciplina regulari imbutos recipere posset a monasterio s. Martini maioris in Colonia. Venerunt ergo ex eodem monasterio altera die s. Viti martiris septem fratres religiosi et disciplinati, scilicet pater Joannes de s. Wandalino, Arnoldus de Traiecto inferiori, Petrus de Ratingen, Nicolaus de Schydammis, Wolfgangus de Zelandia, Petrus de Horst in Gelria, Martinus de Kempen, qui sequenti die in loco capitulari coram domino Rutgero et Ade s. Martini atque Andree s. Panthaleonis venerandis abbatibus obedientiam vouerunt et pro disciplina (cuius vigor aliqualiter hic eo

1) Zwiſchen den Worten nona und in iſt ianuar von anderer Hand übergeſchrieben.

tempore tepuerat). assumpti fuerunt ac inter gregem huius cenobii computati. Quorum senior statim in priorem electus fuit etc.

Circa idem tempus episcopus Caminensis ad monasterium nostrum diuertit familia duodecim personarum stipatus, reliquias sanctorum vidit, missam in summo altari[1]) celebrauit ipso die s. Augustini episcopi. Hic cum in domo hospitum honeste tractaretur, inter cetera edificatoria verba se singularem gerere charitatem erga nostri ordinis fratres asserebat, eo quod ipsemet benedictus vocaretur etc. Ipse a monasterio nostro discedens pulchram tapetam laneam floribus diuersi coloris intextam pro memoria sua ecclesie nostre donauit, que tapeta nostris temporibus in summis festiuitatibus ante stallum abbatis sterni solet.

Eodem anno scilicet domini millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo dominica ante festum Gereonis martiris, que fuit octauo idus Octobris, consecratum est altare s. Michaelis archangeli per reuerendum dominum dominum Joannem Cyrenensem episcopum archiepiscopi Coloniensis Hermanni quarti generalem in pontificalibus vicarium in honorem sancte et indiuidue trinitatis, sancte crucis, beate Marie virginis et precipue ad honorem s. Michaelis archangeli omniumque celestium spirituum, s. Panthaleonis martiris, sanctorum Medardi et Materni episcoporum, s. Agnetis virginis et martiris. In quo quidem altari sequentes reliquie per eundem episcopum recondite fuerunt, videlicet de sancto Stephano prothomartire, de sanctis Mauris martiribus, de sanctis Ciriaco, Panthaleone, Georgio, Seruiliano martiribus, de s. Lamberto episcopo et martire, de s. Mario archiepiscopo Treuerensi, de s. Crescentino confessore, de sanctis Scolastica et Gertrude virginibus.

Notandum, quod hoc altare sub Amilio abbate fuerat in maiori turre edificatum in loco, vbi folles organi iam posite sunt.

Eodem die idem episcopus consecrauit altare s. Anne in honorem sancte et indiuidue[2]) trinitatis, s. crucis, beate Marie virginis et precipue ad honorem beatarum Anne et Elizabeth viduarum, Barbare virginis et martiris, Marie Magdalene, Marie Egiptiace. In quo altari he reliquie sunt imposite: de s. Mauris martiribus, dens molaris s. Viti martiris, de sanctis Mamerto, Lollo et Martino episcopis et con-

1) In der Handschr.: altare.
2) In der Handschr.: diuidue.

fessoribus, dens s. Lucie virginis et martiris, de s. Maria Magdalena et Sophia virgine, item pars de linteo sanguine domini perfuso.

Notandum quod tunc ordinatum fuit missam de beata Maria virgine, que in quatuor temporum angariis decantatur, pro salute viuorum ac mortuorum in eiusdem beate virginis fraternitate existentium in posterum in hoc altari celebrari debere, eo quod homines eiusdem fraternitatis duodecim florenos pro constructione dicti altaris propinarunt. Et ipse episcopus concessit singulis fratribus et sororibus istius fraternitatis dicte misse interessentibus qualibet vice quadraginta dies indulgentiarum.

Sequenti vero die consecratum est per eundem venerandum pontificem altare s. Petri apostoli in honorem sancte et indiuidue trinitatis, s. crucis et beatissime virginis Marie et precipue ad honorem s. apostolorum Petri et Pauli omniumque apostolorum atque sanctorum, quatuor euangelistarum necnon Bonosii, Modowaldi, Wolfgangi episcoporum, Job prophete, Rochi confessoris, Agathe, Appollonie, Scolastice, Dorothee virginum. In quo quidem altari he reliquie sunt recondite: de barba s. Petri apostoli et de crinibus corone eiusdem, de s. Bartholomeo, Jacobo maiore, Mathia apostolis, Marco euangelista, de presepio domini et de vestimento beate Marie virginis, de sanctis Petro, Ypolito et Gallicano martiribus, de sanctis Bonosio, Modowaldo et Seuerino episcopis, de sanctis Scolastica, Scabina et Agatha virginibus. Cuius dedicationis dies seruabitur proxima dominica post festum sanctorum Petri et Pauli apostolorum. Dies autem dedicationum duorum precedentium altarium in dominica post festum s. Remigii seruari poterunt, quia in illa die consecrata fuerunt, hoc est octauo idus Octobris. Concessit quoque idem antistes singulis quodlibet istorum trium altarium deuote visitantibus et tres dominicas orationes totidemque salutationes angelicas dicentibus quadraginta dies indulgentiarum. Insuper qui pro eorundem altarium ornatu luminaribus ceterisque necessariis manus adiutrices porrexerint, de misericordia dei sanctorumque Petri et Pauli apostolorum autoritate pro qualibet vice quadraginta dies indulgentiarum misericorditer obtinebunt.

Hic quoque venerabilis presul yconam illam magnam in summo altari positam eodem die prandio peracto in honorem s. Nicolai patroni nostri benedixit et multas sanctorum reliquias in capite eius scilicet sub mitra recondidit.

Rapitur tandem ab hac vita venerabilis iste abbas Rutgerus de Moyrsa anno scilicet domini millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo ipso die s. Mauri abbatis et patet sic manifeste, quod nisi vno anno quatuordecim diebus minus prefuit numerando videlicet a die obitus sui vsque ad diem confirmationis, que contigit die vigesima nona mensis Januarii etc. Sepultus est in corpore templi nostri ante altare s. crucis.

**Joannes** primus de pago Weda, trigesimus secundus abbas (qui septemdecim annis cum sex mensibus prefuit).

Johannes de Weda oriundus deinde per canonicam electionem anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo ipso die sanctorum martirum Fabiani et Sebastiani factam in presentia prelatorum scilicet Adam abbatis monasterii s. Martini in Colonia et abbatis Andree monasterii s. Panthaleonis et famosorum[1]) doctorum scilicet Cornelii de Breda ad s. Martinum minorem in Colonia pastoris et Joannis Arwini de Ratingen pastoris ad sanctam Mariam indulgentiarum in Colonia necnon aliquorum notariorum vnanimiter huius monasterii abbas ordinatus est. Hic antea istius cenobii supprior anno cum dimidio fuerat, deinde officium prioratus quatuor annis laudabiliter respexit, postea vero in pastorem ecclesie in Burgell et Zons est promotus, quod equidem officium septem annis laudabiliter exequens tam deo quam hominibus placere meruit. Hoc vtique fratres attendentes tandem ipsum in rectorem huius cenobii vnanimiter (vt dictum est) elegerunt. Sed cum esset vir magne humilitatis, non se de abbacialis dignitatis honore inaniter extulit, potius autem perpendens, quam ardua res sit regere animas, necnon de reddenda ratione pro salute ipsarum exterritus quam difficillimum se ad acceptandum hoc onus graue exhibuit. Vnde et vnius mensis inducias pro matura deliberatione expetiit. Interea quoque alia vice coram toto conuentu in loco infirmatorii congregato spiritualibusque ac solatiosis colloquiis intento flexis genibus non ficto sed sincero corde se ab hoc periculoso onere supportari suppliciter petiit. At fratres sinceritatem eius frequentissime experti minime voluerunt consentire instantius ei curam animarum suarum ac omnium bonorum mo-

1) In der Handschr.: famorum.

nasterii commendantes. Ipse vero istis nondum contentatus ad ipsum archiepiscopum Coloniensem Hermannum quartum profectus est, a quo etiam consilium pro tanti oneris euasione multis precibus requisiuit, sed in cassum laborauit. Nam idem serenissimus princeps elector piissimis[1]) eum adhortationibus et consolationibus ad ipsum officium abbacialis dignitatis acceptandum induxit atque eterne beatitudinis premio fideliter laborantibus pollicito confidenter animauit. Animaduertens igitur periculum nostro monasterio propter suam indiscretam dilationem posse euenire, tandem petitionibus fratrum necnon dicti archiepiscopi Hermanni persuasionibus paruit et electioni de persona sua facte consensum prestitit. Nec mirum videatur cuiquam. quare hoc onerosum animarum regimen assumere adeo difficultauerit, quoniam se aliquando de ipsis exactissimam redditurum[2]) rationem diligentissime perpendebat. Formidabat enim non mediocriter cum sanctis viris scilicet Nicolao, Martino, Benedicto, Augustino, Gregorio et quam pluribus aliis dignitates ecclesiasticas oblatas recusantibus sciens, quod quanto status altior, tanto casus grauior. Quoniam quidem ipsum non latebat, quid timorati sancti viri de altiori statu bene senserunt. De quo diuus Augustinus sic inquit: Locus superior et si administretur, vt decet, indecenter tamen appetitur. Mellifluus quoque Bernardus ait semetipsum ita redarguens: Quotiens hominibus preesse desidero, totiens deum meum preire contendo et que dei sunt non sapio. Hinc etiam Joannes Crisostomus formidandam contra ambitiosos profert sententiam. Quicunque, inquit, primatum desiderat in terris, confusionem inueniet in celis nec inter seruos Christi computabitur, qui de primatu tractauerit. Ipse etiam totius mundi soter (vti euangelica testatur historia) nobis humilitatis relinquens exemplum fugit quando iudei eum in regem sibi preficere intendebant. Sed heu, iam plures mente corrupti ad prelaturas et dignitates obtinendas maximis conatibus ambientes aspirant, ymo lites pro ipsis adipiscendis agunt, sicuti de nonnullis huius cenobii abbatibus declaratum est superius, qui et irrecuperabilia damna intulerunt.

Hic venerabilis abbas cum in castro Bruyll ab archiepiscopo Hermanno confirmationem suam recepisset, magnam pecuniarum summam

1) In der Handschr.: pryssimus.
2) In der Handschr.: reddituram.

eidem et sue curie officialibus tribuere cogebatur contra tenorem priuilegiorum nostrorum, vt sepius dictum est superius. Postea vero manus benedictionis in nostro monasterio a reuerendissimo domino Joanne Cyrinensi episcopo ipso die natalis beatissimi patris nostri Benedicti accepit in presentia venerabilium dominorum abbatum Adam s. Martini, Andree s. Panthaleonis in Colonia et Joannis Schonauiensis. Benedictione autem peracta eadem die venerunt venerabiles patres domini abbates Knechstedenses et Anthonius Werdenensis abbati nostro congratulantes. Postquam autem benedictus fuit, studuit summis viribus huic loco prodesse magis quam preesse.

Sequenti anno scilicet MCCCC nonagesimo nono defuncta est in monasterio noui operis prope Gladbach venerabilis domina magistra Agnes de Rore nuncupata in profesto Calixti pape et martiris, que prefuerat vltra XXIX annis. Hinc igitur cum hic venerabilis abbas dictum monasterium haberet in commendatione, ab iisdem sanctimonialibus pro noua domina eligenda vocatur. Qui assumens secum venerabilem dominum abbatem s. Panthaleonis predictum illuc profectus est et scrutatis singularum sororum votis probam atque honestam Odiliam de nobili prosapia Mylendunck originem ducentem eis in dominam ac magistram prefecit etc.

Videns[1]) hic venerabilis abbas edificia tam monasterii quam curtium ad nostrum dominium pertinentium vbique ruinas minari omnibus modis restaurare nec nonnullas nouiter edificare studuit, sicuti in sequentibus latius patebit.

Anno igitur domini millesimo quingentesimo primo cum curtis nostra in Clotteno vndique ruinam minaretur, confracta reparari et nouam domum ibidem edificari fecit, pro cuius structure necessario vsu circiter octoginta quatuor ligna fuerunt abscisa in silua Muckeren dicta et fere totidem in noua silua supra castrum sita. Quamobrem subditi nostri Clottenenses maxime indignati contradicere et cohibere huiusmodi nitebantur asserentes, hoc nobis illicitum et precipue in noua silua, in qua nos nullum ius habere dicebant, eo quod illa silua longe post impetrationem priuilegiorum nostrorum per ipsos et non per nos plantata esset. Assumebant quidem istud pro defensione sua. Attamen propositum eorum in id tendebat, vt quod diu precibus ac diuersis cautelis obtinere nequiuerant, saltem per oblatam

1) Das Wort videns iſt ſpäter zugeſchrieben.

occasionem iam vi atque minis adipisci possent. Nam variis et astutis inuentionibus nos sepius retroactis temporibus inducere sub pia quadam magne vtilitatis specie conati fuere, quatenus eorum Burgimagistro indicaremus, quandocumque ligna secaturi essemus per hoc nostrum dominium extinguere et nos suo iuditio et seruituti subdere cupientes. Sed venerabilis abbas priuilegiis nostris de dominio nostro et iurisdictione vsque ad presens in vsu habitis diligentius perspectis eorum arbitrio acquiescere contempsit. Hinc illi perpendentes, se non posse nos ab incepto edificio impedire, maiori eos inuidia stimulante etiam querimonias tamquam de violenta presumptione [1]) monentes nos grauiter coram domicello Philippo de Schoenberch amptmanno in Cochem accusarunt. Qui vt vir discretus et circumspectus non ignorans, quod vulgus potius impetu quam...[2]) ducatur, noluit quicquam precipitanter ex eorum accusationibus definire aut agere, sed diem conuentionis vtrique parti prefixit, scilicet nonas Julii in aula curtis nostre in Clotteno. Cum itaque conuenissent et vtraque pars suam causam proposuisset, prefatus amptmannus diligenter auscultans et diligentius audita examinans, tandem petita vtriusque partis licentia et autoritate sententiam prolaturus ita exorsus est: Reuerende domine abba et vos cives Clottenenses, et multis scriptis et rationibus coram nobis nunc depositis status istius negotii nobis competenti modo cognitus est. Quare nos disceptationi huic finem imposituri dicimus, quia reuerendus dominus abbas et sui debeant in omnibus, hoc est in domibus, horreis et torcularibus ceterisque aliis suo dominio suaque gaudere possessione pacifica in omni modo, forma, sicuti in presens vsque vsi sunt sine cuiuscunque requisitione aut licentia super hoc requirenda, vbi, quando et quotiescunque pro suo commodo et necessitate voluerint tam in lignis crematibilibus tam constructibilibus, illo tamen saluo, quod quando contigerit dominum abbatem velle structuram perficere, tunc debet vnum aut duos iuratos ad se vocare non pro licentia petenda, sed pro pio ac sano ab eis requirendo consilio, ne ipsi carpentatores suam et non abbatis vtilitatem querentes plus debacharentur in lignorum abscisione, quam aut abbatis requirit necessitas aut voluntas. Et si predicti iurati a domino abbate vocati pium ac fidele consilium dederint, quo

1) In der Handschr.: presinptione.

2) Es fehlt in der Handschrift ein Wort, etwa ratione.

ipse suum valeat propositum sine damno perficere, tali consilio benigne acquiescendum erit. Si autem tale consilium dare nequiuerint aut, quod absit, noluerint, sed aliud in derogationem dominii nostri machinati fuerint, extunc potest dominus abbas sue vtilitati prouidere, vbi quantum quotiens et quomodo voluerit sine cuiuscumque requisitione super hoc petenda. Et adiunxit idem Philippus: Et rogamus dominum abbatem seriosius, vt propter mutue charitatis et pacis custodiam hoc obseruet, quia suo iuri et dominio minime derogat. Hiis omnibus sic actis videntes Clottenenses, quod spe sua essent frustrati, indignatione et confusione pleni ad propria remearant. Nos autem pro perfectione eiusdem structure ac etiam horrei cuiusdam in Kern plura fecimus ligna eodem anno abscindi[1]) sine cuiuscunque requisitione et sic semper seruabimus. Hec omnia diligenter scripta sunt in pergameno libro missali in Clotteno existenti colligata, vbi etiam plura alia de redditibus monasterii de feudis et feudalibus et de aliis officialibus ibidem ordinandis etc. Que quidem scripta etiam habentur in monasterio nostro. Ponitur etiam ibidem, qualiter eodem anno cum Clottenenses conspexissent nos in predicta disceptatione triumphare et eorum adinuentiones et cautelas parui pendere, aliud nos irritandi inuenerunt consilium, quo ante omnia sperabant saltem nunc nostram libertatem in lignorum vsu posse infringere. Ipso igitur die s. Valerii ordinauerunt lignorum combustibilium abscisionem de anhaw[2]) wulgariter dictam contra antiquam consuetudinem in quandam vallem profundissimam in der ender sitam, ex qua nequaquam poterant ligna deduci per equos et currus, sed solum ligna habere volenti corpore ea exportare erat necesse. Sed nos cum dolosam eorum ordinationem parui pendentes ligna combustibilia faceremus deduci more solito ex silua, que dicitur tann, et ipsi amptmanno hoc fuissent conquesti, amptmannus veritate a nobis explorata et comperta precepit eis, vt ad talem locum ordinarent abscisionem vulgariter den anhaw dictam, ex quo ligna possent commode cum equis et curribus deduci. Et sic tandem delusa est eorum maligna ordinatio. Eodem anno (vt ibidem latius refert) cum locus priuatus esset mundandus, qui in curia nostra versus Cochem situs est, facta fuit fouea (more solito) in vico contiguo pro sepe-

1) In der Handschr.: absindi.
2) Der Anhau.

lienda illa fetida[1]) materie. Quod quidem factum etiam quidam Clottenenses impedire nitebantur, sed cum per duos schabinos nostros examinarentur, nullam iustam causam potuere producere, quare opus inceptum tandem perfectum fuit. In eisdem perturbationum procellis cum quatuor ciues Clottenenses, qui fuerunt de hominibus s. Nicolai, contraxissent matrimonium duxissentque vxores extraneas non de potestate s. Nicolai existentes ac propter hoc per nos pecunia ab eis exigeretur, ipsi inuicem conspirantes se nec veniam postulaturos neque pecuniam daturos animosa proteruia affirmabant. Igitur interrogati de causa, cur plus ceteris omnibus ipsi se antique consuetudini ac nostris priuilegiis opponerent, responderunt se nullum excessum in matrimonio contracto commisisse, nam vxores duxissent secundum schabinorum nostrorum edicta, que essent de potestate s. Petri et quia omnes in diocesi Treuerensi commorantes essent de potestate s. Petri etc. Et quidem nequitiosa pariter et mendosa fuit ista rusticorum adinuentio, scilicet in eorum propria capita redundauit. Nam cum apostolicis mandatis eos citaremus, ipsi non solum veniam postulare, sed etiam condignam pecuniariam penam tam de illicito matrimonio quam de proteruo et inobedienti ...so sunt coacti subire. Vnde ad consimiles errores precauendos est sciendum, quod monasterium Malmandariense situm est in diocesi Coloniensi habetque curtem vnam in Clotten, que dicitur curtis s. Petri et erant quondam multi homines seruilis condicionis ad illam curtem pertinentes, qui dicebantur homines s. Petri Colonie et cum talibus hominibus poterant homines s. Nicolai contrahere matrimonium sine cuiuscunque licentia. Nam isti erant, de quibus dicitur in priuilegiis nostris et etiam in edicto schabinorum, quod homines s. Nicolai possunt contrahere matrimonium cum hominibus s. Petri Colonie. Et in huius recognitionem scultetus predicti monasterii dat singulis annis nobis duo quartalia vini.

Circa annum domini millesimum quingentesimum aut modicum ante siue post Clottenenses instituere aliquas missas summo mane celebrandas, quas vsque in presens cum nostro consensu ibidem celebrari fecerunt. Sed anno domini MCCCCCIII nitebantur predictas missas ordinaria autoritate roborari per hoc intendentes predictam capellam vna cum missis in ius patronatus siue in beneficium per

1) In der Handschr.: fedida.

eos conferendum ac instituendum nobis super hoc minime requisitis. Quod cum ad aures abbatis nostri perlatum esset, nequaquam id fieri permisit, sed eos a concepto proposito prohibens predictam capellam non esse matricis ecclesie filiam nec ad pastorem aut rusticos, sed ad nostrum monasterium pertinere, non solum ex nostra fundatione, verum etiam ex propriis eorum bullis et litteris comprobauit. Nam vt in antiquis litteris (quas penes se habent) continetur, predicta capella vocatur reclusorium dominarum, in qua Richeza regina fundatricis nostre filia, postquam se et sua deo et s. Nicolao tradidisset. Clottenum tamen ad dies vite sue sibi in feudum reseruans eandem capellam construi fecit, in cuius opposito ipsa moram trahens deuotarum orationum inibi obtulit cotidiana[1]) sacrificia. His igitur rationibus Clottenenses victi ipsam capellam in pristina libertate reliquerunt. Relatum quoque fuit eo tempore per seniores non solum seruitores nostros, verum etiam nonnullos fratrum nostrorum ibidem ante chorum sepultos esse. Vnde et congruum videtur, vt nos quoque idem ius conseruare curemus atque locum illum ob fundatricis memoriam sub nostro dominio tenere satagamus[2]). Missas tamen ibidem celebrari permittimus, quia in hoc dominio nostro minime derogatur etc. Et in huius rei memoriam anno domini millesimo quinquagesimo quarto depicta fuit ante portam curie nostre Richeza regina Polonie habens capellam in manibus suis et subtus s. Nicolaum tres gladii depicti sunt significantes tria dominia super sanguinem, que monasterium nostrum habet in Clotteno, Mesenich et Bruwilre.

Anno domini 1502 quidam hospes et ciuis Clottenensis Paulus nomine compertus fuit latrocinia exercere. Quapropter cum captus fuisset ad Cochem deductus est, quem tandem per penas examinatum et conuictum condigno mortis supplicio ibidem punire voluit amptmannus noster Philippus de Schoenbergh, qui tamen a schulteto aliisque officialibus nostris Clottenensibus obsistentibus nec non ex libro feudali super hac re melius informatus reduci fecit reum ad curiam nostram in Clotteno ibidemque in cyppo recludi. Hic demum per sententiam scabinorum nostrorum positus fuit super rotam in loco, qui dicitur der langheck prope Esch.

---

1) In der Handschr.: contidiana.
2) In der Handschr.: satagemus.

Eodem anno nouus cyppus factus fuit in curia nostra. Pro informatione consimilis casus factum est longum instrumentum per notariam publicum et in cista conuentuali reclusum.

Hic venerabilis abbas infeudauit comitem de Manderscheyt et Blanckenheym cum decimis in Vlrich et Dorthei inter Clottem et Pommeren et Theodericum Ketgen burgimagistrum in Andernacum cum multis bonis sitis in Kell prope sent Thonissteyn, vt in eodem libello continetur.

Hic venerabilis abbas valde multa fabricari et restaurari fecit, quorum aliqua annotare dignum duxi. Anno igitur millesimo quingentesimo, quando Rome annus iubileus celebrabatur, fecit fieri in viredario lacum[1]), qui dum foderetur reperti fuere magni lapides fundamentales ecclesiole sepulchri fundatricis nostre, que ibidem prius sepulta fuerat, eo quod ecclesia nondum parata erat. Hec historia fundatricis monasterii nostri latius declarat.

Anno autem domini millesimo quingentesimo tertio erigi fecit illam partem ambitus versus abbaciam, noua cubilia pro hospitibus et pro necessitate sua cum pulchra capella strui fecit, que sequenti anno completa fuit. Cum vero propter iam dictam structuram testudo ambitus superius mundaretur, reperta est inter ipsos fasciculos ibidem repositos confectio quedam sulphurea, qua incendium clam procurari solet. Hec quia nimis stricte ligata fuerat, effectum non habuit, sed extincta fuit. Eodem anno aliud incendium procuratum fuit in stabulo ouili, quod cum effectum suum cepisset exercere et maximum minaretur damnum, statim vt a subditis nostris perceptum fuerat, extinguebatur. Per quem autem tam istorum incendiorum malicia fuerat sollicitata vsque in presens tempus latuit, licet aliqui nostro monasterio illo in tempore aduersantes fuerant suspecti, dominus abbas et cuncti fratres ista perpendentes plurimum anxiari ceperunt et euasionem tantarum plagarum meritis beatissimi patroni nostri Nicolai asscripserunt. Et idcirco gratiarum actiones agentes se deuotius ipsius patrocinio commendarunt, quatinus protectionem istius loci ab omnipotente deo instantius impetraret.

Anno autem domini millesimo quingentesimo quinto gloriosus Romanorum imperator Maximilianus filio suo Philippo Burgundiorum

1) Am Rande ſteht: cisterna in viridario exigitur.

duci regi Castilie etc. eo tempore bellum contra ducem Gelrie Karolum gerenti magnum exercitum pedestrem in subsidium misit, qui a partibus superioribus venientes ad nostrum monasterium quarta feria post pentecostes, que erat altera die s. Seruatii episcopi, numero trium milium existentes declinarunt et non sine magno damno sequenti sexta feria summo mane recesserunt partim soluentes partim soluere recusantes. Deinde secunda feria post trinitatis venerunt fere octingenti eiusdem inuictissimi imperatoris satellites, qui nos a precessoribus suis damna passos audientes et victualia magna ex parte consumpta[1]) sequenti die recesserunt. Paucorum autem dierum spacio elapso prima scilicet dominica post trinitatis, que erat ipso die s. Vrbani pape idem imperator magnificentissimus de Colonia versus oppidum Caster tendens propter intemperiem aëris ac pluuie inundationem ad nostrum monasterium diuertere compulsus fuit.

Primum igitur ecclesiam intrans sub vesperis ante summum altare preces fudit. Deinde per patres seniores ductus ad fundatorum nostrorum sepulchrum vidit illud minus adornatum. Vnde ad circumstantes submissa voce dixit: quare provisores vestros tam despecte iacere permittitis?

Quod cum domino abbati nostro protunc. absenti postea relatum fuisset, iussit iam dictum sepulchrum variis picturis decorari et epitaphium apponi. Ipse vero imperator post summum altare deductus reliquias sanctorum vidit et inter cetera hoc memoria dignum de lancea dominica protulit. Particula hec omnino videtur de parte dominice lancee abscisa, que in Nurenberga in magna reuerentia colitur. Nam tantum hic habetur, quantum ibi deesse videtur et loco eius depositum est argentum etc. Postquam autem modicum de cibo et potu in loco caminato gustasset, officiales et patres seniores ei de satellitibus suis pie conquesti sunt, quod non sine magno grauamine territorium nostrum transierunt. Super quas quidem querimonias breue atque benigne (sic) responsum dedit dicens: O charissimi patres et confratres, intentio nostra est, hoc sero in oppido Caster appellato pernoctare; quare hortor charitates vestras, vt aliqui vestrum sequantur responsum bonum et consolatorium reportaturi. Duo igitur ex fratribus ipsum e uestigio secuti sunt, qui eum altera die summo mane accedentes bonum responsum et

1) In der Handschr.: consumptos.

optatum receperunt cum literis sigillatis, que hoc singulariter continebant, vt si deinceps satellites suos ad nostrum monasterium declinare contigerit, illis literis ostensis statim recederent.

Interea igitur monasterium nostrum aliquem aduersarium in terra Juliacensi morantem Jasperum Spor nuncupatum habuit, qui sibi curtem illam in Wedersdorp Velthoens hoeff vulgariter appellatam omnino vendicare nitebatur, de qua equidem curte superius mentio facta est sub abbate Adam secundo. Nam hic etiam instantissime asserebat, se propinquiorem heredem esse Theoderico de Drys et feminam superius allegatam nullatenus potestatem dictam curtem vendendi habuisse. Vnde instantius exigebat a monasterio nostro sexcentos florenos, quos prefatus domicellus Theodericus pro eadem curte redimenda nostro monasterio persoluerat. Sed quia hic venerabilis abbas maturo suorum fratrum habito consilio omnino ei quicquam dare renueret, dictus domicellus Spor magis exacerbatus monasterio nostro damna inferre in dies minabatur. Hinc igitur in primis quendam schabinorum nostrorum Hermannum Tholner nuncupatum in pago nostro Kyrdorp et Wedersdorp captiuum abduxit, qui se ipsum pecuniis redimere cogebatur. Deinde literas inimicicie scribens bellum monasterio nostro indixit et frequentius rapinas facere in territorio nostro attentauit. Quam ob causam subditi nostri et nonnulli fratres tam donati quam sacerdotes excubias insistere sepius cogebantur. Preterea longo tempore equites stipendiarii in sumptu monasterii pro defensione iuris nostri sustentabantur. Quoniam autem inuictissimi imperatoris Maximiliani maiestas his terris appropinquare videbatur, venerabilis abbas estimans aduersarium nostrum iam nil mali audere attentare ipsos satellites stipendiarios iam diu sustentatos soluto eis vectigali abire permisit. Cum vero aduersarius noster sepedictus animaduerteret, imperatorem ad partes inferiores profectum fuisse et monasterium nostrum auxilio armigeratorum priuatum, ipse diutius concepte malicie iam explende opportunitatem se habere arbitrans collectis eiusdem sortis quatuordecim aut quindecim equestribus armatis territorium nostrum hostiliter inuasit et XI equos monasterii nostri in campis aratrum trahentes et sex a subditis nostris, scilicet tres a Wilhelmo Pefgen in Danswylre et duos a Joanne Scheffer ibidem morante[1]) et vnum

1) Die Handſchrift hat: morantem.

a partiario in curte den broch hoyff anno domini allegato superius ipso die s. Bonifacii insimul violenter abstulit. Alia quoque vice circa idem tempus tres equi monasterii nostri et quatuor subditorum nostrorum, scilicet duo a Joanne partiario nostro Fremersdorp et duo a Wilhelmo Pefgen ablati fuerunt. Quod equidem sacrilegium facinus plures cuidam armigero admodum famoso raptori asscribere volebant, qui post breue tempus a generoso domino Joanne de Palant captus est et propter vniuersa scelera capite per gladium priuatus cunctis mortalibus ad spectandum prope castrum Segersberch appellatum in rota eleuatus est. Supradictis autem rapinis ita contingentibus quanta amaritudine et angustia hic venerabilis abbas ceterique fratres conuentuales nec non subditi nostri confecti fuerint, non facile autumo dictu. Hinc igitur venerabilis abbas verum se subditorum amatorem ostendens querimonias graues de tantis illatis iniuriis mouit tam apud archiepiscopum Coloniensem Hermannum quartum, quam etiam apud ducem Juliacensem atque illustrissimum imperatorem ex terra Gelriensi Coloniam reuersum, ex quorum consiliis iussum est tractatus et conuentiones pro concordia vtriusque partis seruari et inducias poni. Durante ista dissentione quadam vice indicatum fuit aduersarium nostrum moram trahere in castello Luyrsfelt vulgariter appellato prope Carpenam sito. Quam ob rem ex consilio armigerorum archiepiscopi Coloniensis eo tempore hic existentium nonnulli subditi nostri cum ipsis armigeris illuc ad querendum missi sunt, sed cum ipsum minime reperirent, ad propria redierunt. Ceterum vt paucis multa concludam, cum prefati principes terreni aduersarium nostrum (vt dignum fuit) corrigere dissimulando negligerent, ille qui omnium regum princeps est per instantissimas fratrum nostrorum preces frequentissime inuocatus et pulsus monasterium nostrum a sepedicto inimico scelestissimo iniustissimo raptore sacrilego misericordissime liberauit. Nam omnipotens deus (vt constat quam plurimis vitam incolumem agentibus) pessimo lepre morbo adeo valide eundem percussit ac defedauit, vt deinceps a persecutionibus ac molestiis huic loco inferendis iam penitus cessaret atque eodem morbo vsque ad finem vite continue laboraret. Cum autem in se mortis presagia cerneret, cupiuit cuidam fratri de obseruantia ordinis diui Francisci secreta cordis sui aperire, sed cum illum non lateret conuersatio eius, absoluere ipsum renuit, nisi iniuste ablata restituere promitteret. Demum cum ipsum minus

penitentem aut pro debitis satisfacere renuentem animaduerteret, non absolutum dimittens recessit, prout ipsemet pater postmodum huc veniens fratribus nostris retulit. Vtrum autem a pastore proprio in extremis fuerit absolutus necne, incertum est. Hic itaque cum viam uniuerse carnis ingressus est, nichil molestie monasterium nostrum per cognatos suos perpessum fuit nec quicquam pro tantis damnis hactenus restitutum. Verum domicellus Theodericus de Drys videns monasterium nostrum sic affligi infestationibus atque rapinis per dictum aduersarium animosior effectus est. Et nedum 38 marcas annui redditus, quas monasterium nostrum sub abbate huius loci Hermanno Zobb in cambium pro pago Louenich ex curte illa Steynbuchell siue Velthoenshoeff appellata cum certis aliis bonis susceperat, persoluere recusabat, verum etiam annuas pensiones de agris nostris subtrahebat et nonnullis annis decimas quoque omnium bonorum suorum in Wedersdorp. Quam ob rem hic venerabilis abbas virtute roboratus constantie rursus graues de tantis iniuriis fecit tam apud archiepiscopum Coloniensem quam apud illustrissimum ducem Juliacensem (querimonias) consilium petens simul et auxilium pro tanta iniustitia depellenda. Hinc igitur multi tractatus diuersis in locis cum frequentia comitum ac nobilium dominorum vtriusque principis consiliariorum seruati fuerunt in non mediocria multorum sumptuum dispendia, non enim ad optatum concordie finem pertingere potuerunt. Postquam ergo venerabilis abbas se astuciis et fallaciis iniuste deludi et propter minorem fauorem nobilitarium nullum posse profectum inuenire animaduerteret, dictum Theodericum ad iudicium seculare citari fecit. Cumque iam iudicialiter processum fuisset, singulis bene examinatis et maturo habito consilio schabini predicti agros ad nostrum monasterium pertinere et ipsum Theodericum de annuis pensionibus iam multis annis cessis et non solutis obligari diiudicabant[1]). Qua profecto sententia legittime prolata venerabilis abbas eidem predictos agros surripere intendebat. Quod perpendens ipse Theodericus per se et amicos suos instantissimis precibus eos sibi petiit dimitti. Tandem venerabilis abbas multorum precibus atque consiliis inductus sepedictos agros pro annua pensione scilicet XXI maldr. siliginis colendos eidem concessit. Ceterum vt breuibus huic negocio finem imponam, solitis fedifragi viri fallaciis ac mendaciis

1) In der Handschr.: diudicabant.

hic venerabilis abbas illusus nichil pecuniarum siue frumentorum vnquam recipere potuit. Quapropter posteros ammonitos esse cupio, quod ab anno domini.....[1]), quo primitus ipsos agros acceptauit pro annua pensione sub Adam secundo huius loci abbate XXX nichil tam de annuis pensionibus quam de debitis cessis et non solutis soluit, prout hoc registra et libellus omnium actionum istius negocii longius et clarius edocent etc. Eodem anno domini M quingentesimo quinto, quo imperator Maximilianus semper Augustus per territorium nostrum ad terram Gelriensem descenderat, postquam ciuitatem Arnem et plura alia oppida ipsius ducatus Gelrie sibi subiugauerat et dominio filii sui adiecerat Coloniam reuersus, ad quem plures principes Alemanie conuenerunt, quos ibidem infeudauit.

Anno domini M quingentesimo sexto morbus[2]) pestilentialis maxime in nostro territorio viguit et plures homines inficiens extinxit vnum diaconum et duos donatos nostre congregationis fratres absorbuit. Plures vero fratrum eodem pestifero veneno infecti fuerant, at ne infectos absumeret diuina clementia prohibens ad maiores faciendos fructus preseruauit.

Sequenti anno archiepiscopus Coloniensis Hermannus quartus imposuit venerabili isti abbati reformationem monasterii ordinis nostri in Graefschaff, quod in Westphalia situm est. Cuius mandatum venerabilis abbas se minus decenter posse subterfugere arbitratus tandem habitis prius expertorum virorum ac fratrum suorum consiliis hilari animo paruit. Hinc itaque sex fratres scientia literarum atque regulari disciplina admodum imbuti de nostra congregatione electi ad prefatum locum assumpti secum lectisterniis et nonnullis libris choralibus directi fuerunt. Quos ipse venerabilis abbas noster cum reuerendo abbate Tuiciensi Gerlaco aliisque archiepiscopi Coloniensis supradicti consiliariis illuc introduxit, fratres autem monasterium affatim calamitosum conspicientes non mediocriter de resignatione nostri monasterii contristati fuere. Nam sicut illud[3]) cenobium penitus erat a regulari disciplina destitutum, sic quoque in omnibus suis edificiis corruptum, hinc inde minabatur ruinas.

---

1) Ist nicht ausgefüllt.
2) In der Handschr.: morsus.
3) In der Handschr.: illum.

Ceterum piis adhortationibus consolati ac celestis regni premiis roborati, postquam abbas dicti loci Petrus de Durenbach dignitatem suam coram archiepiscopo Coloniensi Hermanno quarto in oppido Harctzberch resignasset atque electum a fratribus senioribus Albertum nomine Coloniensem in eius locum idem archiepiscopus abbatem confirmasset singulaque competenti concordia ordinata fuissent, ipsum cenobium intrarunt altera die decollationis s. Joannis baptiste. Pauco tempore euoluto hic abbas Albertus nec non dominus Gerardus abbas s. Martini in Colonia nouiter electi eodem anno altera die omnium animarum Christifidelium per reuerendum dominum Theodericum episcopum Cyrenensem [1]) archiepiscopi Coloniensis suffraganeum fuerunt in monasterio nostro confirmati. Ipse quoque suffraganeus eodem die consecrauerat prius capellam in abbacia existentem cum suo altari in honore sancte et indiuidue trinitatis necnon beatissime virginis Marie et sanctorum Joannis baptiste, Joannis apostoli et euangeliste, Nicolai episcopi, sanctarum virginum ac martirum Catarine (sic) Barbare atque Anne vidue martiris, virginis Marie. In quidem altari he reliquie sunt condite: particula de camisia virginis Marie, de s. Anna vidua, de capite s. Joannis baptiste, de casula s. Joannis euangeliste, de s. Maria Magdalena, de s. Vincentio martire, de ossibus s. martirum Palmachii et sociorum eius martirum eius treue, de s. Willibrordo primo archiepiscopo Traiectensi, de s. Bernardo abbate, de s. Alexio confessore, de s. Lazaro confessore, de s. Celso confessore, de s. Seuera virgine, de s. Elizabeth Schonauiensi.

Dedicatio istius capelle semper celebrabitur ipso die s. Huperti episcopi, qui est altera die animarum. Concessit quoque idem suffraganeus indulgentias octoginta dierum, videlicet quadraginta ex parte sui et XL ex parte archiepiscopi Hermanni quarti antedicti omnibus et singulis istam capellam intrantibus siue pretereuntibus toties quoties quinque orationes dominicas cum totidem salutationibus angelicis deuota mente dixerint.

Prefati itaque fratres scilicet Albertus abbas Joannes Hammonis, Mathias Paffendorp, Conradus Warburch, Medardus Huysskirchen, Stephanus de lacu ibidem scilicet in Graesschaeff per aliquod tempus cunctorum domino iuxta regulam beatissimi patris nostri Benedicti in pace seruierunt. Vnus autem illorum scilicet frater Conradus

1) In der Handschr.: Cyrerensem.

de Warburch cum licentia reuersus est et in crucis locum quidam Wolffgangus de Zelandia appellatus substitutus est. Hic idem pater de monasterio s. Martini cum aliis fratribus ad monasterium nostrum pro disciplina destinatus fuerat, vt patuit superius cum de Rutgero abbate huius monasterii ageretur. Post obitum vero archiepiscopi Hermanni quarti dominus Petrus de Durenbach quondam abbas supradicti loci cum suis amicis ac senioribus monachis armata manu supra nominatos fratres nostros violenter expulit. Fratres igitur sic inopinata calumnia afflicti per hiemem coacti sunt manere in monasterio regularium Ewich wulgariter appellato, sed adueniente vernali tempore dominus Philippus nouiter electus in archiepiscopum Coloniensem ipsos rursus introducci per armigeros suos sollicitauit et annuas pensiones senioribus monachis reddendas (vt antea fuerat ordinatum) constituit. Illos vero seculares, qui manus adiutrices ad hoc opus nepharium prebuerant, captiuos duci fecit, quos tamen postmodum liberos dimittens sub capitali pena comminatus est, ne idem amplius attentarent perficere.

Hic quoque sciendum est, quod confratres nostri predicti patronum nostrum Nicolaum pro compatrono monasterii in Graetschaeff ordinauerunt, eo quod reformatio regularis vite ex nostro monasterio illuc peruenit.

Anno domini M quingentesimo nono circa tempus carnispriuii quidam domicelli scilicet Wylhelmus de Nesselrait in pago Holtzdorp habitans et Andreas de Fleysten in monasterio nostro quadam nocte hospicio recepti fuerunt. Quorum alter scilicet Wylhelmus de Nesselrait altérius famulum post contentiones habitas adeo valide vulnerauit in cubili super coquinam, vt statim ibidem moreretur. Et idcirco per aliquot dies in nostro monasterio interdictum seruatum fuit, sed vti per legisperitos examinatum est, monasterium nostrum non debuit interdicto subiacere, eo quod intra septa [1]) ambitus siue cymiterii hoc scelestissimum facinus non contigerat, sed emunitas monasterii nostri tantum per hoc violata extitit. Qua quidem sententia ad nos perlata interdictum sine damno depositum fuit.

Sequenti anno reformatum est monasterium s. Viti in Gladbach [2])

1) Zu der Handschr.: cepta.

2) Eckertz u. Noever, Benedictiner-Abtei M.-Gladbach.

per reuerendum dominum abbatem s. Martini, qui sex fratres sui monasterii illuc misit. Abbas autem eiusdem loci Egidius Boychoeltz appellatus in regimine abbacialis dignitatis permansit et habitum nostre vnionis assumens capitulo annuali sequenti anno, scilicet millesimo quingentesimo vndecimo in nostro monasterio celebrato se subdidit, in quo comparuerunt abbates, dominus Georgius abbas Pegauiensis cantauit summam missam, dominus Gerardus in Tholeia fecit sermonem ipso die s. Bartholomei apostoli.

Eodem anno noue celle fabricate fuerant pro receptione tantorum hospitum super illam partem ambitus versus refectorium, nec non ipsius refectorii tectum renouatum et altius eleuatum.

Eodem quoque anno Burgundienses terram Gelriensem cum maximo exercitu hostiliter inuaserunt, eo quod dux Gelrie fracto induciarum federe expoliari et captiuari iusserat mercatores Burgundienses locupletissimos in silua prope Koninxdorp, quorum duo primo impetu fuerant interfecti. Postquam igitur Burgundienses oppidum Staelen vulgariter appellatum expugnassent, altera die s. Bartholomei apostoli ciuitatem, que Venlo dicitur, obsidione ceperunt. Durauit illa obsidio a prefato festo vsque ad festum s. Wyllibrordi archiepiscopi primi Tractensis [1]). Interea in nostro territorio et in circumiacentibus pagis sonitus instrumentorum bellicorum frequentissime audiebatur. Et licet menia turresque ciuitatis per ipsa instrumenta aliqualiter rumperentur et destruerentur atque solo adequarentur, attamen illi animosi ciues ciuitatem suam adiutorio dei ac patroni sui sanctissimi Martini firmissime et integerrime confisi nec non irrefragabili vnanimitatis nexu confederati inuictam constantissime preseruarunt. Vnde etiam sibi celeberrimum nomen acquisierunt etc.

Anno domini M quingentesimo tertio decimo Philippus archiepiscopus Coloniensis dedit cunctis Christifidelibus deuote vnam dominicam orationem cum salutatione angelica dicentibus coram imagine dominice passionis acie cuspidis (qua latus domini nostri Jesu Christi in cruce pendentis a milite perfossum est) signata. Totidem quoque indulgentias concessit eius suffraganeus dominus Theodericus episcopus Cyrenensis.

Eodem anno maxima dissentio exorta est inter ciues Colonienses

1) Von Utrecht.

et consules ciuitatis. Et licet multis diebus antea perdurasset, attamen altera die epiphanie domini manifestius efferbuit. Nam tunc omnes ciues vnanimiter congregati ad domum consulatus venerunt et computationem fieri petiuerunt. Tandem maiores de consulatu captiuos duxerunt, scilicet Joannem Berchem siue papagey reddituarium ciuitatis, Joannem de Reyde burgimagistrum, Joannem Oldendorp burgimagistrum, Theodericum Spitz siue voes magistrum violentiarum, Petrum Roden consulem, Franconem van der Lynde consulem, Paradeys consulem. Hii omnes examinati et rei inuenti per iudicium schabinorum ob mala merita et defraudationes rei publice fuere capite priuati. Aliqui vero ex ipso consulatu tempestiue fugam eligentes vitam tenuerunt. Duo etiam ciues famuli ciuitatis tamquam cooperatores eorundem scelerum fuere extra ciuitatem decollati.

Circa idem tempus in multis regionibus et ciuitatibus dissentio facta fuit et vulgus se contra consulatum erexit et alias ordinationes exacta prius computatione constituit.

Eodem tempore Burgundienses iterum intrauerunt in ducatum Gelriensem et tres pagos scilicet Vyrsen, Lobbroch et Greffenraidt combusserunt. Hinc rursus Gelrienses de ciuitate Rurimunda properantes venerunt statim post festum beate Magdalene in pagum Kerpen appellatum ad comitem de Nassaw spectantem. Cuius omnem substantiam, quam reperire poterant, expoliantes, deinde fere omnes domus incendio deuastarunt, non attento quod ipsi Karpenses (sic) comparauerant sibi pro septingentis florenis, vulgariter Philippes gulden liberam ab omni molestia et exactione exemptionem. Insuper ecclesiam expoliauerunt atque incendio tradiderunt. Que cum iam arderet, Gelrienses venerabile sacramentum per quendam monachum Carmelitarum ad castrum deportari fecerunt. Kerpenses autem iacula per instrumenta bellica de turri mittentes duos Gelrienses scilicet vnum militaris, alterum vero plebei ordinis in templo peremerunt. Demum Gelrienses assumptis spoliis ad propria quantotius festinarunt.

Eodem anno adeo insolita et turbulenta tempestas in his regionibus extitit, vt eius vehementia tectum de turri s. Quirini martiris in Nuscia depelleret ipso die Galli abbatis et confessoris. Quod quidem tectum sex homines in ipsorum canonicorum collegio commorantes preter alia damna interfecit. In fine eiusdem anni intentissimum frigus post festum s. Martini episcopi incipiens, quasi

quatuor mensibus perdurauit. Tunc Renus, Masa, Mosella et alia diuersa flumina fuerunt congelata. In die s. Heriberti Colonienses per glaciem ad Tuicium incesserunt. Eodem tempore pisces marini cum intestinis quasi recentibus ad istas partes aduecti fuerunt, quod valde insolitum incolis huius regionis extitit.

Anno domini millesimo quingentesimo quartodecimo medium templi cameratum fuit et nouis picturis decoratum, quod antea simili modo fuerat asseribus obductum per reuerendum Wolfhelmum huius loci tercium abbatem, vt supra patuit.

Anno sequenti super templi nostri turrim nouum tectum erectum fuit cum gyro lapideo in circuitu.

Eodem tempore pestis pectoris intrinseca, que inguinaria dici potest, in his terris vigebat, que plures subditos nostros et fere omnes laboratores infecit, sed et ipsum magistrum lapicidum (sic) infectum extinxit. Eadem quoque omnes fratres conuentuales quasi infecti fuerunt, quorum nonnullos adeo valide inuaserat, vt propter doloris immanitatem spiritum reddere compelleret. Defuncti sunt eo tempore, qui sequuntur scilicet: pater Jacobus Coloniensis pictor librorum, pater **Bartholomeus de Greuenbroich,** qui collegit acta monasterii nostri et abbatum, pater Martinus Kempensis prior, pater Nicolaus Styd..nensis cellarius.

Eodem anno comparatus fuit mons certa pecuniarum summa propter vineas in eo plantandas, qui situs est in dominio Pommerensi, sicut litere desuper confecte latius sonant.

Eodem anno vicini nostri Juliacenses magis inuidia quam ratione moti longo tempore querimonias super defectum aquarum fecerunt contra monasterium nostrum. Quapropter sciendum, quod hic venerabilis abbas fecerat construi ventimolam circa viam versus Regiam uillam nec non alia molendina pro armis militaribus aptand.. scilicet vnum in Ychendorp et duo circa pagum Zynteren atque ibidem vnum pro frumentis et alium (sic) pro oleo, de quibus nos magnum questum habere Juliacenses considerantes inuidebant. Vnde ipsi rusticorum cohortem colligentes iam secunda vice viuaria nostra prope pagum Synteren iacentia in angaria post penthecostes destruxerunt et nonnullos pisces subditis nostris aspicientibus sustulerunt, sed et ipsi damna non euaserunt, quia confractis canalibus[1]) facta

1) In der Handschr.: cannalibus.

fuit inundatio aquarum vehemens, que versus pagum Polym impetuose tendens frumenta ibidem et in circumiacentibus pagis florentia submersit et ferme perdidit. Principales autem superiores eorum rusticorum, qui hoc facinus perpetrarunt, fuerunt scilicet Rabodus de Plettenburch, filius Rabodi de Plettenburch, aduocati in Berchem, Theodericus Reckouen, Mathias Vysmeyster, Wilhelmus Wylderoide dictus de Swaeff, kuechenmeyster. Que violentia siue iniuria ampliorem tristicie dolorem abbati nostro illo tempore minus valido incussit. Nam adeo moleste huiusmodi tulit, vt protestationem in iure valentem per publicum notarium de tantis iniuriis et damnis fieri sollicitaret, vt in ipso instrumento desuper confecto latius patet: secundum quam etiam si diutius vixisset, contra ipsos Juliacenses iuridice processisset. Ceterum cum Colonie propter medicos moram traheret et ipsa egritudo in dies magis cresceret, tandem sacramentis ecclesiasticis se muniri iussit in domo nostra circa latam plateam. Deinde septimo die mensis Julii, postquam deuote missam ibidem a fratre conuentus nostri celebratam audierat, plena adhuc vtens ratione statim spiritum tradidit anno domini millesimo quingentesimo decimo quinto, cum septemdecim annis et fere sex mensibus prefuisset. Hinc igitur defuncti funus adaptatur et a fratribus cellitis ad portam vrbis cum magna ac solemni religiosorum secularium[que] sacerdotum psallentium et orantium processione portatur. Nam excepto secularium sacerdotum cetu, qui centenarium numerum excessisse [1]) creditur, conuentus quoque minorum ac predicatorum nec non vtriusque monasterii ordinis nostri ducatum ei prebuerunt. Deinde super currum positum ipsum funus ad monasterium nostrum comitantibus fratribus conuentualibus ad hoc missis decenter vehitur, quibus conuentus fratrum extra pagum vsque ad quercum cum luminaribus, cruce et aqua benedicta obuiam iuit atque ipsum funus ad templum monasterii honorifice deductum eodem die sepulture tradidit ante altare s. crucis iuxta tumulum dextri lateris primi huius cenobii reformatoris scilicet venerabilis domini Adam de Herctzenroidt.

Cum sacra nobis consulit pagina hominem adhuc in huius miserie milicia certantem ob suam in bonum siue malum mutabilitatem atque victorie incertitudinem nullatenus fore laudandum, at cum

1) In der Handschr.: excedisse.

ipsum certamen optimo ac laudabili fine coronatum fuerit, eiusdem acta nequaquam reticendo.... ad similia imitanda vt predicentur.... hinc occasionem nactus vel pauca laudabilia de huius dignissimi abbatis insigni conuersatione posteris prodere ac literis commendare iustum fore sum arbitratus.

Fuit itaque hic venerabilis vir valde spectabilis in omni conuersatione sua et per diuersa officia monasterii probatus tandem ad dignitatem abbacialem concorditer electus, vt superius declaratum est. Sed et ipsum honore tanto dignissimum fuisse, eius gesta apertius clamant: quoniam nedum laudabilissime ipsum prefuisse, verum etiam notabilissime prefuisse euidentius demonstrant. Erat siquidem in causis monasterii expediendis vigilantissimus, qui, vt constat, adeo sollicitus extitit in augenda monasterii nostri substancia scilicet obligata et deperdita recuperando, ruinam minancia restaurando atque vtilia et necessaria nouiter erigendo, vt pre multis precessoribus suis maximum sibi nomen comparauerit ac egregia posteris et imitatione digna reliquerit monumenta. In tantum quoque iusticiam dilexit iniquatemque odio habuit, vt contra iniuriam non solum homini sed etiam catello factam vehementius exacerbaretur.

Sed et hoc clarius demonstrauit in defendendo iura et priuilegia dominii nostri presertim in principio regiminis sui, quando archiepiscopus Coloniensis Hermannus quartus exigebat certum pecuniarum censum de ceruisia (sic) subditis nostri territorii vendita, que pecunia vulgaritis gruyt gelt nuncupatur. Philippus quoque archiepiscopus successor eius theloneum exegit de vinis nostris, propter quod aliquo tempore dimissa fuerunt in partibus superioribus, donec ipse archiepiscopus predictus literas propria manu signatas mitteret nostro monasterio, quibus plenam libertatem priuilegiorum nostrorum approbauit atque eis vti solito more concessit. Clottenses etiam se opposuerunt priuilegiis nostris antiquis longoque tempore vsitatis et hoc in certis articulis preter illa, que superius commemorata fuerunt. Quibus omnibus nec non diuersis aliis nulla[1]) formidine flexus constantissime restitit allegans sepius, quod mallet collum assere abscindi quam iura et priuilegia monasterii nostri infringi siue annichilari et quod mallet decem florenos exponere pro defensione bonorum

1) In der Handschr.: nullo.

ac priuilegiorum monasterii nostri quam vnum hallensem perpetui redditus de fabrica monasterii perire [1]) etc.

Hic reliquit marsupia pecuniis plena, que inuenerat vacua, ita vt successor eius non haberet necessitatem pro confirmatione accommodare pecunias, sed adhuc superessent sufficientes. Similiter reliquit copiam vinorum et granaria repleta frumentis. Valde namque prouidus et conseruatiuus erat in huiusmodi. Vnde non ipsum in abbaciali dignitate sublimatum varie excedendi occasiones oblate inflectere aut in latam voluptuosorum viam abducere poterant. Non corporis robur, non elegans pulchritudo, non denique status celsitudo cor eius inflammare aut tumidum reddere siue peruertere quiuerant, verum, prout erat vir sacris literis admodum imbutus diuinum timorem assidue ante mentis oculos gerens illud sapientis exhortamentum: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, tenaci memoria reuoluit et opere adimpleuit. In tractandis etenim hospitibus humanus atque facetus, erga fratres vero suos benignus, humilis, consolatorius atque discretus extitit, quos tamen priori monasterii secundum regulam et statuta patrum dirigendos et corrigendos seriosius commisit, eo quod ipse satis abunde in exterioribus negociis occupatus esset. Illos autem, quos pater prior propter rebelliones ac certas malicias siue contra fraternam charitatem regularemque disciplinam notabiles exorbitationes emendare nullatenus potuit, ipse huiusmodi quam maxime odio habens, quamtotius se opportuno [2]) tempore in capitulo representans tales per omnimodum [3]) sancte regule ac euangelii processum scilicet auisatione, exhortatione atque castigatione non precipitanter sed rationabiliter atque prudenter lucrari studuit. Vnde etiam hoc adagium aliquando pro edificatione fratrum proferre solitus erat: si quis iter versus Aquisgranum agere intenderet et deuians tenderet versus Coloniam, certe hic nunquam perueniret ad locum perintensum, quoniam hoc non progredi sed magis retrogradi [4]) esset. Quapropter si optatum attingere locum velit, iam multo difficilius ac molestius ad priorem viam (quam inconsultus reliquerat) remeare eidem necesse erit: sic est, fratres charissimi (experientia docente

1) In der Handschr.: periri etc.
2) In der Handschr.: oportuno.
3) In der Handschr.: omnimodam.
4) In der Handschr.: retrogredi.

magistra), cum quis a recta regularis discipline semita (quam semel per maturam deliberationem ac solemnia vota ingressus est) exorbitare ceperit et aberrare, nunquam ad regna celorum et eterne beatitudinis premia secundum diui Benedicti regulam conuersationem suam ordinantibus pollicita perueniet. Ideoque maiori grauitatis molestia et non mediocri confusione necessario oportebit talem ad rectam virtutum normam regularemque obseruantiam .....[1]) reuerti, si mercedem illam eternam sibi retribui confidit. Hoc itaque quisque caute prospiciat et viam suam secundum labiorum suorum vota prudenter dirigat etc. Illud quoque patriarche Joseph in egipto dominantis dictum sibi vendicans dicere consueuerat: michi fratres charissimi comminatur illa scripture authoritas: nisi adduxeritis fratrem vestrum minimum, non videbitis faciem meam. Quantis autem devotis meditationibus insteterit, ex suis vtique collationibus, quas in summis festiuitatibus ad cetum fratrum facere consueuerat, quando presens in cenobio erat, luculentissime animaduerti poterat. Adeo namque facunde ac feruenter verbum dei non neotericorum more, sed veterum potius autorum Iheronimi videlicet seu Bernardi enunciabat, ita vt audientes in miram spiritus dulcedinem adduceret et non tedio sed magna delectatione afficeret atque ipsi fratres melliflua eius verba ac valde gratiosa amplius sitirent; si igitur illi sapientis admonitioni fidem adhibere fas est, scilicet lingua eucharis in bono homine abundabit, vtique perpendi poterit, non nisi ex corde bono gratia dei referto et ad deum constanter per fidem erecto huiusmodi prodiisse, euangelica quippe attestatur sententia: ex abundantia cordis is loquitur. Cum itaque sacra nos instruat pagina memoriam iusti cum laudibus habendam, certe nullus (vt pie confido) eius probitatem, sinceritatem, religiosamque eius conuersationem cognoscens erit, qui multiplicibus ipsum laudibus esse merito extollendum negabit.

Cuius profecto laudabilis memorie famam quidem sophie filius naturarum atque causarum explorator acutissimus Joannes Keppeler nuncupatus artium magister in ackademia (sic) Parisiensi promotus, aduocatus et thelonearius in castello Koninxdorp eidem precipua familiaritate coniunctus nequaquam latere voluit, verum ob singulares

1) In der Handschr.: penitudo.

virtutes, quibus strenue[1]) claruit, ipsum posteris imitabilem fore hoc sequenti epitaphio obnixe desiderauit.

Reuerendi domini Joannis de Weda huius monasterii trigesimi secundi abbatis (illius nominis primi) epitaphium:

Quam valuere viri sub mitra luce priores
Qui certas mitra collige quisque sequens;
Marthe vita placet certis feruor Magdalene,
Ethereas sedes spectat vterque modus;
Natus Joannes Wed pago proximus abbas
Officio baculi dignus honore fuit.
Quo sibi commissum traheret sublime talentum
Vtque lucri faceret, multiplicauit onus
Respiciens, curtes reparauit prona ruine,
Magnis structuris preuia plura dedit.
Que quanti prestet vel quantum conferat vsu,
Lucet Clottenus laude venusta domus;
Nunc in frumentum primum rapitur mola ventis
Laxanturque mole stantque palude noua,
Delectant multos picte sub marmore forme,
Iam plures celle iam noua tecta patent,
Ne careat pulchra media testudine templum,
De longo et turri culmine cura fuit,
O quam felicis tam sancte virginis aula
Conditur: en viridis pasculis inde viget,
Sed iuuat in sacris dulcis meminisse laboris,
Diuinis aris extulit ille deum.
Consiliis prudens nulla formidine flexus
Constans et iustus vir fuit ille pius
Sidere felici quasi bis Saturnia regna
Vixit et indubie nauita puppis erat.
Virginis in partum iungens tria lustra trecentis
Tentat mercedis nunc properare dies;
Julius in nonis cum Phebo cancer abundet,
Exanimes artus perdere cepit humo.

1) In der Handschr.: strennue.

O mater virgo Christo fac iudice libra
Sit virtute grauis sit leuis ipsa malis.

## Ioannes II. de Lunen, trigesimus tertius abbas

(qui prefuit sedecim annis et octo mensibus).

Posteaquam autem anno domini millesimo quingentesimo quinto decimo nonis Julii venerabilis Ioannes de Weda diem clausisset extremam, fratres mox eodem currente anno hincinde conuocati conuenerunt vna cum aliquot rev. dominis abbatibus aliisque prelatis, vt moris est, pro nouo huius monasterii pastore et abbate eligendo. Electus itaque est pater Ioannes de Lunen ciuitatula Markensi pastorem in Zons agens, qui etiam ante ex cellarii officio assumptus in pastorem ordinatus fuerat. Qui pro sua confirmatione, quam paulo post adeptus est, haud exiguam pecuniarum summam scilicet quadringentos aureos contra nostra priuilegia (quemadmodum etiam eius predecessores aliquoties archiepiscopis eiusque officiariis numerare coactus est. Ordinatus et confirmatus hic venerabilis abbas pro virili collapsa restaurare et integra et sana adhuc conseruare conabatur, sed varias impugnationes et impetitiones a diuersis, qui[1]) monasterio male volebant, scilicet Juliacensibus et domicello Stumell aliisque, quos enumerare longum est, qui nostra bona sibi vsurpare volebant et moliebantur, perpessus est.

Venerandi huius abbatis acta et gesta scripta non sunt ordine (quippe congesta et hic inserta ab eius obitu anno XV) idque partim ex negligentia, partim quod fratres, quibus id negotii dederunt superiores, segniter insciis superioribus egerunt, partim etiam quod quidem id oneris recusarint, iudicantes onus forte grauius, quam cui ferendo sufficerent. Quare ne venerabilis huius abbatis memoria reticeatur et abolescat, cum nequaquam indignus et inutilis huius loci prelatus fuerit, vt ex sequentibus patebit: certe quem multi obseruarunt et venerabilem estimarunt ob morum eiusdem grauitatem, integritatem et sinceritatem paucis insigniora que fecit et edificari curauit tangam, vt leonem ex vnguibus estimari liceat.

1) In der Handschr.: quo.

In primo[1]) eius regiminis anno scilicet millesimo quingentesimo sexto decimo octaua corporis Christi, que cecidit in diem XXIX mensis Maii proprio igne correpta est et exusta domus pistoria et ceruisie coctoria, quam vulgo braxatorium vocant, in fauillam cineremque redacta, vnde versus:

MDX sextum axis dum volueret annum,
Vidimus incensum Bruwylre perniciosum,
Corporis octaua Christi vicesima Maii
Nona fuitque die mediaque incenso[2]) nocte.

In pretacta domo multe fruges exuste, multe quoque delate sunt ad ambitum et alia loca ad conseruandum: que tamen adustionem seruantes[3]) fratres multo tempore coacti sunt pane et ceruisia prenotatam adustionem sapiente victitare. Quantum iacture et damni incendium illud monasterio dederit, cuique coniectandum relinquo. Domus namque illius solaria omnia plena erant frumentis, incendium tamen vt corripuerit etiam vnam turrium minorum ideoque seculares vna cum fratribus tulerunt aquam ad turris maioris ambitum, ad turrim incensam iam extinguendam, alioquin totum monasterii edificium vorax flamma absumpsisset. Domum igitur pistoriam et ceruisie coctoriam nouam in eodem loco construi curauit, non edificandi desiderio, sed heu! magna necessitate compulsus nouam, inquam, domum, quantum ad interius edificium, murus enim tantum post incendium mansit. Nam prioris domus edificium cum fundamentis ab venerabili Adam de Moenchroede anno 1491 extructum est. Inter pretactam domum et templum erat humile tectum absque vllo solario, sub quo[4]) sepeliebantur prebendarii ac vbi nunc porta illa magna cernitur, erat crater ligneus, idcirco hic venerabilis abbas illo tecto et crate predictis demolitis edificari curauit illud pulcherrimum edificium inter templum et domum pistoriam, quod iam temporis ibidem adhuc cernitur.

Hic etiam extrui fecit murum altum inter monasterium et pomerium, in quo due ianue sunt, altera aperit prioratum, vt vocant, altera aperit ingressum ad pomerium.

---

1) In der Handschr.: primis.

2) Ist vielleicht incenso (Bruwylre) abl. absolutus?

3) Die gewöhnliche Ausdrucksweise erfordert den Ablativus absolutus.

4) quo fehlt in der Handschr.

Iste etiam abbas maximam campanam in minori turre ob aliquam aliarum fractionem fundi curauit anno 1518, ne pulsus campanarum minor esset quam ipse inuenerat, vt per eum cultui diuino et ceremoniis detractum diceret nemo posterorumque suorum nullus ex eo exemplum et ansam numerum campanarum minuendi sumpsisse videatur.

Edificari etiam curauit carcerem[1]) hoc est turrim quadrifidam ante monasterii portam pro captiuorum et facinorosorum detentione et custodia, ante cuius ingressum sculptum est: sanctum est nephas punire, anno scilicet 1517. In eius superioribus duo magna cubicula sunt cum suis caminis. Paulo post anno 1519 aliquot malefice apprehense carceri mancipate sunt. Que tandem propria confessione ree morti adiurate inter Bruwylre et Wedersdorp igne sunt concremate.

Anno domini 1520 Carolus quintus Romanorum imperator pernoctauit in hoc monasterio, quando coronandus Aquisgranum peciit.

Anno domini 1522 heresis Martini Lutheri in Hassia et Saxonia suppullulare[2]) cepit, que quia initio in radice abscissa et eradicata non est, in immensam succreuit et dilatata est siluam, vt progressu temporis ramos suos extenderit per totam Germaniam. Omnia monasteria Hassie et Saxonie authore pretacto heretico demolita sunt, monachi et virgines suis monasteriis et sedibus expulsi, bonis et rebus spoliati, vxores ducere vel nubere permittuntur· et coguntur.

Eadem tempestate magnus rusticorum exercitus et concursus extitit in terris superioribus volentium et asserentium communionem omnium rerum seu bonorum negantium quoque superioritatem et sublimiores potestates. Hi cum recusassent tributum pendere, magistratus agnoscere et preterea ui non iure aut ratione que liberet in monasteria, castra, arces, oppida et principes tam seculares quam religiosos molirentur et aggressi essent, fit tandem maxima congregatio tam militum quam peditum ad profligandum iniquum et maleuolum rusticorum exercitum. Qui cominus in terris superioribus certantes atque preliantes rusticorum exercitus profligatus est et cetus sicque eorum conatus et illud diaboli conciliabulum dissipatum. Nostri autem maximam predam inde sustulerunt.

1) In der Handschr.: carcem.
2) In der Handschr.: suppullurare.

Eodem tempore extructa est domus illa quadrangularis Colonie in longo vico iuxta latam plateam pro reponendis et conseruandis frumentis. Nam antea in conductis solariis reponi consueuerant.

Hic venerabilis abbas sacellum in Clotteno pago nostro ruinam minans a fundamentis refici et maius fundatorum amore edificari curauit, siquidem predicta capella ab Rycheza regina extructa est pro commodo suo, vt se ibidem agente absque tumultu populi missas ad nutum faceret celebrari, quas deuote audiret. Et ideo ab incolis reclusorium dominarum dicitur et in turri ex opposito mansisse dicitur, ex qua turri monasterium singulis annis adhuc vrnam vini recipit. Quare pretacta capella in honorem s. Nicolai consecrata erit nobis perpetua nostrorum fundatorum memoria et testis nostre iurisdictionis et priuilegiorum, que in Clotteno habemus, quamuis corpus eiusdem regine per infidelitatem sacellani Colonie depositum sit.

Anno millesimo quingentesimo decimo octauo sub hoc venerabili abbate orta est quedam dissensio et controuersia inter monasterium et communitatem in Clotteno et Franciscum vaidts filium s. Nicolai, ideo simul iure Treueris egerunt, vt ex actis in cista conuentuali inclusis patet. In quibus fere continentur omnia priuilegia nostra per modum rotuli transsumpta. Que controuersia tandem pacifice posthabito iure composita est.

Anno M. quingentesimo decimo octauo ictu fulminis et grandinis vehementis contrite sunt segetes, hoc est siligo et triticum inter Bruwylre et Kirdorp et protendebat recta per Bockelmunt ad Rhenum vsque, ita vt nihil fere in horrea inuehi potuerit. Predictum damnum maleficarum opera et intoxicatione illatum dicebatur; ideo sequenti anno quatuor aut quinque in Danswylre apprehense exuste sunt, vt supra memini, vna autem earum iuxta altam rotam inter Glessen et Sinteren in igne periit. Quantum damni et miserie tunc videbatur, penna et atramento comprehendere haud valeo, ideo id viro industrio perpendendum relinquo.

Hic venerabilis abbas accepit magnam summam pecunie scilicet MCCCC[1]) aureos a diuersis pro vitaliciis, redditibus seu pensionibus annue soluendis (anno scilicet 1525), quam pecuniam archiepiscopo Treuerensi in subsidium contra Franciscum quendam a Sickem[2])

1) In der Handschrift so bezeichnet: XIIIIC.
2) Franz von Sickingen.

diocesim prefatam inuadentem et hinc colligendi exercitus contra rusticos pro exactione numerare coactus est arrestatis vinis.

Sub hoc abbate duo altaria constructa sunt, vnum in honore beati Gregorii pape, alterum in honore s. Huperti confessoris. Et sunt vno die scilicet anno domini 1525 prima die Maii per reuerendum in Christo patrem et dominum Quirinum Cirenensem episcopum domini Hermanni archiepiscopi Coloniensis generalem in pontificalibus vicarium consecrata ad honorem dei omnipotentis et gloriosissime virginis Marie et precipue alterum, quod adheret choro, in honore sanctorum Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronimi, Bernardi, Placidi et sociorum eius decem milium martirum ac vndecim milium virginum, in quo sequentes recondite sunt reliquie, scilicet de sanctis Ambrosio, Augustino, Willibrordo episcopis, de purpurea veste Christi, de societate scilicet Bonifacii pape et martiris, alterum autem in corpore ecclesie precipue in honore sanctorem Huperti episcopi, Cornelii pape et martiris, Cipriani episcopi, Mauricii et Gereonis ac sociorum eorundem martirum, Erasmi episcopi et martiris, Adelberti episcopi et martiris atque Seuerini episcopi, In quo sunt he reliquie recondite, scilicet sanctorum Huperti, Cornelii, Willibrordi, Gereonis et Mauricii, Catharine, Barbare, XI milium virginum, de purpurea veste Christi, de societate s. Bonifacii pape et martiris.

Concessit quoque idem reuerendus antistes omnibus christifidelibus quinque pater noster totidemque Aue Maria dicentibus contrito corde atque deuoto ante quodlibet predictorum altarium siue ad vtrumque in dedicatione ecclesie et quatuor principalioribus festiuitatibus scilicet natiuitatis christi, pasche, penthecostes et assumptionis Marie semper virginis eiusque festiuitatibus singulis similiter itemque patronorum eorundem altarium, insuper et sacerdotibus in eisdem celebrantibus in solemnitatibus supradictis octoginta dies indulgentiarum de penitentiis sibi iniunctis in domino nostro Ihesu Christo relaxando[1]).

34. Abbas fuit Hermannus a Bochum. 35. Abbas Andreas Munsterus Agrippinas. 36. Heribertus Artopaeus. 37. Dionisius

1) Von anderer Hand iſt unten bemerkt: sequuntur aliqua que in aliis libris habentur. Auf der letzten, ſonſt unbeſchriebenen Seite finden ſich die Worte: Acta *abbatum* vsque ad 33 Joannis de Lunen 9 regiminis annum dom. 1525 inclusiue.

Lieck. 38. Joannes Cobelentz Agrippinas. 39. Casparus Rödingen Agrippinas. 40. Joannes Munch. 41. Joannes Mertzenhausen. 42. Nicolaus Schöngens. 43. Philippus Rewerus. 44. Martinus Klingen. 45. Alexander de Richterich. 46. Mathias Francken. 47. Edmundus Schmitz Agrippinas. 48. Matthias Grein. 49. Beda Groten Agrippinas, qui haec scripsit et addidit 1755, 30. Maii, † 1756[1]). 50. Amandus Herriger ex Junkerstorf, † 1778. 51. Anselmus Aldenhoven, Montensis ex Warth electus 1778, † 1810, 15. Junii anno aetatis 78. Sub ipso abbatia per Gallos antichristianos anno 1802 suppressa est.

---

## Bemerkungen zu der Brauweiler Chronik.

Der Verfasser der vorstehenden Chronik ist in dem Manuscripte nicht genannt, wohl aber der Verfasser einer umfassenden Bearbeitung, die ihm vorlag. Dieser hieß nämlich Bartholomeus Grevenbroich und war Mönch zu Brauweiler. Er wird p. 159 genannt: primus huius operis collector; p. 314 heißt es: defunctus est pater Bartholomeus, qui collegit acta monasterii et abbatum.

Bartholomeus Grevenbroich lebte im 15. und im Anfange des 16. Jahrhunderts; im Jahre 1474, als Karl der Kühne Neuß belagerte, war er Diakon (p. 278). Er spielt einige Male in der Chronik mit, jedes Mal in einer für ihn unerquicklichen Situation. Er ging an der Seite des Abtes Adam von Hertzenrath, als dieser in den Straßen Kölns von einer Tuchverkäuferin so unbarmherzig angegriffen wurde. Unter dem Abte Adam von Münchrath hatte er an der Königsstraße, in der Nähe von Königsdorf, die Reliquien des gleichnamigen Klosters auf einem Tische schön aufgestellt und zeigte dieselben den Pilgern, welche nach Aachen gingen, als ein heftiger Sturmwind heranfuhr und die Reliquien sämmtlich auf den Boden schleuderte.

---

1) Das Abts-Verzeichniß von Nr. 34 bis 49 rührt von einer und derselben späteren Hand, von der Hand des Abtes Groten her.

Unter demselben Abte war ein Graf von Reifferscheidt, von vielen Gefährten begleitet, in das Brauweiler Klostergebiet eingebrochen und hatte das abteiliche Vieh, so wie das Vieh der Unterthanen, Schafe, Kühe und Schweine weggeführt und auf sein Schloß Dyck gebracht. Am anderen Tage, am Tage der Eilftausend Jungfrauen, schickte der Abt zwei Brüder auf das Schloß, um den Herrn von Reifferscheidt zur Rede zu stellen; es waren unser Bartholomeus und Heinrich Oedt. Das war kein angenehmes Geschäft; die Beiden fürchteten sogar für ihre Haut. Wie es ihnen erging, kann man in der Chronik lesen (p. 281). Bartholomeus Grevenbroich starb im Jahre 1515 an einer im Kloster und in der Umgegend herrschenden Unterleibs-Krankheit.

Die Chronik befindet sich in einem Foliobande; sie beginnt mit der Gründung des Klosters und geht bis zum Jahre 1525. Unser Abdruck beginnt mit dem ersten Abte Ello. Was in unserem Manuscripte diesem Abte vorausgeht, ist großentheils anderwärts gedruckt, unter Anderem in den Fontes von Böhmer, pars III; Herr Dr. Papst in Berlin wird daraus in den Monumenten von Pertz Mittheilungen machen und auf die eigenthümlichen Theile unserer Chronik hinweisen.

Was die Quellen der Chronik angeht, so sind dies zunächst die Urkunden des Archivs gewesen, welche an unzähligen Stellen nach Abtheilung und Nummer angegeben werden; sie werden entweder ganz, dem Wortlaute nach, oder kurz, im Auszuge, mitgetheilt. Ferner werden als Quellen angegeben ein Liber fundationis, Chronica Coloniensum, ein vetustus libellus, in quo altaria habentur descripta.

Diejenigen Ereignisse, welche in die Zeit des Bartholomeus Grevenbroich und seines Fortsetzers und Bearbeiters fallen, beruhen auf gleichzeitiger Aufschreibung. Es hat auch in Brauweiler ein Copiarium gegeben, welches p. 223 erwähnt wird.

Der Inhalt der Chronik ist außerordentlich reich; sie veranschaulicht uns vor Allem die verworrenen und unsicheren Zustände des vierzehnten, fünfzehnten und sechszehnten Jahrhunderts. Wir machen noch auf einige Einzelheiten aufmerksam. p. 158 befindet sich ein Brief des berühmten Abtes Ruprecht von Deutz, in welchem er die Frage, ob auch die Mönche die gewöhnlichen Functionen der Weltgeistlichen: Predigen, Beichthören, Taufen u. s. w., verrichten dürfen, bejahend beantwortet.

Unter dem Abte Amilius kommt der Abt Bernhard von Clairveaux von Köln aus nach Brauweiler, begleitet von einer dichten Menge

kölner Bürger; er begibt sich sofort in die Klosterkirche und verehrt an dem Hauptaltare knieend und mit ausgestreckten Armen den h. Nikolaus, den Patron von Brauweiler.

Der siebenzehnte Abt, Heinrich von Rennenberg, unterhielt eine vertraute Freundschaft mit Albertus Magnus; dieser berühmte Dominicaner ist gewiß manches Mal von Köln aus nach dem nahen Brauweiler gewandert. Abt und Mönche waren in Streit gerathen, und Albertus Magnus, der bekanntlich als Friedensstifter bei so vielen wichtigen Zerwürfnissen angerufen worden ist, sollte auch hier als Schiedsrichter entscheiden; er schreibt (p. 193) einen Brief an Mönche und Abt, in welchem er seine Entscheidung suspendirt und sich dahin ausspricht, daß die Verhältnisse noch fünf Jahre, wie sie lagen, unverändert bleiben sollten.

Die Chronik berichtet auch über den Bauernkrieg vom Jahre 1525; sie verdammt das Unternehmen der Bauern und nennt es eine Eingebung des Teufels. Der Abt von Brauweiler muß eine bedeutende Summe an den Erzbischof von Trier geben, um ein Heer gegen Franz von Sickingen und die Bauern aufzubringen.

Das Kloster Brauweiler ist auch von deutschen Kaisern besucht worden. Im Jahre 1505 am Urbanstage kehrte der Kaiser Maximilian im Kloster ein. Er kam von Köln und wollte nach Caster, wurde aber wegen des wüsten, regnerischen Wetters veranlaßt, ins Kloster Brauweiler einzukehren. Er ging zunächst in die Kirche und betete. An das Grabmal der Stifter des Klosters geführt, machte er bittere Bemerkungen über die Vernachlässigung desselben. Als der Abt, welcher verreist war, zurückkehrte, ließ er das Grabmal herstellen und durch Inschriften und Malereien ausschmücken. Der Kaiser nahm im Kloster einige Erfrischungen. Als die Mönche Klage führten, daß durchziehende Soldaten dem Klostergebiete vielen Schaden zugefügt hätten, wies er sie an, einige Mönche mit nach Caster zu schicken, wo er zu übernachten gedenke; und der Kaiser gab dort den Mönchen ein Privilegium, nach welchem die kaiserlichen Soldaten, die das Klostergebiet betraten, geheißen wurden, dasselbe sofort zu verlassen. Karl der Fünfte übernachtete in Brauweiler auf seiner Krönungsreise nach Aachen im Jahre 1520.

Es gibt noch eine zweite Handschrift unserer Chronik, welche weiter geht, als die mir vorliegende; sie hat Einzelnes, was unsere Handschrift nicht hat, und umgekehrt.

In Folgendem theile ich einige Textes-Abweichungen mit:

p. 169, Z. 24 ist nach der zweiten Handschrift zu lesen: alienationem; p. 173, Z. 11 von unten hat die zweite Handschrift quantus statt qualem; p. 177 marcis ponderosis; p. 181, Z. 5 von unten verum etiam; p. 184, Z. 20 von oben quod statt at; p. 187, Z. 14 u. 15 gravamen statt gravemini; Z. 21 nach dem Worte terris: vos restrinxerit; p. 192, Z. 26 hat auch die zweite Handschr. exhibitum; p. 196, Z. 18 hat die zweite Handschr. pascebat; p. 204, Z. 23 hat auch die zweite Handschr. domino; Z. 25 quando statt qui; Z. 26 vitae u. tutae; p. 205, Z. 3 hat die zweite Handschr.: compromissariis per viam compromissi simplicis; p. 207, Z. 33 sanctam; p. 208, Z. 1 von unten exhibendo plus; Z. 4 v. u. damnum non modicum et gravamen; p. 209, Z. 17 ad avisationem; p. 210, Z. 23 ist zu lesen confratrem statt confratem.

p. 213, Z. 6 ist zu lesen cogebatur; Z. 21 hat die zweite Handschr. vineis statt vinis; Z. 37 1320 statt MCCC; p. 215, Z. 4 exequiis exhiberi posse; dann cum tum pretiosissima fuerint statt que tum preciosissima fuerint; Z. 22 obrizo statt obriso; p. 217, Z. 7 nach dem Worte sexto in der ersten Handschr. Auione, in der zweiten Avinionae; p. 220, Z. 14 steht in der zweiten Handschr. sub. litera P. 2510; p. 222, Z. 32 steht in der zweiten Handschr. factam; p. 236 steht in der zweiten Handschr. poenae statt des conjicirten periculo; p. 238, Z. 19 steht in der zweiten Handschr. denariis; p. 258, Z. 36 steht in der zweiten Handschr. pachtarium statt perticarium; p. 259, Z. 22 in zweiter Handschr. Schlender; p. 262, Z. 5 amica statt auita; p. 274, Z. 11: 64 den. 2 hallens.

# Chronicon monasterii Campensis ordin. Cisterciensis

ex originali edidit manuscripto

**Hermannus Keussen.**

## Cathalogus Abbatum Campensium.

Fundatio monasterii de Campo Cysterciensis ordinis. Coloniensis yocesis. sub anno gracie millesimo centesimo. vicesimo secundo. redie kalendas februarii inchoati. cum serie annorum. ac aliquarum iemorabilium rerum noticia. per singulorum eiusdem loci abbatum iccessiones. sicut in scriptis seniorum et predecessorum nostrorum. ec non in quam pluribus litteris super diuersis causis per decursum mporum confectis repperitur usque ad annum millesimum qua-ingentesimum LXXXIIIII scire cupientibus summatim sequenti ripto panditur[1]). quatenus et ipsi studiose et diligenter. in eodem onasterio in posterum deo seruituris. per ordinem temporum que cta fuerint nota facere non omittant. quatenus ipsis vtilitas inde usetur et preteritarum rerum cognitio non lateat. ne ea que ge-ntur in tempore cum lapsu temporis pereant. cum spe vtile cau-mque fuerit. litteris tradi vtilia negotia. maxime ideo quia dies ali et breues sunt et presens etas requirit. vt si contra rem estam aliqua consurgat dubietas vel malignorum inuidia. rei veri-tem et noticiam litterarum eloquia protestentur.

Anno igitur ab incarnatione domini millesimo nonagesimo octauo. ystercium. prima et principalis abbatia ordinis accepit exordium. ab beato patre Roberto. eiusdem monasterii primo abbate. Ex hac

1) Die letzten Zahlen XII resp. XIII sind später mit anderer Dinte nachgeschrie-n worden. Die Chronik wurde also wohl nach 1470 begonnen und im Jahre 1-er 1483 vollendet.

igitur abbatia Cysterciensi. tamquam ex vite vera quam dextera domini in atrio ecclesie plantauit. quatuor in exordio prodierunt palmites. videlicet quatuor ordinis principalia monasteria. Quorum primum scilicet Firmitas fundatum fuit anno domini MCXIII. secundum Pontigniacum anno MCXIV. tercium Clarauallis anno MXV[1]). quartum Morimundus eciam anno MCXV. Per ista quatuor monasteria vinea domini sabaoth in Cystercio plantata extendit palmites suos per multorum monasteriorum fundationes vsque ad mare et vsque ad fines terre dilatata est feliciter[2]).

## Ordo Templariorum.

*Circa hec tempora ordo templariorum incepit. qui primo albis usi sunt mantellis. et rubram crucem superpositam portauerunt fueruntque Hugo et Sanfredus primi fundatores eius. et sanctus Bernardus abbas regulas eorum composuit. habitaueruntque primo iherosolumis in porticibus templi iuxta sepulchrum domini. vnde et Templarii dicti sunt. Et stetit ordo ille per ducentos ferme annos et deletus fuit anno domini 1307. Item ordo sancti Johannis baptiste Jherosolimitani inchoatur hoc tempore per venerabilem virum Raymundum operibus maxime deditum. Hii vouent se pauperibus seruituros*[3]).

In monasterio itaque Clareuallis. primus abbas fuit sanctissimus pater Bernardus ex Cystercio illic in prima sui fundatione cum nouo conuentu directus. qui quamuis primus pater et inchoator ordinis non fuerit. tamen sanctitate et miraculis precipuus habetur.

In monasterio vero Morimundi primus abbas fuit dominus Arnoldus qui cum beato patre Bernardo sub vno preposito iugum domini in sacro ordine pluribus annis portauit. qui tandem relinquens regimen monasterii Morimundi irreuocabili proposito visendi loca

1) Hier iſt offenbar durch die Nachläſſigkeit des Schreibers ein „C“ ausgelaſſen worden.

2) Caesar. Heisterbac. (ed. Strange) hat dem Schreiber zur Quelle gedient; denn I, S. 6 findet ſich dieſer Abſchnitt faſt wörtlich wieder. Auf der Bibliothek des Kloſters waren um jene Zeit die Homelien Cäſar's im Manuſcript vorhanden, wahrſcheinlich auch der Dialog.

3) Spätere Zuſätze im Conterte oder am Rande, theils von der Hand des Chronikſchreibers, theils von fremder Hand, haben wir durch ſchräge Schrift überall kenntlich *gemacht.*

sancta in Jherusalem cum quibusdam fratribus secum assumptis iter arripuit. Quem nec beatus Bernardus in epistola ad eum scripta reuocare potuit. Quapropter nulla eius memoria in cathalogo abbatum Morimundi fieri probatur. sicut in anniuersario obitus aliorum abbatum die ex statuto ordinis fieri solet.

*Anno domini M° C° XX°. Premonstratensis ordo incepit per virum dei Norbertum postea Magdeburgensem archiepiscopum et habet cappas albas apertas. more habitus nouiciorum Cisterciensis ordinis.*

*Anno milleno centeno bis quoque deno.*
*Sub patre Norberto Premonstrati viget ordo.*

## De fundatione monasterii Campensis.

Anno itaque ab incarnatione domini millesimo centesimo vicesimo secundo *(presidente ecclesie Romane Calixto papa II° regnante in Romano imperio Henrico quarto II. kal. februarii)*[1] reuerentissimus dominus fredericus archiepiscopus Coloniensis pro honore dei et diuini cultus augmentatione a venerabili viro domino Arnulpho qui eo tempore monasterio Morimundi abbas laudabiliter prefuit. conuentum nouum duodecim monachorum cum abbate terciodecimo. pro noua fundatione monasterii Campensis sibi transmitti postulauit et obtinuit. quos ita transmissos benigne suscipiens in palatio suo Colonie tamdiu retinuit donec eis in episcopatu suo de loco competenti prouidit. Cuius prouisionis seu fundationis tenor sequitur et est talis[2]. — — — Talis itaque ac tanta fuit donatio reuerendissimi

1) Dieſe Worte ſind ſpäter auf dem Rande nachgetragen worden.

2) Hier folgt die bereits bei Miräus I, S. 275, Binterim und Mooren III, S. 88, und bei Lacomblet I, 297, abgedruckte Stiftungs-Urkunde, von deren Wiedergabe, trotz der mannichfachen Fehler, die ſich bei den beiden erſtgenannten Herausgebern vorfinden, hier abgeſehen wird. Auch im Chronikon fehlt, wie bei den Herausgebern, der Schluß der Urkunde. Das Campener Copialbuch hat unter der Vidimirung dieſer Urkunde noch folgende Notiz: „Anno ab incarnacione domini millesimo centesimo vicesimo secundo pridie kal. februarii presidente ecclesie romane Calixto papa secundo. regnante vero in romano imperio henrico quarto reuerendissimus dominus Fredericus archiepiscopus Coloniensis fundauit monasterium nostrum Campensi Cicerstiensis ordinis. Obiit vero anno domini millesimo centesimo tricesimo ipso die sanctorum crispini et crispiniani martirum in monasterio Sybergensi ordinis sancti benedicti sepultus.“ Die Erzählung vor der Urkunde ſtimmt faſt wörtlich mit dem Chron. magn. Belg.

domini frederici Coloniensis archiepiscopi in fundatione primaria monasterii Campensis. Obiit vero anno domini millesimo centesimo tricesimo ipso die Crispini et Crispiniani martirum. Et in monasterio Sibergensi ordinis sancti Benedicti sepultus.

Successu vero temporum prefatum monasterium amplioribus possessionibus et priuilegiis ex concessione diuersorum pontificum. liberalitate et largitione principum. ac donatione fidelium domino prouidente dinoscitur sublimatum.

*Campe vetus, veteres dum te rexere parentes,*
*Tunc tua simplicitas digna fauore fuit.*
*Defunctos patres sequitur zelosa iuuentus,*
*Sub qua consurgit relligionis honos,*
*Disciplina decens rerum et custodia solers*
*Te facient celebrem iam mage quam fueras*[1]).

## Anno M°C°XXII°.

Primus abbas Campensis venerande memorie dominus Henricus cepit anno domini M°C°XXII° et quindecim annis laudabiliter prefuit. *Obiit in festo annunciationis dominice 1137.* Iste fuisse dicitur frater germanus domini Arnoldi primi abbatis Morimundi. qui nimio desiderio et irreuocabili proposito visitandi loca sancta in iherusalem. cura sui monasterii improuide derelicta cum aliquibus fratribus secum assumptis iter arripuit. vt superius dictum est.

---

1) Der Schrift nach ſtammen dieſe Verſe aus dem 17. Jahrhundert. Auf einem eingehefteten Zettelchen ſtehen noch folgende, die erſten aus dem 16. Jahrhundert, die anderen aus dem Jahre 1622:

Campe vetus, veteres dum te rexere scientes,
Norma boni salua, causa cuiusque fuit.
Defunctis patribus successit ceca iuuentus
Quorum consiliis precipitata ruit
Disciplina decens et rerum copia multa
Heu princeps patrie. mater honesta iacet.

Campe vetus, veteres dum te rexere parentes,
Norma piae simplex relligionis eras.
Defunctis patribus successit cauta iuuentus
Huius consilio stabis et auxilio
Disciplina decens rerumque inopia gnarum
Te facient Pater ut sis modo, qui fueras.

*Düx.*

A primis igitur annis Cysterciensis ordo in Campo plantatus laudabilibus profecit virtutum incrementis. et numerositate personarum. Peruenit quoque fama sacre religionis ad aures principum et nobilium. qui missis legationibus petebant sibi ex eodem nouos fratrum conuentus transmitti pro construendis nouis abbatiis in terris et dominiis ipsorum. vnde factum est vt successu temporis plures emitterentur conuentus de monasterio Campensi. de quibus postmodum vidit filios filiorum in multas generationes.

## De fundatione monasterii in walkenreda.

Anno domini millesimo centesimo vicesimo octauo. XIII° kal. februarii fundata est abbatia de walkenreda in thuringia. moguntinensis dyocesis. filia nostra prima. Cuius primus abbas vocabatur Henricus.

*Anno dom. m°. c°. v°. o°. XIII° k. febr. f. est abbatia de walkenreda moguntinensis dyocesis ab honorabili et nobili matrona Adelheyde comitissa de Clettenbergh.*

*Que ex diuina inspiratione magnoque religionis desiderio cum decenti comitiua perrexit invisere loca sanctorum in Colonia et Aquisgrano atque in Nussya. Ibique constituta. vidit quosdam monachos Campenses in habitu religioso deuote incedentes. audiensque noue religionis famam per beatum Bernardum qui tempore illo multis miraculis claruit inchoatam. prefatum monasterium Campense deuote adiit. atque cum magno desiderio. nouum conuentum fratrum. pro fundatione monasterii instanter petiit et obtinuit. Quem in loco non procul a castro suo iuxta Harthonem in confinibus thuryngie et Saxonie collocauit. in loco qui dicitur walkenreda. Cuius primus abbas vocabatur Henricus.*

## De fundatione monasterii in volkolderode.

Anno domini millesimo centesimo XXXI° VIII° kal. octobris fundata est abbatia de wolkolderade in thuringia moguntinensis dyocesis filia nostra secunda. Eius primus abbas vocabatur Engelbertus.

*Anno domini millesimo centesimo XXXI° VIII° kal. Octobris f. c. a. de volkolderade moguntinensis dyocesis in Thuringia. filia monasterii Campensis secunda. Cuius fundatrix extitit quedam illustris femina Helynburgis nomine. comitissa de progenie comitum de Glychen. habens castellum quondam in loco p[illegible]*

*monasterii. vbi nunc ecclesia maior consistit. et in eodem castello erat capella sancti laurencii. Quam capellam cum castello. et adiacentibus bonis. primo dederat conuentui monachorum sancti petri nigri ordinis. Qui miserunt ibi aliquos monachos paruo tempore ibi manentes propter penuriam imminentem. Cumque illi pre nimia paupertate. ibi diutius manere non possent. resignauerunt locum predicte comitisse. que tunc contulit eum abbati et monachis de Campo Cisterciensis ordinis cum castello et capella memoratis. Qui mittentes aliquos de fratribus suis. ceperunt disponere locum ad modum claustri siue monasterii. Quod videns predicta comitissa letabatur. et cepit de redditibus et expensis propriis edificare monasterium quod vsque nunc manet deo conseruante. Cuius primus abbas dicebatur Engelbertus. cum nouo conuentu de monasterio Campensi emissus. Vocatur autem idem monasterium Volcolderade. eo quod in nouali volkoldi sit constructum. qui volkoldus ibidem colonus terre fuerat. et exstirpator silue. vnde et monasterium partim a suo nomine. partim a suo labore vocabulum sumpsit.*

## De fundatione monasterii veteris montis.

Post hec anno domini millesimo centesimo XXXIII° adhuc de Morimundo missus est nouus conuentus ad partes Reni pro fundatione abbatie de Bergis. que alio nomine vocabatur „vetus mons“. que disponente domino per venerabilem virum Euerardum fratrem germanum domini Adolphi eo tempore comitis montensis tali occasione fundata fuit. Ipse namque prefatus Euerardus adhuc seculo militans. in quodam bello grauiter in capite vulneratus. et ne caperetur aut occideretur fugam arripiens vix euasit. Vnde verecundiam concipiens mutato habitu. relicta domo. opibusque paternis. clam peregre profectus. limina sanctorum apostolorum petri et pauli Rome sanctique Jacobi in Hyspania. ac aliorum sanctorum ecclesias et memorias deuote visitauit. Tandem ad franciam deueniens in prefato monasterio Morimundi tanquam peregrinus et alterius nationis et lingue sancte conuersationis habitum in statu laicali obnixe petiuit et accepit. Cui pro opere pascere porcos iniunctum fuit. Tandem interiecto aliquanto tempore. a duobus seruitoribus patris sui. qui per franciam transientes ad sanctum Egidium ex voto tendebant. casualiter *in siluis* pascens porcos inuentus et agnitus est. Qui statim

bbatem ipsius accedentes quis et qualis esset studiose indicauerunt. uo audito abbas et fratres monasterii mirati et gauisi fuerunt. Et ia doctus et literatus erat ablato priori habitu. ipsum in monachum estierunt et totonderunt. Deinde domino disponente et fratre suo dolpho comite instante. cum nouo conuentu fratrum transmissus d natale solum de parte patrimonii sui fundatum extitit monasteium veteris montis in comitatu montensi. non longe a Colonia[1]). reterea inter Abbatiam Campensem et abbatiam Bergensem tam ropter situationis vicinitatem. quam propter originis germanitatem olim semper perseuerauit fraterna familiaritas et caritatiua comunitas[2]).

## De fundatione monasterii Amelungesborne.

Anno domini millesimo centesimo XXXV° fundata est Abbatia Amelungesborne in Saxonia Hildensemensis dyocesis filia nostra rcia. cuius primus abbas vocabatur Henricus.

*Hanc Abbatiam fundauit Sygefridus comes de Bomelborch in onore sanctissime dei genitricis marie et sancti pancracii martis. Obtinuitque prefatus comes deuotis precibus a monasterio ampensi conuentum fratrum cum abbate XII° kalendas decemris. Habetque idem monasterium vocabulum a quodam heremita ondam habitatore loci. et aqua adiacente. et dicitur quasi Amengi aquã. sc. Amelongesborn.*

## De grangiis Wylicka et Gumbretsheim.

Anno domini millesimo centesimo tricesimo septimo. duo nobiles einerus et Reymundus milites, seculum presens in maligno positum linquentes et monachilem habitum in Campo assumentes. elegerunt agis deo seruire quam mammone. Quorum vnus grangiam quam bemus in wylike et alter curiam que dicitur Gumbretsheim in nuersione sua nostre ecclesie Campensi vnanimi consensu absque icuius contradictione contulerunt[3]).

---

1) Diese bekannte Erzählung ist aus der Chronik des Klosters Altenberg geschöpft ıd durch den Druck schon mehrfach bekannt. Vgl. auch Manrique Annales Cisterc. 197. Lacomblet, Archiv, III, 37.

2) Dieser Schlußsatz findet sich ähnlich bei Miräus.

3) Vgl. Annal. des histor. Vereins I, S. 110.

M° C° XXXVII°.

Secundus abbas Campensis Theodericus I. qui cepit anno millesimo centesimo XXXVII° et prefuit vtiliter annis quadraginta. *(obiit X° kl. iunii sc. in die sancti desiderii martiris)* [1]).

*Item eodem tempore quedam nobilis matrona nomine Godehildis et alii fideles donauerunt monasterio Campensi quedam bona in villa de Honepel. que modo in possessione non habemus.*

*Item eodem tempore habuit monasterium plura bona in Hangeslar prope Honepel et kalkar. de quibus pronunc nichil constat quamuis literas habemus. (eas adhuc habemus sed sine fructu)* [2]).

Anno domini millesimo centesimo tricesimo octauo quidam nobilis dictus Theodericus de Ulfft donauit monasterio Campensi curtem magnam in Goterswick. quam nobis eodem tempore incorporauit et ratificauit Arnoldus archiepiscopus Coloniensis. sub litera et sigillo suo. Item sicut ex relatione seniorum nostrorum accepimus. temporibus angustie quum monasterium propter diuturnas et graues guerras de quibus postea habetur fuisset dampnificatum in multis milibus florenorum, predicta curtis cum sua capella et quibusdam reliquiis in capsa eburnea inclusis impignorata fuit a capitulo ecclesie Ressensis pro quadam summa pecuniarum. que certo et denominato die ante pulsum vesperarum. ipsis in sua ecclesia persolveretur. sub tali pena quod si tali tempore non solueretur. monasterium omni iure priuaretur. nec postea redimi deberet. Prefixo igitur solutionis die Campensibus cum prefatis pecuniis in Reno appropinquantibus Ressenses callide cogitantes pulsum vesperarum suarum anticipauerunt pulsantes secunda hora cum tamen antea tercia hora pulsare consueuerant et eos ita preoccupauerunt. Et ex hoc mote fuerunt lites inter vtrosque. que tamen postmodum per quandam compositionem fuerunt sopite [3]).

Et sic pronunc nichil iuris in eadem habemus quamuis originalem literam de donatione prefata adhuc integram et sanam habemus.

---

1) Späterer Nachtrag von anderer Hand.

2) Letzterer Zusatz gehört einem Nachtrage des 17. Jahrhunderts an. Die betreffende Urkunde des Abtes Theoderich ist im Copialbuch vorhanden. Sie wird in den Campener Urkunden abgedruckt.

3) Am Rande steht die Bemerkung: Vacat. Vgl. Lacomblet. N. U. I, 328.

## Priuilegium Innocentii pape II.

Anno domini millesimo centesimo XXXIX° Innocentius papa secundus ad quem beatus Bernardus plures scripsit epistolas confirmauit omnes possessiones et quecunque alia bona presentia et futura que monasterium Campense iuste possidet ex concessione pontificum. largitione regum. liberalitate principum. oblatione fidelium. seu aliis multis modis et specialiter bona in Gumbretshem Honepul Goterswick. Item vt dictus locus liber sit ab omni seruitute seculari et exactione. sicut fridericus archiepiscopus Coloniensis fundator monasterii constituit. Item vt pro generali parochie interdicto dictum monasterium a diuinis cessare non teneatur. Item vt dictum monasterium nullus perturbare. aut eius possessiones auferre ablatas retinere. seu exactionibus fatigare audeat. contrarium faciens potestatis honorisque sui dignitate careat. et a corpore et sanguine domini alienus fiat [1]). *(Huic bulle subscripsit ipse Innocentius et omnes cardinales sicut adhuc patet intuenti.)* [2]).

## De fundatione monasterii Harswitehusen.

Anno domini millesimo centesimo XL° fundata est abbatia de Harswitehusen in westphalia. paderburnensis dyocesis. filia nostra quarta.

*Item monasterium de Harswitehusen fundauit recolende memorie. reuerendus dominus Bernardus de ozede episcopus ecclesie Paderbornensis. qui deuoto rogatu nouum conuentum de monasterio Campensi illuc adduxit. Cuius primus abbas vocabatur Daniel.*

Circa idem tempus Abbatia Campensis locum in Aulesberch. qui alio nomine Heghena vocatur. accepit in possessionem.

## De tribus conuentibus missis in Heghena.

Ad quem locum tres conuentus singillatim sibique succedentes sunt emissi de Campo. Quorum primus aliquamdiu moratus est in lombach. *(inde transiit Ryffensteyn)* [3]).

1) Vgl. Lacomblet. N. U. I, 332.
2) Späterer Zusatz.
3) Späterer Zusatz.

Secundus conuentus post habitationem in aulesburch siue Heghena moratur in lapide sancti michaelis. Tercius conuentus de Heghena rediit in Campum. Ad vltimum vero anno domini M°C°LXXXVIII° missus est ibidem conuentus de Bergis siue veteri monte qui ibi permansit *(et profecit)* [1]).

*Anno domini 1140 cepit ordo sancti Johannis Jherosolmitani tempore honorii pape II. a venerabili viro Raymundo maxime operibus dedito. Et valde creuit ordo ille. Et vovent se pauperibus seruituros. Iste ordo successit templariorum qui cepit anno M°XCVIII° et deletus fuit propter certas abhominationes anno M° CCCVII° et habuerunt statuta siue regulas a beato Bernardo conscripta que modo seruat ordo sancti Johannis.*

## De fundatione lapidis sancti michaelis.

Anno domini millesimo centesimo quadragesimo sexto fundata est Abbatia de lapide sancti michaelis in Saxonia Halberstadensis dyocesis filia nostra quinta.

*Nouerint tam presentes quam futuri. Quod conuentus qui edificauit monasterium lapidis sancti michaelis Halberstadensis dyocesis in Saxonia. primo directus fuit ad Hessoniam. siue Hassyam. ad locum qui Aulesborch et alio nomine Heghena dicitur. deuenit. In quo a comite poppone et sua uxore Bertha. a quibus fuerant inuitati. et eorum amicis satis liberaliter sunt suscepti. et aliquantum temporis in eodem statu pertransiit. Sed secus quam sperauerant euenit. Siquidem sicut ait euangelista. Omnis homo primum bonum vinum ponit etc. sic itaque comes iste. homo cum esset. bona proposuit. bona spopondit. que nec finetenus tenere potuit. vel voluit. Per decennium itaque multis incommoditabus in predicto loco a monachis est laboratum. nec in spe. nec in re aliqua melioratio est subsecuta. Ea propter locum deserere compulsi sunt et sibi commodam habitationem inquirere. Et prefatus comes possessiunculas eiusdem monasterii. suo iuri mancipauit. et monachos cum solo simplici vestitu abire permisit. Quia ergo nichil vehiculorum aut iumentorum ipsis concessum est. cum tamen plus quam. quinquaginta persone diuerse etatis essent. claudi miserabiliter*

1) Späterer Zuſatz.

*incedebant, ceci ducatum querebant. senes imbecillitatem suam baculo sustentabant. iuniores et vegetatiores sub mole vestium grauiter desudabant. omnes simul docti et indocti locum predictum relinquebant. Hessonie deinde fines transientes. thuryngiam perueniunt. quid aduersitatis ipsis in via occurrerit cum cauma esset non est facili dictu. Tandem ad monasterium Walkenreyda peruenerunt. vbi per triduum a domino Henrico abbate retenti sunt et humane pro caritate recreati. Nec eos sine consolatione abire permisit. sed centum vlnas panni in commune omnibus dedit. insuper vnicuique ciphum regularis mensure tradidit. Erant enim vt est predictum in numero plusquam quinquaginta. cum abbate suo nomine Rutghero. Sicque profecti Saxoniam intrauerunt. transito nemore quod vulgo Hart vocatur ad locum venerunt sibi determinatum. quem antea multi religiosi inhabitauerant. qui mons volcmanni dicitur. Sed tunc mediante domina Beatrice abbatissa Quedelingeburgensis ecclesie. ob eterne recompensationis gratiam monachis Campensibus Cysterciensis ordinis est donatus et confirmatus ad inhabitandum et deo sub monastica et regulari disciplina seruiendum. Sed quia predictus locus in monte volcmanni. alio nomine dictus lapis sancti michaelis in quem primum congregatio illa monachorum locata fuit. non monachorum. sed heremitarum habitationi congruit. vti quilibet discretus perspicere potest. Congregatio enim vel conuentus ex magnis et paruis constat. robustis et imbecillibus. vnde loci habitudinem in quo edificia et cetera vsui necessaria haberi possunt requirit. que nullo modo in tam arto et horribili monte haberi possunt. vti in presenti cernitur. Siquidem per quindecim annos ibi manserunt. et multis lapsibus tam iuuenes quam senes in ascensu et descensu montis se ipsos attriuerunt. Cum ergo in multis locis temptatum sit. et non aptus locus inueniretur. et multi mutationem loci suggererent. tandem religiosorum et prudentium atque magnatorum consilio cum consensu prenominate domine Adelheidis abbatisse sub cuius ditione locus erat ad inferiora montis in loco cuiusdem ville sepedictus conuentus monachorum translatus est. Antea tamen predicto loco quem nunc inhabitant debite circumsepto. et edificiis necessariis per annum preparatis* [1]).

1) Nachtrag von der Hand des Chronikſchreibers.

Et fuit eo tempore magna sterilitas ita vt maldrum siliginis in Colonia venderetur marca argenti.

*Anno domini M° C° XLIII° presidente sanctissimo papa Innocentio II. regnante lothario facta est processio sollempnis in leodio. in ecclesia sancti martini et apud ecclesiam maiorem. In qua contigerunt que sequuntur. Nam dominus papa missam celebrauit. deinde sanctus Bernardus abbas Clareuallis ibidem predicauit. Item prefatus dominus papa predictum lotharium in Romanorum imperatorem coronauit. fertur quod hec processio fuit dominica letare. Hys temporibus erant leodii in ecclesia sancti lamberti subscripte persone dignitates et beneficia obtinentes. videlicet octo legitimi filii regum. viginti quatuor filii ducum. viginti novem filii comitum. septem filii baronum et nobilium. ex quibus alii erant abbates. alii archydyaconi. alii prepositi. alii decani. alii thesaurarii. alii simplices canonici. Item prefatus lotharius beatum Bernardum in maxima reuerentia habuit et alios viros religiosos. quorum etiam meritis magnas victorias se gloriabatur obtinuisse.*

## De quibusdam miraculis sancti Bernardi in presentia abbatis Campensis.

Anno domini millesimo centesimo quadragesimo septimo in festo sancti Pauli primi heremite. et tribus diebus sequentibus. beatus pater Bernardus fecit in Colonia plura miracula presente abbate Campensi per virtutem namque domini nostri ihesu christi cecos illuminauit. claudos erexit. surdis auditum reddidit. linguas mutorum soluit. et diuersa morborum genera sanauit. Deinde in monasterio bruwylre et per totam viam vsque ad Aquisgranum sicut in vita et libris miraculorum eius plenius scriptum habetur.

*Anno domini 1149 beatus Malachias ex hybernia episcopus in Claraualle defunctus est. Eius vitam beatus Bernardus descripsit. Et eodem anno visio tondali militis hyberniensis facta est. Visiones sancte Elizabeth hoc tempore facte fuerunt. Et sancte Hyldegardis monialis.*

## De priuilegio Eugenii III.

Anno domini millesimo centesimo quinquagesimo primo Eugenius papa tercius. ad quem beatus Bernardus scripsit libros de consideratione.

monasterium Campense suscepit sub protectionem sedis apostolice. vt monasticus ordo ibi in perpetuum obseruetur. Et vt bona monasterii et specialiter in bulla expressa in perpetuum maneant illibata. Item quod de laboribus quos propriis manibus excolimus aut sumptibus ac de piscationibus et nutrimentis animalium decimas non soluamus etc. vt in priuilegio precedenti. Huic bulle subscripsit ipse Eugenius cum cardinalibus[1]).

## De obitu sancti Bernardi.

Tandem anno domini millesimo centesimo quinquagesimo tercio beatus pater Bernardus. iam ordine Cysterciensi vbique dilatato. et amplius quam centum sexaginta monasteriorum pater existens. regiminis sui anno XXXVIII° consummatis feliciter vite sue annis sexaginta et tribus. XIII° kls. Septembris migrauit ad dominum.

## De vinea quadam que dicitur sancti Bernardi abbatis.

*Monachus quidam nomine Chrispianus sub beato Bernardo plantauit vineam in vertice montis. qui est proximus Clarenualli. Et venerunt fratres germani venerabilis patris Guido scil. et Gerardus et excommunicauerunt predictam vineam. dixeruntque chrispiano. frater chrispiane. vbi est mens tua? et vbi cor tuum? Quare non considerasti scripturam dicentem quam (?) vinum non est monachorum. At ille respondit. Vos fratres spirituales estis et bibere vinum non vultis. ego peccator sum et volo bibere vinum. Tunc dixit sanctus Gerardus prefatus. Dico tibi frater chrispiane. Non videbis fructum eius. Post hec verba reuersi sunt in monasterium. Ille vero vineam suam fodit et excoluit multis temporibus. denique mortuus est. et non vidit fructum eius. Post multum vero temporis venit alter custos vinee ad sanctum Bernardum et dixit ei. pater venerande nunc vinea nostra anathema est. nec potest facere fructum. At ille. Quare fili? Respondit. fratres tui excommunicauerunt eam et deinceps fructum non fecit. Tunc sanctus pater. Afferte inquit mihi aquam in pelui. Ac ille obtulit ei. Tunc vir sanctus fecit signum crucis et sanctificauit aquam et ait. vade fili et asperge per totam vineam. Recessit frater et fecit iuxta preceptum patris abbatis. et vinea*

1) Vgl. die aus dem Copiar mitgetheilte Urkunde.

*creuit et multiplicata est. ita (vt?) videntes mirarentur. De cuius primo fructu fertur beatus Bernardus maximum vas miraculose repleuisse*[1]).

Anno domini M°CLXIIII° translati fuerunt sancti tres reges de Mediolano in Coloniam per Reynaldum archiepiscopum coloniensem.

*Gracianus monachus decretum compilauit et a beato Eugenio papa III. ad quem beatus Bernardus scripsit libros de consideratione approbatur.*

*Petrus Lombardus episcopus parisiensis frater Graciani libros sententiarum edidit.*

*Petrus comestor frater Graciani et Petri Lombardi scolasticam hystoriam composuit et alia.*

## De ordine wilhelmitarum.

*Eodem tempore wilhelmus heremita sanctissimus claruit. olim dux Aquitanie et comes Pictauie. Hic primum scismaticus fuit contra ecclesiam Romanam. Sed a beato Bernardo abbate cum venerabili sacramento territus fuit et conuersus. Postea lorica super nudo vestitur. Et ab isto originem traxit ordo wilhelmitarum. Anno 1173.*

*Eodem tempore sanctus Thomas Cantuariensis archiepiscopus de ordine Cisterciensium martirizatur in Anglia. multis clarus miraculis sc. Anno domini 1171.*

*Eodem tempore sanctus Bernardus abbas Clareuallis canonizatur per papam Alexandrum tercium et propter concursum populi prohibuit abbas Cystercii ne plura miracula faceret. et obediuit mortuus.*

---

1) Dieſe Legende, aus dem Anonymus Gallus geſchöpft, findet ſich mit einigen unweſentlichen Abweichungen auch noch auf einem anderen Zettel vor. Im Schluſſe weicht dieſer etwas ab, denn er hat ſtatt des letzten Satzes: Item propter hanc vineam sanctus Bernardus precepit fieri vas magnum vinarium habens viginti pedes in altitudine siue profunditate et triginta pedes in longitudine quod ex uno botro primitiarum illius vinee manibus sancti patris expresso miraculose repletum fuit. sicut legitur de oleo helisei quod modice infusum pluribus vacuis vasis excreuit in ipsis usque ad plenum unde propter tale miraculum predictum vas adhuc in hodiernum diem seruatur inesse. Et anno 1484 fuit repletum de nouo vino illius anni.

M°C°LXXVII°.

Tercius abbas Campensis Gierardus primus cepit anno millesimo centesimo septuagesimo septimo et prefuit annis VII. *(Obiit III° Nonas marcii)* [1]).

M°C°LXXXIV°.

Quartus abbas Campensis Gherardus primus. cepit anno domini millesimo centesimo octogesimo quarto et prefuit annis viginti. *(Obiit in die katherine virginis.)*

Sub isto venerabili abbate valde creuit monasterium Campense in agris vineis et edificiis. ac redditibus tam emptis quam gratis acceptis. Multa debita inuenit que soluit et habundantiam reliquit. Viginti monachos inuenit et XLIX dimisit.

*Anno 1188 obiit sancta Hyldegundis que a patibulo miraculose fuit liberata. et postea in Sconaugiensi monasterio Cisterciensis ordinis inter monachos in virili habitu religiosissime conuersata fuit* [2]).

## De bonis dictis hoen donatis a comite Cliuensi.

Anno domini millesimo centesemo octuagesimo octauo Theodericus comes cliuensis vna cum matre sua Aleyde et fratre suo Arnoldo donauit et contulit monasterio campensi insulam inter Ressam opidum et wysschelam villam in alueo Rheni coniectam. que vulgariter dicitur hoen cum appendiciis. terris cultis et incultis. aquis ac decimis. et quidquid in eadem vtilitatis in posterum prouenire poterit. Consentiente in hoc domino Philippo archiepiscopo Coloniensi qui ius sibi in eadem insula vendicare voluerat. sicut litere desuper confecte latius ostendunt [3]). In ipsa insula consueuit monasterium habere singulis annis libere vltra expensas. mille et ducenta maldra bladi diuersi generis. Et ibidem nutrire consueuerunt mille et trecentas oues et vltra preter vaccas et alia animalia. Ex quibus tam in carnibus quam in caseis et lana. magna dietim venerunt emolumenta. Et eciam de diuersis aliis prouentibus recipere solebant ad valorem centum scudatorum aureorum. Et hec insula per inundationem et impetum Reni destructa fuit et quodam modo absorpta

1) Späterer Zuſatz.

2) Vgl. Cäſar. v. Heiſterbach, Dial. mirac. I, 40.

3) Vgl. Lacombl. Urk.-B. I, 510, 511.

circa annum domini millesimum trecentesimum XII$^{m}$ sicut infra habetur *(de XV$^{o}$ abbate)* [1]).

## Ex antiquo registro.

*Istorum bonorum ad monasterium spectat iurisdictio temporalium seu iudicium sanguinis. sed est commissum domino de honepol ea condicione quod possumus illud ad nos quum voluerimus reuocare. et nostram de illo voluntatem ordinare.*

## De quibusdam pitanciis.

Item prefata Aleydis comitissa de Cliuo contulit eciam monasterio Campensi de peculio suo multa bona precipue certos annuos redditus vt inde conuentus habeat pitancias in pane triticeo vino et piscibus hiis diebus. videlicet in cena domini. vigilia pasche die pasche et duobus diebus sequentibus. Similiter in die natiuitatis christi et duobus diebus sequentibus. Et istarum pitanciarum et seruitiorum redditus comparati fuerunt in Ouwenhem et in quadam vinea in wyse prope Confluentiam [2]).

## De capella veteris abbatie.

Insuper capellam sancti Johannis euangeliste. sanctique Seruatii dotauit. ac dedit calicem. indumenta sacerdotalia. altaris ornamenta ceteraque necessaria. quatenus eius memoria. patrisque sui Geuehardi comitis et filii eius comitis Theoderici perpetuo habeatur. Obiit vero anno domini millesimo centesimo octuagesimo nono [3]).

## De ordine Theutonicorum militum.

*Anno 1190 cepit ordo Theutonicorum militum sub henrico imperatore. et habuit ortum ex ordine sancti Johannis iherosolimitani.*

## De translatione martiris sine nomine.

Item prefatus Philippus Coloniensis archiepiscopus. transtulit de xanctis ad monasterium Campense corpus incliti martiris sine nomine de sacra legione thebeorum ex societate sancti victoris inuentum in

1) Späterer Zusatz.

2) Lacomb. I, 515. Die Güter in Ouwenheim, 20 Morgen, wurden 1195 mit dem kölnischen Dompropste Ludwig vertauscht gegen Güter in Hückelhofen.

3) Beachtenswerthe Notizen über das Clever Grafengeschlecht.

ecclesia xanctensi in purpura et calciis amputata summitate capitis. et fluccellis sanguinis eius. adhuc in monumento apparentibus. Cuius festum agitur XVI° kls. maii. Obiit vero idem archiepiscopus philippus anno domini millesimo centesimo XCVI°.

## De conuersione cuiusdam canonici Coloniensis.

*Circa hec tempora quidam nobilis adolescens adolphus nomine Canonicus maioris ecclesie coloniensis cum quodam tempore ad monasterium Campense venisset videns deuotionem fratrum. et quam sollicite et deuote quodam die in ecclesia nudabant dorsa sua ad suscipiendas disciplinas. compunctus corde abire non poterat sed seculi pompam contempnens sacrum ordinis habitum suscepit. In quo tantum profecit. vt non multo post tum propter generis nobilitatem. tum propter religiositatem in ecclesia Osenburgensi ad dignitatem eligeretur episcopalem. Obiit in vigilia apostolorum petri et pauli*[1]).

Anno domini millesimo centesimo XCV° Henricus comes Seynensis donauit monasterio Campensi quedam bona in Ouwenheim[2]).

*Anno 1197 dominus Petrus Cantor parisiensis postea monachus monasterii longi pontis Cisterciensis ordinis tam vita quam doctrina conspicuus in magna deuotione migrauit a seculo.*

*Anno domini 1197 cepit ordo sancte trinitatis pro redemptione captiuorum.*

*Anno domini 1199 dominus wylhelmus abbas monasterii de karoli loco in Byturiensem archiepiscopum eligitur. qui nobilis genere fuit. sed virtute et sanctitate nobilior miraculis claruit in vita pariter et post mortem. quem honorius papa III. sollempniter canonizauit.*

## De quadam graui exactione.

*Anno domini 1199 tempore venerabilis domini Guidonis abbatis Cistercii postea Remensis archiepiscopi dominus papa grauem exactionem imposuerat super ordinem Cisterciensem. videlicet quod daret quinquagesimam partem omnium bonorum ad subsidium terre Jerosolimitane. Sed ab ista graui tribulatione per*

1) Vgl. Cäsar. v. Heisterb. I, 22.

2) Vgl. die aus dem Copiar mitgetheilte Urkunde und Lacomblet. II, 68.

*intercessionem beatissime virginis marie specialis patrone et aduocate ordinis nostri atque per sanctum Bernardum fuit ordo misericorditer liberatus atque in libertatibus prius sibi a summis pontificibus. imperatoribus. regibus ac principibus concessis permansit. sicut in quadam reuelatione legitur*[1]).

M°CC°IIII°.

Quintus abbas Campensis Theodericus II. cepit anno domini M° ducentesimo quarto. et prefuit anno vno cum dimidio. *Obiit XIIII. kl. aprilis.*

Anno domini M°CC°IIII° Johannes archiepiscopus Treuerensis libertauit monasterio Campensi curtem in wyse cum vineis prope Confluentiam.

MCCVI.

Sextus abbas Campensis Gerlacus I. cepit anno domini M° ducentesimo sexto. et prefuit XIII annis et IX mensibus. *Obiit ydibus octobris.*

*Anno domini 1207 heresis Albiensis feruebat. XII. abbates Cisterciensis ordinis a papa Innocentio missi sunt ad predicandum et eos ad vnitatem catholice fidei reducendum.*

*Eodem tempore floruit Helynandus monachus frigidi montis Cisterciensis ordinis. vir religiosus et facundia disertus. qui multa vtilia conscripsit. Ipse etiam Cronicam ab inicio mundi vsque ad sua tempora digessit*[2]).

*Eodem tempore dominus Gaufredus Siluanectensis episcopus. relicto episcopatu Cisterciensem ordinem acceptauit in monasterio karoli loci*[3]).

## De quatuor ordinibus mendicantium.

*Anno domini M° ducentesimo VIII° cepit ordo predicatorum. Anno 1212 cepit ordo minorum.*

*Circa idem tempus cepit ordo heremitarum sancti Augustini. Et prescriptos quatuor ordines mendicantium confirmauit Honorius papa III.*

*Anno domini 1220 cepit ordo Carmelitarum.*

---

1) Vgl. Manrique, Bd. III, ad a. 1197 und 1200.

2) Diese Stelle ist dem Vincenz von Beauvais entlehnt.

3) Charlieu in Frankreich.

## Priuilegium Innocentii pape tercii pro monasterio campensi.

Anno domini millesimo ducentesimo XIII° Innocentius papa tercius monasterium Campense sub protectionem sedis apostolice suscepit. cum omnibus bonis que iuste possidet. Et vt monasticus ordo ibidem obseruetur secundum institutionem regule sancti benedicti. Item quod nullus professus ordinis de monasterio eodem recedat sine licentia abbatis et sic recedentem nullus sine cautione literarum audeat retinere etc. Item quod in causis propriis nobis liceat testimoniis fratrum nostrorum vti. Item si episcopus ordinarius requisitus abbatem benedicere et alia officia episcopalia conferre rennuerit. abbas tamen non benedictus officia abbatis exercere poterit. Et ab alio episcopo percipere poterit que a proprio fuerint denegata. Et quod episcopi sint contenti in professionibus abbatum ea forma. que ab origine ordinis noscitur instituta etc. Item quod nulli ecclesiarum prelati. in monasterium nostrum vel in personas. et benefactores nostros. vel nobis laborantes illis diebus quibus nos laboramus et alii feriantur. suspensionis. interdicti sententiam promulgare valeant. Item quod nobis liceat in monasterio nostro. quum commune interdictum terre fuerit. excommunicatis et interdictis exclusis. diuina celebrare. Item quod nullus infra clausuras locorum aut grangiarum nostrarum audeat violentiam exercere aut rapinam. Item confirmatio omnium libertatum. exemptionum secularium exactionum. immunitatum a Romanis pontificibus regibus et principibus et aliis christifidelibus nobis fauorabiliter indultarum et plura alia que patebunt perlegenti. huic priuilegio subscripsit ipse Innocentius cum Cardinalibus [1]).

## De fundatione monasteriorum Eppynchouen et Sarne.

Anno domini M°CC°XIIII° fundata est abbatia monialium dicta Aula sancte marie in Karlesforst [2]). que postmodum translata est in locum qui vocatur Eppynchouen. Eodem tempore vel paulo ante fundata est abbatia monialium dicta Aula sancte marie in Sarne. *Item cimiterium in monasterio Sarne consecrauit Engelbertus Coloniensis archiepiscopus et martir. vt patet in quadam litera.*

1) Die Urkunde iſt theilweiſe abgedruckt bei Lacombl. II, 45.

2) Karſt bei Neuß.

Ista fuisse putantur prima monasteria monialium monasterio Campensi incorporata et regimini et visitationi abbatis commissa. Et ex istis monasteriis processu temporis plura deriuata sunt monasteria monialium[1]).

## De grangia Ouwenhem[2]).

Anno domini M°CC°XVII° Henricus comes Seynensis donauit monasterio quedam bona in Ouwenhem. Et circa idem tempus bona curtis Ouwenhem ampliata fuerunt tam emptionibus quam donationibus fidelium[3]). Eodem anno sc. 1217 empta fuerunt bona in ymmenhouen apud curtem ouwenhem. a quodam wernero. que quidem bona domina Gerbergis abbatissa sancte marie in Capitolio Coloniensi eodem tempore libertauit a iure feodali sibi in prefatis bonis debito. Et dominus Engelbertus archiepiscopus Coloniensis hec ratificauit vt patet in literis desuper confectis[4]).

## MCCXVIII°.

Septimus abbas Campensis Johannes cepit anno domini M° ducentesimo XVIII° et prefuit annis quatuor et duobus mensibus. *Obiit XV. kl. aprilis.*

## De fundatione monasterii in Ruremunda.

Anno domini M° ducentesimo XVIII° fundata est abbatia monialium sancte Marie in opido Ruremunde per Gerardum comitem gelrensem *sollicitante venerabili domina Richarde prima abbatissa monasterii in Ruremonde. que illic moniales aliquas pro nouo institutione direxit.* et ad instantiam venerabilis Engelberti archiepiscopi Coloniensis ordini incorporata et visitationi abbatis Campensis commissa. Et in eodem monasterio domina Richardis mater predicti comitis vidua facta ordinem Cisterciensem acceptauit et prima abbatissa illic fuit.

*Anno domini 1220 cepit ordo sancte marie de monte Carmelo.*

Anno domini M° ducentesimo XXII° abbas sancti Cornelii Indensis libertauit monasterio Campensi quedam bona in Ouwenhem de

1) Vgl. Lacomblet. II, 216.
2) Auenheim.
3) Lacomblet. II, 68.
4) Vgl. die später folgenden Campener Urkunden.

iure feodali et in eadem litera habetur *(et adhuc in praesenti ius illud sibi competere sustinere volunt)* [1]) de confraternitate inter monasterium sancti Cornelii et monasterium Campense perpetue seruanda.

## De monasterio Honepa postea Horst.

Circa annum domini millesimum ducentesimum vicesimum tercium sicut seniorum relatione cognouimus. abbatissa et conuentus monasterii in Honepol situati iuxta parrochialem ecclesiam ordinis sancti Benedicti transtulerunt se ad ordinem Cysterciensem ac eciam certis ex causis monasterium suum in Honepol deserentes. transmigrauerunt apud Dauentriam et in loco solitario dicto Horst monasterium construxerunt. quatenus ibi domino secretius in ordinis obseruantia deseruirent. Sed istud monasterium postea circa annum domini 1253 ex toto fuit combustum et desolatum sic vt vix videretur posse reedificari. Eodem tempore disponente domino. et sollicitantibus quibusdam christifidelibus. Godefridus abbas et conuentus monasterii Sigebergensis. ordinis sancti Benedicti. cum consensu Conradi archiepiscopi Coloniensis mediante certo contractu. abbatisse et conuentui de horst predictis tradidit monasterium siue preposituram in monte iuxta xanctis dictum vurstebergh. perpetuo possidendum. reuocato domino Richwino preposito eiusdem loci. cum aliis monachis secum commorantibus et ab eo tempore quedam moniales de predicto monasterio Horst venientes vurstebergh inhabitauerunt. Monasterium tamen Horst eodem tempore deo prouidente per episcopum traiectensem et alios fideles extitit reedificatum non tamen in loco Horst. sed prope in alio loco. qui iam vulgariter dicitur Honepa. Ex eo quod predicte moniales quondam in Honepol monasterium habuerant. Et fuit Conuentus de Horst diuisus ad vtraque monasteria. Item in ecclesia parrochiali Honepol remenserat (?) dispositio chori cum aliis pluribus certis iudiciis monasterii prefati. vsque ad annum domini 1442 quum prefata ecclesia fuit pro magna parte renouata et instaurata.

1) Dieſer Zuſatz aus dem 18. Jahrhundert ſcheint eine Zeile zu ſpät eingerückt zu ſein.

## MCCXXIII°.

Octauus abbas Campensis Arnoldus I. cepit anno domini M° ducentesimo XXIII° et prefuit annis XII. Iste vocatus de monasterio suo Campensi electus fuit in abbatem Morimundi. Et quia ibidem abbas obiit propterea eius memoria apud nos in martilogio non pronunciatur [1]). *Obiit in Morimundo vltima februarii anno.*

## De priuilegiis Engelberti Coloniensis archiepiscopi.

Anno domini M° ducentesimo XXIIII° venerabilis Engelbertus Coloniensis archiepiscopus graciose concessit vt coloni nostri habeant ius communitatis in siluis. pratis. pascuis et locis palustribus adiacentibus.

Eodem anno idem archiepiscopus suscepit grangias nostras in protectionem suam et ne quis communia nostra in agros conuertat vel in eis nouas edificationes faciat [2]).

*Anno domini 1224 prepositus et capitulares ecclesie sancti victoris xanctensis tempore Engelberti archiepiscopi remiserunt nobis decimas in Campo inferiori. videlicet Altvelt. ipsis quondam a friterico coloniensi archiepiscopo fundatore nostro concessas.*

## De bonis in Euersael [3]).

Anno domini M° ducentesimo XXV° empta fuerunt plura bona in Euersael a diuersis venditoribus. Maior vero et principalis grangia in euersael comparata fuit ab Hermanno marscalco de Alfteren. Item eodem anno empte fuerunt decime in Husen. Rubergh et pro parte in Orsoy quas nobis prefatus Engelbertus archiepiscopus Coloniensis cum consensu Capituli maioris ecclesie Coloniensis larga donatione liberas concessit et in perpetuum confirmauit possidendas [4]).

1) Die Annall. Cisterc. von Manrique, I, S. 521, bringen von ihm nur die kurze Notiz, daß er ein Deutſcher geweſen, ſechs Monate als Abt in Morimund fungirt und im dortigen Capitel begraben ſei.

2) Binterim und Mooren, III, 73 und 74.

3) Everſaal bei Rheinberg.

4) Binterim und Mooren, IV, 244. Huſen bei Büderich, Ruberg, in der Nähe von Orſoy. Unter den Zeugen fehlt in dieſem Abdrucke noch: Bruno prepositus *sancti Kuniberti*. Henricus prepositus.

## De mirabili fundatione monasterii nostri ad sanctum Seruatium in Traiecto inferiori.

Anno domini millesimo ducentesimo XXV° temporibus domini Honorii pape tercii. et frederici secundi imperatoris et Ottonis de lippia episcopi Traiectensis. qui occisus est cum multis vasallis et ministerialibus in Couordia. moniales sancti Servatii in Traiecto mutauerunt nigrum habitum in griseum. Iste nigre moniales prius erant habitantes extra ciuitatem in campo iuxta pontem et villam que dicitur Abstade. Eo tempore erat vir quidam habitans cum vxore sua in fine ciuitatis traiectensis. vbi nunc predicte moniales habitant. cuius vxor summo mane exurgens et ortum (hortum) suum intrans repperit quendam virum prouecte etatis valde speciosum sub arbore quadam stantem qui eandem salutauit. Quem predicta mulier quasi increpando interrogauit. quid quereret. aut cur ortum suum ingressus fuisset. Cui ille. Ego ad hoc veni. vt locum istum perspicerem et compararem. Quo audito. mulier currens vocauit virum suum. Quem prefatus senex videns nomine suo salutauit. Post hec vir interrogauit. quid quereret aut cur ortum intrasset. Cui ille: Ad comparandum locum istum huc veni. Ad quem ortulanus: Possessio nostra adhuc venalis non est. vel alicui eam vendere volumus vel possumus. Cui senex: Si vendere hanc predictam possessionem michi volueritis. decem libras denariorum et vitam eternam tibi et vxori tue et filiis tuis promitto. Ad hanc vocem ortulanus multum exhilaratus. ac vehementer ammirans ait: Dic quod est nomen tuum? Cui ille: Si scire vis nomen meum Seruatius nuncupor. capellanus supradictarum monialium in Campo. prope Traiectum commorantium. Ad quem vir: Nunquam noui capellanum earundem monialium. tali nomine nuncupatum. Cui ille: Ego certissime ad vsus monialium sepedictarum huc veni. vt hodierna die faciam vos decem libras habere et post huius vite finem vitam eternam possidere. Cui vir: Pro vita eterna habenda. predictas possessiones meas libenti animo vendo. Ad quam vocem vir sanctus eleuata manu sua dextera. signum crucis faciens. benedixit locum illum dicens: Benedictus sit locus iste a domino deo forti in perpetuum. Et omnium quorum corpora hoc in loco fuerint humata. anime ipsorum ab eterna dampnatione erepte in die iudicii saluabuntur. Hys dictis disparuit. et in arbore sub qua steterat. figuram sui corporis mani-

festissime impressam reliquit. Post in ipso momento ad sepedictas moniales vir ire cepit. et conuocans abbatissam. omnia que acta sunt ei per ordinem enarrauit. Que ultra quam credi potest ammirans. beatum Seruatium tam preclari miraculi auctorem prenoscens. magna cum exultatione ipsum in patronum cum suis subditis gaudenti animo suscepit. Eodem vero die quo hec acta sunt. paululum ante huius predicti viri aduentum. homo quidam de zelandia adueniens. predictis monialibus decem libras denariorum pro remedio animarum patris et matris sue ipso anno defunctorum in elemosinam contulit. Quas sepedicto viro pro venditione possessionis sue confestim conferre non distulit. Ipse vero pecunia accepta sine mora civitatem ingressus. huius rei eventum. tam ecclesie quam omnibus manifestare cepit. Quibus auditis. dominus otto de lippia natus. traiectensis episcopus cum clericis et laicis perpluribus locum adiens. ymaginem beati Servacii in arbore sub qua stationem fecerat perlucide impressam inuenit. Qui mox habitationem predictarum monialium in locum a deo ac beato Servacio tam manifeste benedictum suis propriis expensis transferri iussit. Ipse vero moniales ad consilium domini Ottonis de lippia traiectensis episcopi mutauerunt vt supradictum est nigrum habitum in griseum Cisterciensis ordinis. sub domina vlynde abbatissa protunc minime consentiente. et se ad alium locum transferente. Mortuo igitur domino Ottone de lippia. episcopo traiectensi. successit dominus willibrandus de Aldenbergh in episcopatu. Qui pro tam salubri benedictione. predicto loco monialium tam manifeste collata. ardenti desiderio erga beatum Servatium accensus. primarium lapidem eiusdem ecclesie posuit. Allodium etiam quod Galghewerde nuncupatur perpetuo iure possidendum tradidit. Ecclesiam etiam de werkanden et capellam de Odike insimul contulit. Et antedictam ecclesiam cum monasterio in honore sancti Servacii episcopi dedicauit. Qui etiam pro tam publica benedictione apud predictum monasterium sancti Servacii cum pluribus nobilibus sepulturam elegit.

## Priuilegium Henrici imperatoris.

Anno domini M° ducentesimo XXV° Henricus imperator ad petitionem sepedicti domini Engelberti archiepiscopi Coloniensis indulsit monasterio Campensi graciam et licentiam. quatenus quascunque *possessiones* in agris videlicet et vineis. pratis. siluis. aquis. stagnis.

pascuis. terris cultis et incultis a fidelibus imperii. titulo donationis. emptionis seu concambii obtinuerint. sine omni prorsus contradictione. auctoritate imperii possideat. Actum anno domini MCC°XV° [1]).

## De martirio sancti Engelberti.

Et eodem anno VII° die Nouembris prefatus Engelbertus archiepiscopus Coloniensis pro iuribus ecclesiasticis defendendis. ab impiis crudeliter occisus. martirio coronatus est. atque post mortem pluribus claruit miraculis.

## De priuilegiis comitum Gelrie.

Anno domini M°CC°XXVIII° Gherardus comes Gelrensis fundator monasterii sancte marie in Ruremonda ciuitate dedit monasterio Campensi libertatem in theloneo. Lobede. de centum vasis vini et quinque. de corio duorum last. de centenario salis et dimidio. de allec duorum last. et de decem amis Buturi siue per naues monasterii proprias siue alienas. ea conditione. quod per abbatem ministretur conuentui per quatuor festos dies pentecostes. de vino Renensi. piscibus recentibus et pane. in memoriam sui et vxoris ac heredum suorum.

## De libertate bonorum in Gelrelant.

Anno domini M°CC°XXX° Otto comes Gelrensis filius Gherardi comitis ad honorem auie sue Rychardis. prime abbatisse monasterii sancte marie Ruremondensis libertauit bona monasterii dicta Holthusen in Gelrelant cum suis attinentiis. et alia bona. que tunc habuit monasterium absoluit. ab omni seruitio et exactione ac iure sibi et suis heredibus attinentibus.

## De bonis quondam in Cutze in Slauia prope Rostock.

Anno domini M°CC°XXXIII° illustris princeps dominus Nycolaus dominus de Rozstoc donauit monasterio Campensi pro remedio anime sue et antecessorum suorum quinquaginta mansos terre in Slauia cum stagno adiacente dicto Cutze. cum pratis nemoribus et omnibus attinentiis. Item Brummardus episcopus Suerinensis et Wylhelmus

1) Lacomb. II, 127.

episcopus Hauelbergensis prefata bona libertauerunt a solutione decimarum. Ista bona de Cutze vendita fuerunt. consulatui civitatis Wystock pro nongentis florenis aureis Renensibus. Anno domini 1436 pro quibus comparata fuerunt bona et decime in Wachtendonck. vt infra patebit [1]).

## De visitatione in Bethleem ordinis Regularium.

Anno domini M° ducentesimo XXXIII° tempore Arnoldi abbatis Wylhelmus primus prepositus monasterii in Bethleem. et totus conuentus eius. ordinis Regularium sancti Augustini. cum consilio et consensu domini Wylbrandi Episcopi Traiectensis: quia annuam visitationem non habebant. se subiecerunt iurisdictioni abbatis. prioris et cantoris. qui pro tempore erunt in monasterio Campensi Cysterciensis ordinis. Coloniensis dyocesis. eosque in perpetuos visitatores. correctores et rerum suarum conseruatores pari desiderio et communi consilio elegerunt. Ita vt si non omnes visitationi interesse possent. duo nichilominus idem peragant. singulis annis. vel quotiens necessarium fuerit et tam in capite. quam in membris corrigant quicquid viderint corrigendum. secundum primas obseruantius dicti prepositi in libello antiquarum consuetudinum confirmatarum anno MCCXXXIII°. Hanc autem ordinationem annue visitationis. dominus Henricus archiepiscopus Coloniensis. confirmauit et ratificauit. Anno M° CC° XXXIII°.

Eandem etiam visitationis formam et libellum statutorum et consuetudinum antiquarum prefatarum cum sigillo predicti monasterii de Bethleem appendente signatum. dominus Gregorius papa IX confirmauit. pontificatus sui anno VIII° vt patet in bulla ipsius. et in aliis literis desuper confectis.

## Fundatio monasterii Nouicampi.

Anno domini 1234 fundata est abbatia noui campi Suerinensis dyocesis filia nostra sexta *(per wenzelaum principem ruginorum)*.

Anno domini 1234 fundatum est monasterium sanctimonialium in Dusseren dictum via celi. per quendam ciuem Duysborgensem nomine Alexandrum.

*Cuius fundationem dominus Henricus de molenarcke archiepiscopus Coloniensis confirmauit et bona ipsius monasterii sub*

1) Vgl. die Campener Urkunden.

*protectionem ecclesie Coloniensis suscepit et prima abbatissa cum aliis monialibus assumpta fuit de monasterio Zarne*[1]).

*Circa hec tempora claruerunt Albertus magnus et Thomas de Aquino doctores famosi de ordine predicatorum*[2]).

*Anno domini 1235 canonizata fuit sancta Elizabeth lantgrauia Hassie.*

M°CC°XXXV°.

Nonus abbas Campensis Harclevus I. cepit anno domini M° ducentesimo XXXV° et prefuit annis X. *obiit VIII ydus Septembris.*

## De primo contractu ecclesie Berckensis.

Anno domini M°CC°XXXV° factus est primus contractus ecclesie parrochialis Berckensis cum decimis attinentibus inter monasterium Campense et Capitulum ecclesie sancti Cuniberti in Colonia pro annua pensione IX marcarum. Sed ecclesia sancti Cuniberti protunc ius patronatus sibi de eadem ecclesia reseruauit.

## De decimis in Wynreswick[3]).

Anno domini 1236 Henricus archiepiscopus Coloniensis monasterio Campensi graciose concessit et confirmauit decimas Noualium centum et XX iugerum in wynreswick. Insuper si postea facta fuerint noualia in siluis. paludibus et aliis locis adiacentibus. decime eorundem monasterio nostro permanebunt[4]).

## De priuilegio Conradi archiepiscopi.

Anno domini M° ducentesimo XXXVIII° Conradus archiepiscopus Coloniensis concessit graciose et indulsit vt homines seculares in Nedercampe vel in aliis possessionibus nostris locati vel locandi. in cesura lignorum et animalibus nutriendis et pecoribus pascendis et aliis rebus. eandem quam haberet monasterium si propriis ea manibus coleret. libertatem habeant et potestatem. hoc est gewalt in der Gemeynden. Et ab omni exactione et seruitio aut alio grauamine. et

1) Lacombl. II, 195.
2) Beim Jahre 1262 kehrt diese Stelle nochmals wieder.
3) Winterswyk, Bauerschaft bei Rheinberg.
4) Lacombl. II, 212.

specialiter ab eo quod dicitur vedeme. liberi sint in perpetuum et exempti.

*Anno domini 1240 fundatum est monasterium Sanctimonialium Riuuli sancte marie in Sterckraede. per nobilem Mechtildim dominam de Holt. tempore Alexandri pape IIII. sub venerabili patre Conrado archiepiscopo Coloniensi. Et fuit primus conuentus assumptus ex monasterio vie celi in Dusseren*[1]).

*Anno 1240 ex promotione Conradi archiepiscopi fundatum est monasterium monialium in Benynchusen ex monasterio Gyuelbergh. in quo loco sanctus Engelbertus coloniensis archiepiscopus pro iustitia fuerat martirizatus. Circa idem tempus etiam fundatum fuit monasterium in Sledenhorst ex prefato monasterio Gyuelbergh.*

M°CC°XLV°.

Decimus abbas Campensis Henricus II. cepit anno domini M° ducentesimo XLV° tempore Conradi de Hostaden archiepiscopi Coloniensis. *Obiit Nonis Augusti.*

Anno domini M° ducentesimo XLVI° fundata est abbatia monialium vallis sancte marie prope traiectum ex monasterio sancti Seruacii.

Undecimus abbas Campensis Hermannus I. Quo anno iste ceperit certum non inuenitur. *Obiit in festo sancti Mauricii*[2]).

*Anno domini 1250 cepit ordo Heremitarum sancti Augustini.*

M°CC°LII°.

Duodecimus abbas Campensis Gernodus I. cepit anno domini M° ducentesimo LII°. et prefuit annis X. *Obiit pridie ydus februarii.*

## De molendino in Dasbergh.

Anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio Conradus archiepiscopus Coloniensis libertatem dedit monasterio Campensi construere et erigere molendinum in monte dicto Dasbergh

1) Lacomblet. II, 251.

2) Nach anderweitigen Nachrichten wurde er 1247 Abt.

cum suis necessariis quod prius ad quinque miliaria molere oportebat vt patet in litera[1]).

Item sicut ex relatione seniorum accepimus. viciniora molendina prius fuerunt in Nussya et in Rees.

## Vurstebergh.

Anno domini MCC°LIII° fundatum fuit monasterium in vurstebergh *aliter dictum mons principum.*

## De fundatione et alternatione monasterii in vurstebergh prope xanctis.

In nomine sancte et individue trinitatis. Fredericus sancte Coloniensis ecclesie dictus archiepiscopus. Omnibus nobiscum sortitis fidem in christo. pacem et salutem. Notum vobis esse volumus qualiter monasterium sancte marie in monte vurstenbergh inchoatum sit. vel qualiter illud apud deum et homines prouehi cupientes. cunctorum que ibi oblata sunt generalem fieri descriptionem decreuimus. ad prouocandam bonorum donationem. et ad prauorum postmodum versutiam deprimendam. Ministerialis quidam sancti petri nomine henricus de thornice alias de Alpheym consilio Norberti tunc canonici xanctensis. et viri ad omne opus bonum parati. obtentu eterne remunerationis. beneficium quod in prefato monte vurstenbergh paterna ymmo auita transmissione acceperat. monasterio Sigebergensi libera donatione contulit. hac scil. ratione. vt cenobii illius aliquanti fratres euocati. in fundo ipsius beneficii monasticum ordinem inchoarent. Quibus adductis paulatim cepit ibi religio pollere etc.

Hec gesta et confirmata sunt Anno dominice incarnationis millesimo centesimo XIX° indictione XII. regnante Henrico imperatore coram testibus ydoneis. Hermano preposito xanctensi Timone abbate Sybergensi. Arnoldo comite Cliuensi. hys omnibus fideliter annitente. et aduocatiam loci illius suscipiente de manu mea. Et coram fratribus meis Bauone et Henrico de thorniche. Norberto et fratre eius Heriberto et aliis quam plurimis. Iste prefatus Norbertus canonicus tunc xanctensis. postea magedeburgensis episcopus et frater eius Heribertus obtulerunt curtem Egre

1) Vgl. die Campener Urkunden.

cum suis attinentiis et aliis suis bonis. vt patet in literis desuper confectis[1]).

Item monasterium Sigebergense de quo supra dicitur. fundauit sanctus Anno archiepiscopus Coloniensis qui obiit anno domini millesimo LXXIIII° et sepultus in eodem monasterio Sigebergensi. Ibidem etiam sepultus est dominus fredericus prefatus archiepiscopus Coloniensis. fundator etiam monasterii Campensis.

## Quomodo istud monasterium deuenit ad moniales.

Item anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio monasterium monialium in Horst sancte Marie. alias dictum Honepa prope ciuitatem Dauentriam situatum incendio fuit conflagratum. et ex toto deuastatum. Ita vt vix putaretur posse restaurari. Eodem tempore disponente domino. venerabilis Godefridus abbas et conuentus monasterii Sybergensis ordinis sancti benedicti. cum consensu reuerendissimi Conradi Coloniensis archiepiscopi. mediante quodam contractu. abbatisse et conventui de horst sancte marie predictis. Cisterciensis ordinis tradidit cellam siue monasterium in monte iuxta xanctum dictum vurstenbergh perpetue possidendum. Reuocato domino Rychwino tunc preposito eiusdem monasterii. cum quibusdam monachis secum ibidem commorantibus. Ita tamen quod conuentus et abbatissa de horst quibusdam conuersis et monialibus ordinis sancti Benedicti ibidem professis. et adhuc remanentibus. debitas et consuetas prebendas quoad viuerent sine contradictione qualibet ministrarent. Et ab eo tempore moniales quedam de horst marie alias honepa venientes. monasterium vurstenbergh inhabitauerunt.

Circa idem etiam tempus monasterium de horst prius combustum[2]). prouidente domino. per episcopum traiectensem et alios christifideles extitit reedificatum et fuit conuentus ille monialium diuisus ad vtraque monasteria. Post hec anno domini millesimo ducentesimo LXIII° mediantibus venerabilibus dominis alberto abbate Campensi et domino Nycolao preposito Bethleemensi ordinis Regularium facta fuit amicabilis diuisio rerum mobilium et immobilium inter monasterium de horst et monasterium de vurstenbergh. que ratificata fuit per

1) Cf. Lacomblt. I, 290, wo die Urk. mit einigen Abweichungen abgedruckt ist.
2) *Cf.* S. 349.

prefatos prelatos. De prefatis autem monialibus ordinis sancti benedicti. que habitum et ordinem mutare noluerunt. salubriter fuit ordinatum per dominum Conradum archiepiscopum Coloniensem. vt propter diuersitatem habitus. diuersitas esset oratorii prefatis nigris monialibus et eis specialis secularis sacerdos cum sollempnitate diuinorum ministraret ecclesiastica sacramenta. Quod ita seruatum fuit vsque ad annum domini millesimum ducentesimum LXXXIIII.

Deinceps propter paucitatem superstitum et debilitatem corporum in speciali suo oratorio. ad quod per gradus ascendebatur. diuina sua non celebrabant. sed in oratorio monialium Cisterciensium. diuina officia audiebant et sacramenta ecclesiastica recipiebant.

## Aliud priuilegium de monasterio vurstebergh.

In n. sc. et ind. trin. Arnoldus non merito sed ex vocante gracia dei dictus sancte Coloniensis eccl. arch. Omnibus qui communem nobiscum sortiti sunt fidem. perpetuam pacem et eternam salutem. Notum vobis esse volumus. qualiter monasterium beate marie in monte iuxta xanctum. vel inchoatum sit vel qualiter illud nos et apud deum et apud homines per omnia prouehi cupientes. cunctorum que etc. [1]).

Et sciendum quod omnia priuilegia. et litere de sepedicto monte vurstebergh tradita fuerunt monialibus de horst sancte marie Cisterciensis ordinis quando acceptauerunt locum illum Anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono [2]).

## De grangia Stromoers [3]).

Anno domini M° ducentesimo quinquagesimo sexto. abbas et conuentus monasterii Tuiciensis ordinis sancti Benedicti vendiderunt nostro monasterio Campensi curtem dictam Stroemoers pro libero allodio. cum omnibus suis attinentiis. in paludibus. pratis. pascuis. nemoribus. aquarum decursibus. piscationibus. molendinis etc. pro certa annua pensione. Et prefatum contractum inter vtrosque con-

1) Die Urkunde ist abgedruckt bei Binterim und Mooren, I, 38.

2) Die Geschichte der Stiftung des Klosters Fürstenberg ist der Chronik vor angeheftet und rührt von dem Fortsetzer der Chronik her.

3) Stromörs, jetzt ein Rittergut bei Rheinberg.

firmauit et ratificauit eodem tempore Conradus archiepiscopus Coloniensis vt patet in literis desuper confectis[1]).

## De bonis in Asdonck.

Anno domini M° ducentesimo sexagesimo empta fuerunt bona in Asdonck iuxta Stromoers pro puro allodio ab Henrico de vrymershem milite.

## De quadam donatione comitis cliuensis.

Anno domini M°CC°LX° Theodericus comes Cliuensis donauit monasterio Campensi quingentas marcas in elemosinam. pro comparandis certis redditibus. pro remedio anime sue ac progenitorum et consanguineorum suorum[2]).

## De fundatione monasterii vallis comitis.

Anno domini M° ducentesimo LX° fundata est abbatia monialium in valle comitis. ex monasterio sancte marie in Ruremunda per Ottonem comitem Gelrensem. et eodem anno per capitulum generale Cysterciense monasterio Campensi incorporata. Obiit vero prefatus comes anno 1271 et in eodem monasterio vallis comitis sepultus.

## De fundatione monasterii in Lewenhorst.

Anno domini M° ducentesimo sexagesimo fundata est abbatia monialium in Lewenhorst in hollandia. ex monasterio vallis sancte marie prope traiectum per quendam honorabilem dominum Arnoldum pastorem in Harlem.

## MCCLXII°.

Tercius decimus abbas Campensis Albertus I. cepit anno domini M°CC°LXV° et prefuit annis XII. *Obiit XIII. kl. Julii scilicet Geruasii et prothasii.*

*Anno domini 1262 institutum fuit festum corporis christi. per vrbanum papam IV.*

*Circa idem tempus dominus Gherardus abbas Clarevallis crudeliter martirizatus fuit.*

---

1) Vgl. Lacombl. II, 425.

2) Vgl. Lacombl. II, 492.

*Eodem tempore claruisse dicuntur Albertus magnus theologus et sanctus Thomas de Aquino ord. predicatorum.*

## De bonis Huseke in lulsdorp in terra montensi.

Anno domini M° ducentesimo LXVI° empta fuerunt bona nostra in Huseke cum attinentiis in ducatu montensi. a quodam dicto Thitmarus de Huseke.

## De quodam mirabili quod accidit in hollandia Anno domini 1274.

*Anno domini millesimo ducentesimo LXXVI° quoddam mirabile accidit in comitatu hollandie de domina margarita filia quondam domini florentii comitis Hollandie et Zelandie. que fuit soror Wylhelmi regis Romanorum et neptis domini Lodewici lantgrauii Hassie qui coniugem habebat sanctam Elizabeth. filiam regis vngarie. que canonizata fuit anno domini 1335. Hec igitur margarita nupta fuit Hermanno comiti de Hennenbergh. cui filium peperit. Post cuius ortum per XXVI annos parere cessauit. Quibus annis a gloria mundi et deliciis se quodammodo subtraxit. conuersando potius cum monialibus Cisterciensis ordinis in monasterio de Lansdunis quod pater ipsius fundauerat anno domini 1230. Et licet plus quam XL annos etatis haberet. tamen pre simplicitate credere non poterat quod aliqua mulier ab vno viro et vno partu posset parere geminos siue duos infantes. vnde quodam die contigit vt quedam paupercula mulier duos infantes scil. geminos secum portans ei obuiam veniret atque ei diceret quod vno partu nati essent. Sed comitissa ammirans nec credens improperauit indignanter paupercule quod nequaquam ab vno viro talem partum habuisset. Quapropter confusa et permota paupercula imprecata fuit comitisse dicens. Quia michi iniuriose improperasti partum geminorum ab vno viro. sic oro quatinus omnipotens deus. qui hoc disposuit in me. disponat etiam in te. vt tot infantes a tuo viro parias quot sunt dies in anno. Ad quod stomachando comitissa respondit. Si hoc deus disponeret. oporteret me pluribus commisceri viris. Et non multo post comitissa multum grauida et impregnata apparuit. Quapropter dominus Hermannus comes maritus eius. secundum quod audierat imprecationem mulieris attonitus valde et quia partui vicina videbatur. circa dominicam in ramis palmarum conuocauit*

*ad suam curiam plures nobiles vtriusque sexus. cum episcopo Guidone. vicario in pontificalibus domini Johannis de nassouwen episcopi Traiectensis pro baptismo futurorum infantum. Nec tamen credebatur quod plures proles quam septem supra naturam humanam parere posset. Factum est autem in feria sexta que pascheue dicitur que tunc in crastino Annunciationis sancte marie evenit. hora nona ante meridiem impletum est tempus vt domina margarita comitissa pareret. et domino volente peperit trecentos et sexaginta quatuor infantulos vtriusque sexus. viuentes et paruissime quantitatis. Et eadem hora post partum defuncta est in presentia plurium nobilium personarum. Tunc prefatus episcopus consecuto baptismo paruulos omnes baptizauit in quadam pelui. masculis omnibus imponens nomen Johannes. femellis nomen Elizabeth. ad honorem sancte Elizabeth lantgrauie. Et isti infantuli postquam baptizati fuerunt mortui sunt. et cum matre in vno eleuato sarcophago sepulti in ecclesia monasterii Landunensis supradicti anno domini 1274. Et super sepulchrum hec hystoria depicta et descripta habetur. Et sciendum quod imprecationem vel maledictionem paupercule mulieris deus conuertit in benedictionem comitisse. Et ne predicta paupercula iactanter gloriaretur. quod deus eius orationem implesset. non fuerunt nati tot infantes quot sunt dies in anno scil. trecenti LXV. sed trecenti sexaginta quatuor videlicet vnus infans minus. Per omnia benedictus deus qui facit mirabilia solus. Amen* [1]).

## MCCLXXIIII°.

Quartus decimus abbas Campensis Ghiselbertus I. cepit anno domini M° ducentesimo LXXIIII° et prefuit annis XXIIII. *Obiit in festo valentini martiris.*

1) In den Annalen Heft XIX, S. 38, wird über dieſelbe Legende berichtet. Dieſelbe ſcheint alſo doch noch eine ältere Quelle zu haben, als dort angegeben iſt. Der erſte Fortſetzer der Chronik iſt der Auctor dieſer Notiz, die auf einem beſonderen Blatte beigeheftet iſt. Merkwürdig iſt die Variante in den Jahreszahlen. In Bezug auf den Biſchof iſt unſere Nachricht ſehr genau unterrichtet; der Berichterſtatter behauptet mit Beſtimmtheit im Gegenſatze zu den in den Annalen mitgetheilten Notizen, daß um *1487* das Grabmal noch vorhanden geweſen.

## De elemosina in Cena domini.

Anno domini M° ducentesimo LXXVII° dominus Arnoldus de Wachtendonck. Canonicus ecclesie xanctensis. pro remedio anime sue et memoria sua celebranda. dedit monasterio Campensi ad subsidium elemosine faciende in Cena domini pauperibus ante portam in perpetuis redditibus XV maldra siliginis. VII maldra ordei et I maldrum tritici.

## De hospitali ad portam.

Insuper dedit certam pecunie summam pro constructione hospitalis pauperum. in quo duo pauperes in memoriam sui tenebuntur.

## De magna inundatione Reni. 1279. (?)

*In februario Renus fit ingens vt catheclismus.* (cataclismus?)

*Anno milleno bis centeno quoque quaterno*
*Ac octogeno mundi durante sub anno*
*Fiunt aque tante que copia non fuit ante*
*Annis in mille nobis predixit vt ille*
*Maximus Albertus mira virtute refertus.*

Et tunc Renus Colonie invndauit super muros in tantum quod naues super muros intrarent et plura dampna in agris et edificiis fecit [1]).

## De bonis in Ossenbergh.

Anno domini M° ducentesimo LXXXIII° comparata fuerunt bona monasterii in Ossenbergh.

*Anno 1284 ordo Celestinorum cepit per virum sanctum Celestinum. qui postea papa fuit.*

## De priuilegiis Syfridi.

Anno domini M° ducentesimo octogesimo quinto Syfridus archiepiscopus Coloniensis suscepit curiam nostram in Colonia sub protectione beati Petri et affectu beniuolo admittit vt ibi studium ordinis habere. ecclesiam edificare. cimiterium habere. diuina celebrare. publice predicare libere valeamus [2]).

1) Dieſe Angabe ſtimmt mit der Kölner Chronik nicht überein, dieſe weiß nur von einer Ueberſchwemmung im Jahre 1374.

2) Vgl. Lacomblet. II, 809.

## De bonis in Jutfaes.

*Anno domini 1290 Ghiselbertus decanus ecclesie sancti Petri in traiecto. donauit nobis bona in Jutfaes prope traiectum.*

## De curte in Empel.

*Anno domini 1292 empta fuit curtis nostra in Empel iuxta Stromoers. quam Theodericus comes de Moers libertauit ab omnibus seruiciis et iuribus excepto iudicio sanguinis* [1]).

## De vineis in Gulse.

*Anno domini 1294 comparata fuerunt bona et vinee in Gulse supra mosellam ab abbate et conuentu monasterii de Harswitehusen. Paderbornensis dyocesis. Anno 1293 empta fuit decima in Schyderick prope Gumbretshem.*

## De indulgentiis specialibus.

Anno domini millesimo CC°XCI° Ghiselbertus abbas campensis in urbe Roma a duodecim episcopis nominatim in litera expressis impetrauit a quolibet XL dies de iniunctis penitentiis relaxantes visitantibus ecclesiam monasterii in certis festis et temporibus aut qui ad fabricam. ornamenta. luminaria. vel ad alia necessaria manus porrexerint adiutrices. vel in extremis quecunque legauerint. Et has indulgentias Sifridus archiepiscopus Coloniensis ratificauit et XL dierum iudulgentias et vnam karenam graciose superaddidit. Anno domini M°CC°XCII°.

## De summa indulgentiarum.

Anno domini M°CC nonagesimo quarto idem Ghiselbertus abbas adhuc impetrauit in ciuitate Neapoli a XIII Episcopis in quadam alia litera nominatis. a quolibet XL dies indulgentiarum de iniunctis penitenciis hijs qui in certis festis et temporibus in litera expressis ecclesiam monasterii visitauerint. vel qui ad fabricam. ornamenta. luminaria. vel ad alia necessaria quiccunque suarum legauerint facultatum etc. Et istas indulgentias etiam Sifridus archiepiscopus

---

1) Vgl. Campener Urkunden.

Coloniensis anno M°CC°XCV° confirmauit et ratificauit. Summa predictarum indulgentiarum mille dies et quadraginta cum vna karena.

Item sepedictus Syfridus archiepiscopus Coloniensis ratificauit monasterio Campensi plura bona in diuersis locis et libertauit a iure feodali. vt patet in pluribus litteris desuper datis.

Huic venerabili Syfrido successit immediate in episcopatu Coloniensi Wycboldus de Huylte. et post eum Henricus de vyrnenborch. in quorum temporibus propter guerras monasterium Campense sustinuit enormia dampna. sicut patebit.

## De Alano theologo.

Anno domini M° ducentesimo XCIIII° obiit recolende memorie magister Alanus natione Almanus doctor famosissimus. Qui despecto seculo ignotus et in peregrino habitu veniens in Cistercium ad humilem sui instantiam. ad habitum conuersorum receptus. humilia et laboriosa officia multo tempore fecit. Tandem in quadam disputatione periculosa contra hereticos se manifestauit. Et in sancte humilitatis et religionis profectu consummatus in breui expleuit tempora multa. Sepultusque ob reuerentiam sui in alto sarcophago in ambitu Cysterciensi ad introitum ecclesie cum subiecto epytaphio.

Alanum breuis hora breui tumulo sepeliuit.
Qui duo. qui septem. qui totum scibile sciuit.
Labentis seculi contemptis rebus egens fit.
Intus conuersus. gregibus commissus alendis.
Mille ducenteno. nonageno quoque quarto.
Christo deuotus. mortales exuit artus.
Scire suum moriens dare. vel retinere nequiuit.
Ymmo quo meruit. dum vixit spiritus iuit[1]).

## De curia et capella in Beroka et confraternitate.

Anno domini M° ducentesimo nonagesimo quinto prefatus Syfridus archiepiscopus Coloniensis cupiens diuinum cultum ampliare ad preces opidanorum in Bercka licentiauit et indulsit abbati et conuentui

1) Vgl. über „Alanus“ de Visch Bibliotheca scriptorum s. ord. Cisterc. S. 12, wo auch diese Verse angeführt stehen. Der 7. Vers steht aber an dritter Stelle, und der letzte Vers fehlt gänzlich. Vgl. ferner Alani magni de insulis Opera ed. de Visch in der Vorrede. Antwerpen 1654.

Campensi: quatinus in curia sua in Bercka Capellam construant sicut in Colonia et Nussya. et diuina ibidem celebrent. seruato tamen iure parrochialis ecclesie. Insuper domum et capellam ab omnibus talliis et collectis et quolibet iure voluit esse libera et exempta.

Deinde Anno domini M° ducentesimo XCVI° Ghiselbertus abbas Campensis impetrauit omnibus fratribus et sororibus illius capelle a capitulo generali Cysterciensium fraternitatem totius ordinis. Verum ne ad talia beneficia ipsi opidani viderentur ingrati predictam domum et capellam ab omni onere exactionis et quorumcunque seruitiorum debito liberam dimiserunt et exemptam. vt patet in literis desuper confectis [1]).

## De libertatibus circa monasterium.

Anno domini 1296 idem Syfridus archiepiscopus Coloniensis renouat et declarat priuilegia friderici fundatoris nostri et Conradi archiepiscoporum Coloniensium predecessorum suorum. Et in eadem renouatione cum consensu decani et capituli maioris ecclesie Coloniensis graciose superaddidit et concessit nobis et hominibus secularibus in allodio monasterii commorantibus. vti omni circumiacente silua que ad ius episcopale pertinet. ad pecorum pabula et ad instaurationem officinarum et edificiorum sine alicuius contradictione. Item locum ipsum ante portam monasterii vsque ad fabricam et domum laterum emunitati et libertati donauit. quod nullus iudicum secularium possit ibi aliquem arestare. Item paludem circa monasterium a molendino Gorsvort. versus Berckam et Sellen in circuitu noue curie vsque ad veterem curiam in purum allodium et meram proprietatem donauit et alia que patebunt perlegenti [2]).

## MCCXCVIII.

Quintus decimus abbas Campensis Arnoldus II. de Zittart cepit anno domini M°CC°XCVIII° et prefuit annis XXII. *obiit III° kal. nouembris.* Iste instaurauit in primo anno suo anteriorem partem. chori. et summum Altare de nouo consecrari fecit 1298. Instaurata eciam fuit capella curie nostre in Colonia et consecrata eodem tempore similiter in Stromoers.

1) Vgl. Campener Urkunden.
2) Ebendaſelbſt.

Sub isto abbate frater Rutgherus de Bercka scriptor egregius multos libros scripsit. quibus memoriam sui reliquit posteris in benedictione. Obiit vero in monasterio monialium lewenhorst in hollandia et ibidem sepultus prefatus frater Rutgherus [1]).

## De quibusdam enormibus dampnis.

Temporibus Arnoldi abbatis ceperunt esse tempora periculosa et pressura gentium in hac terra. pre confusione diuersarum guerrarum hinc inde inter principes consurgentium. temporibus videlicet Wyckboldi archiepiscopi Coloniensis et successoris eius Henrici de vyrnenborch. fuerunt enim in superioribus partibus guerre graues inter archiepiscopum Coloniensem ex vna parte et ciuitatem Coloniensem et comitem Juliacensem ex altera. Item in inferioribus partibus fuerunt guerre. inter illustres ducem Gelrensem et Episcopum Traiectensem ex vna parte. et comitem Cliuensem et comitem Hollandie ex altera. Et istis guerris miscuerunt se altrinsecus multi principes. milites et armigeri et multiplicata sunt mala vltra VII annos. Quibus temporibus monasterium Campense plures exactiones diuersis dominis dedit. quatenus curtes et grangias servaret indempnes. sed parum profuit. quia postea omnia rapinis et incendiis deuastauerunt. Fuerunt namque tempore spoliationis in diuersis grangiis et curtibus monasterii. equi. boues. vacce. oues. porci et alia diuersorum generum animalia. in estimatione vera et communi ad valorem quindecim milium florenorum. que omnia rapta fuerunt. Et insuper viginti due curtes fuerunt concremate in quibus erant vltra centum bona edificia. quorum multa plena erant bladis. Preterea et aliqui de colonis et famulis fuerunt interfecti. Sed et per decursum temporis prefatarum guerrarum in diuersis locis arbores et silue non cedue violenter fuerunt succise. Item Johannes dominus de Ryperscheit et comes Juliacensis qui postea factus est dux. exactionauerunt curtes monasterii Gumbretshem et Quwenhem. ad plura et vlteriora quam annue valere consueuerunt. quia homines de exercitibus eorum ibidem se congregauerunt ac stationes ad libitum facientes. omnia consumpserunt et grauibus seruitiis afflixerunt. preter omnem abbatis et fratrum Campensium demeritum et culpam. Ex prefatis vero curtibus consueuit monasterium percipere singulis annis octingentos florenos

1) Er lebte noch im Jahre 1318.

aureos. omnibus expensis prius defalcatis. Et sic occasione predictarumgu errarum quasi irrecuperabilia dampna Campenses pertulerunt.

### De totali summa dampnorum.

Que in vera et probabili estimatione summam quadraginta milium florenorum aureorum excedebant. Quapropter abbas et conuentus cum non haberent vnde viuerent. et reedificarent edificia combusta. receperunt sub vsura a iudeis quatuor milia florenorum aureorum. Insuper ad vsufructum mille et cc$^{os}$ florenos aureos. Que successiue auxiliante deo post guerras soluta fuerunt.

### De destructione curtis opghen Hoen per invndationem Reni.

Ea tempestate optima curtis monasterii in insula Reni sita in comitatu Cliuensi fuit combusta et spoliata cum aliis curtibus et rapte fuerunt ex ea mille et trecente oues. cum aliis animalibus ibidem repertis. Cumque treugis factis inter principes reedificata fuisset. postea per invndationem et impetum reni fluminis destructa fuit quodammodo et absorpta. exceptis paucis agris circa litus reni situatis. Circa annum domini millesimum CCCXII. Ex prefata curte habebat monasterium annuatim mille ducenta maldra tritici. siliginis et ordei equepartim et in pascuis nutriri consueuerant mille et ducente et aliquando trecente oues preter alia animalia. Ex quibus singulis annis percipiebant XL cludones lane et quingentos caseos ouinos. quolibet caseo ad valorem antiqui Turonensis estimato. De isto etiam habetur supra sub Gherardo quarto abbate.

### De numero personarum eodem tempore.

Item ante tempus predictarum guerrarum et ipso tempore fuerunt et esse consueuerunt in Campensi monasterio septuaginta duo monachi literati. presbiteri videlicet dyaconi subdyaconi et clerici et vnus abbas. Et cum hoc septuaginta duo conuersi cum eorum familiaribus et seruitoribus. et fuit eis magna deuotio in diuino cultu die noctuque. Vnusquisque etiam monachus et conuersus sufficienter vt decuit necessaria habuit in victu et vestitu. et omnes superuenientes hospites diuites et pauperes decenter et caritatiue susceperunt tractantes quoslibet secundum exigentiam status sui. Postea vero propter predicta grauia dampna. non remanserunt. nisi triginta et sex monachi et pauci conuersi. qui in paupertate viuebant. Ceteri *vero dis*persi fuerunt et transmissi ad alia monasteria vt in eis

victum et vestitum haberent. Quidam vero apud amicos suos diuites fuerunt ad tempus. Erat autem tunc in Campensi monasterio videre et audire miseriam. quum pene omnibus curtibus et grangiis incendio conflagratis. et absque habitatoribus et cultoribus propter guerras remanentibus. ipsi abbas et conuentus egerent. qui aliis habundanter dare consueuerunt. De prefatis dampnis et miseriis habetur latius in quodam longo rotulo per notarium publicum de istis euentibus conscripto. 1363. legat qui voluerit. Et prefatus rotulus habet in longitudine XVIII vlnas cum dimidia et in latitudine quasi vnam vlnam mensure Coloniensis [1]).

1) Von der hier berührten Rolle iſt, ſo viel mir bekannt, nichts mehr vorhanden. Auf einem Pergamentblatte, das der Chronik beigeheftet iſt und mindeſtens ein gleiches Alter wie die Chronik verräth, ſteht mit Bezug auf die zahlreiche Perſonenzahl in den Ciſtercienſerklöſtern gegen Ausgang des 13. Jahrhunderts folgende Tabelle:

**Taxatio siue numerus personarum in monasterio Campensi. ac in monasteriis Campensi monasterio immediate subiectis circa annum domini millesimum ducentesimum octogesimum et continenter pluribus annis sicut in antiquis scriptis inuenitur.**

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| In monasterio Campensi . | Monachi | LXXII | preter abbatem . | Conuersi | LXXII. |
| In Walkenreda ..... | „ | LXXX | — | „ | CLXXX. |
| In Volkolderaede ..... | „ | L | — | „ | C et IIII. |
| In Amelungesborne ..... | „ | L | — | „ | XC. |
| In Harswitehusen ..... | „ | ? | — | „ | ? |
| In lapide sancti Michaelis | „ | L | — | „ | XCVIII. |
| In nouo Campo ..... | „ | LX | — | „ | LV. |

Numerus personarum in monasteriis monialium circa idem tempus.

| | | |
|---|---|---|
| In Eppychouen ..... | Moniales | XXIIII. |
| In Zarne ..... | „ | XXV. |
| In Ruremonda ..... | „ | XL. |
| In Honepa vel Horst ..... | „ | XXX. |
| In Dusseren ..... | „ | XXVIII. |
| In Welueren ..... | „ | L. |
| In Benynchusen ..... | „ | L. |
| In Sterkrade ..... | „ | XX. |
| In Sledenhorst ..... | „ | XX. |
| In Traiecto ad sanctum Seruaciùm ..... | „ | XLII. |
| In Valle sancte Marie ..... | „ | XXX. |
| In Furstebergh ..... | „ | XXX. |
| In valle comitis ..... | „ | L. |
| In Lewenhorst ..... | „ | XXV. |
| In Bersenbrugge ..... | „ | L. |

## De quodam conuerso interfecto.

Eisdem etiam temporibus duo armigeri germani fratres dicti de Eluervelt quendam conuersum monasterii in grangia dicta Nyrgenna. ausu sacrilego interfecerunt. qui postea penitentia ducti penitentiarium domini Clementis pape quinti adierunt absolutionem petentes. qui considerata eorum penitudine absoluit eos auctoritate pape ac remisit cum literarum suarum testimonio mandans eis et cuilibet eorum. sub debito prestiti iuramenti. vt per omnes ecclesias illius loci vbi tantum facinus extitit perpetratum. nudi. bracis dumtaxat exceptis. et discalciati. virgam ferentes in manibus. et corrigiam circa collum. Et ante fores ipsarum ecclesiarum. quum maior in eis aderit multitudo populi. a presbyteris earundem psalmum penitentialem dicentibus faciant verberari. suum publice confitendo reatum. Insuper monasterio satisfaciant. et si aliquod feudum vel ius patronatus ab eo obtinuerint. ipsi et eorum in perpetuum heredes sint priuati. Et si que mandantur facere contempserint in eandem reincidant excommunicationis sententiam. Actum anno 2° Clementis pape quinti qui cepit anno domini M°CCC°IIII°.

## De venditione curtis in Nyrgena.

Prefata vero curtis in Nyrgenna propter multa grauamina et violentias et dampna que monasterio ibidem inferebantur postea vendita fuit duci Gelrensi. qui successu temporis in eodem loco castrum. sicut hodie cernere est. extruxit.

Anno domini M°CCC° 2° monasterium fuit obligatum maximis pensionibus vitaliciorum.

## De 2° contractu ecclesie Berckensis.

Anno domini M°CCC° septimo Henrico de Vyrnenborch Colon. archiepiscopo cooperante factus est secundus contractus inter capitulum ecclesie sancti Cuniberti in Colonia et monasterium Campense. de ecclesia Berckensi cum iure patronatus et omnibus pertinentiis. bonis presentibus et futuris. et quod deberet officiari per presbyterum secularem.

## De ordine milicie sancti Johannis in Rhodo insula.

*Anno domini 1307 ordo templariorum subito propter quedam maleficia deletus fuit. Iste ordo inceptus fuit anno mille-*

*simo C°XIII°. Item in eorum loco successerunt Rhodiani milites sancti Johannis. Hij namque religiosi. cum Jerosolima omnino deperdita esset. et templarii in magnos errores prolapsi a romano pontifice fuissent extincti in eam insulam sese recipientes. Thurcos eius dominos eiecerunt. et vrbem pene dirutam instaurantes naualiaque et classes reformantes. non solum insulam ipsam tutati sunt, sed Cipris et aliis finitimis christum colentibus magno presidio fuerunt et propterea bona Templariorum pro magna parte per pontifices romanos et alios principes ipsis concessa fuerunt.*

## De contractu ecclesiarum de Loer, Nederassel et Haren.

Anno domini MCCC° XI° empta fuerunt a domino wylhelmo de milne milite. quedam bona cum iure patronatus ecclesiarum de loer. haren et nederassel. Et eodem tempore Henricus coloniensis archiepiscopus. propter maxima dampna abbati et conuentui monasterii Campensis illata. eis pro affectu compatiens dictas ecclesias. eisdem et eorum monasterio cum ecclesia Berckensi vniuit et incorporauit [1]).

## De bonis in Nederassel.

Anno domini M° trecentesimo XIII° empta fuerunt bona nostra in Nederassel ab Henrico de Masacker pro centum et XXX libris paruorum turonensium denariorum [2]).

## De quibusdam bonis in Haren.

Anno domini MCCC° XIII° empta fuerunt principalia bona in haren pro ducentis et quinquaginta libris paruorum turonensium.

## De translatione dedicationis ecclesie.

*Anno domini M°CCC°XIIII° facta est translatio dedicationis ecclesie nostre et omnium altarium cum indulgentiis per venerabilem dominum Johannem episcopum scopulensem. vicarium in pontificalibus reuerendissimi domini Henrici archiepiscopi Coloniensis. a festo sanctorum Prothi et Jacincti vsque ad tercium*

---

1) Lacomblet. III, 102.

2) Vgl. die Campener Urkunden.

*diem post festum Epiphanie. Et hoc propter crebra homicidia et alia animarum pericula tunc fieri solita.*

## Fraternitatem ordinis habent benefactores monasterii Campensis.

Anno domini M°CCC° sexto decimo Conradus abbas Cystercii. totusque conuentus abbatum capituli generalis concessit omnibus christifidelibus elemosinas suas seu grata beneficia monasterio Campensi prestantibus. fraternitatem et plenariam participationem omnium bonorum que in ordine fiunt et perpetuis temporibus fient domino concedente.

Fraternitas ordinis quam abbates in generali capitulo conferunt talis est et tanta. Primo pro viuis. Summa missarum octuaginta milia. psalteriorum vero triginta milia. Item pro defunctis missarum septies centena milia et psalteriorum duodecies centena milia. Item prebendarum conuentualium singulis diebus tria milia pro refectione pauperum.

## De fame et pestilentia magna.

*Anno domini 1317 et sequenti anno fuit tanta fames in alemannia. quod homines pre fame et inedia commederunt siliquas porcorum et mortua cadauera animalium. Et secuta est tanta mortalitas hominum. vt plures mortui inuenirentur. per vicos et plateas ac sepes et in multis locis cimiteria mortuos capere non poterant, sed aportebat dilatari. plures eciam ville et domus remanserunt absque habitatore. Subsecuta est eciam tanta mortalitas boum et vaccarum. vt vix tenues reliquae remanerent.*

## De quibusdam bonis in Haren.

Anno domini M°CCC°XVIII° empta fuerunt quedam bona in haren a wylhelmo de Bronchorst. domino de Batenborch pro libero allodio. pro duobus milibus paruorum denariorum.

## De emptione bonorum in karlesforst.

Anno domini M°CCC°XVIII° factus est contractus emptionis bonorum in karlesforst cum suis attinentiis in Creuelt. Anrode. Oesterade et wylick cum decimis et omnibus libertatibus. a monasterio aule sancte marie in Eppynchouen, pro septingentis marcis. tempore Arnoldi de Zittart abbatis Campensis et Eufemie abbatisse in Eppync-

houen. Et hanc litteram scripsit frater Rutgherus de Bercka egregius scriptor[1]).

## De libertate in Vrdinghen.

Anno domini M°CCC°XVIII° Henricus archiepiscopus Coloniensis libertauit curiam nostram in Vrdinghen. et exemit ab omni onere ciuili sc. vigiliarum. exactionis. contributionis. angariarum.

Item eandem curiam iudex et scabini atque opidani ab omnibus oneribus libertauerunt. et cum hoc gaudebit omnibus priuilegiis et iuribus eorum sicut quondam Syfridus archiepiscopus Coloniensis concesserat[2]).

## De quodam concambio bonorum et fraternitate inter monasterium Campense et sanctarum XI^m^ virginum in Colonia.

Anno domini M° trecentesimo vicesimo facta est quedam permutatio quorundam bonorum nostrorum in boesdorp situatorum cum abbatissa et conuentu sanctarum XI^m^ virginum in Colonia. Et in litera desuper data habetur de mutua fraternitate vtriusque monasterii. Ita vt cum personam aliquam alterius monasterii mori contigerit. tunc conuentus alterius monasterii facere tenebitur ac si persona aliqua sui monasterii decederet. Huic litere Arnoldus abbas Campensis sigillum suum vnicum pro se et suo conuentu appendit. conuentu necdum speciale sigillum habente. Iste Arnoldus eodem anno obiit et successit sibi immediate hermannus.

M°CCC°XX°.

Sextus decimus abbas Campensis Hermannus II. de wachtendonck. Cepit anno M°CCC°XX°. Resignauit vero anno domini M°CCC°XXVI°. *Obiit II. non. nouembris.*

## De curte Plits.

Anno domini M° trecentesimo XX° tempore Hermanni abbatis campensis a quodam Swedero de vrymershem comparata fuit curtis nostra Plyts pro libero allodio cum omnibus attinentiis suis in pratis. paludibus. pascuis. siluis. aquarum decursibus. piscationibus et molendino.

---

1) Vgl. Campener Urkunden.
2) Ebendaſ.

Anno domini M°CCC°XXI° Henricus archiepiscopus Coloniensis confirmauit et libertauit monasterio Campensi decimas in wylick inter Anrode et Vissel. emptas a theoderico van den Hamme cognomento Monachus.

Anno domini M°CCC°XXI° comparata fuerunt diuersa bona in vronenbroeck ab Arnoldo van dongeraede.

## De libertate in Zonsbeeck.

Anno domini M°CCC° vicesimo secundo Theodericus comes Cliuensis graciose remisit monasterio Campensi theloneum in Zonsbeeck de quibuscunque rebus. Eciam libertauit curiam nostram in Orsoy ab omnibus oneribus. 1331.

## De corpore sancte margarite martiris comiti Cliuensi concesso.

Anno domini M°CCC°XXII° prefatus Theodericus comes cliuensis ex speciali affectu et desiderio petiuit sibi concedi ab abbate et conuentu Campensi corpus sancte margarite martiris per tempus vite sue in ecclesia Cliuensi custodiendum promittens bona fide in litera desuper data quod ad requisitionem dictorum abbatum et conuentus absque quacunque contradictione restituet.

## De cataclismo in veteri monte facto.

Anno domini M°CCC°XXIIII° 23° die mensis maii maximum diluuium generatum ex casu nubis aquose pertransiuit monasterium veterismontis. quod euersis muris et quibusdam edificiis magnum dampnum eidem monasterio intulit. quia altior fuit aqua altaribus in ecclesia et perierunt plura ornamenta ecclesie cum libris chori et bibliotece. cum aliis diuersis necessariis et bonis monasterii. Insuper decem persone fuerunt submerse per huiusmodi repentinam invndationem. De isto euentu extant versus artificiales et nigrantes.

## De ordine milicie ihesu christi.

*Anno domini 1324 ordo nouorum militum ihesu christi instituitur in regno portugallie per Johannem papam XXII. vt sarracenis ibidem resisterent circumquaque discurrentibus. Huius ordinis caput siue principalem domum constituit idem papa in marino Syluensis dyocesis opido. Eisdem eciam militibus omnia bona Templariorum in Portugallia annuente rege concessa sunt.*

*quo liberius milicie christi vacarent. Cuius censor et moderator est abbas monasterii de Alcobasia Cisterciensis ordinis. vlixbonensis dyocesis. qui et conscribendi et exauctorandi milites facultatem habet.*

*Eodem tempore regnante Ludouico IV. Gelrie comitatus fit ducatus. cuius primarius dux fuit Reynaldus qui obiit anno 1341 et in monasterio sanctimonialium vallis comitis cum progenitoribus suis sepultus.*

## De libertate bonorum in vronenbroeck.

Anno domini M°CCC°XXVI° Henricus archiepiscopus Coloniensis ratificauit et confirmauit emptionem diuersorum bonorum in vronenbroeck cum futura augmentatione. Et in eisdem bonis consistunt et habentur termini episcopatus Coloniensis. prout narratur in literis.

M°CCC°XXVI°.

Septimus decimus abbas Campensis Godefridus II. de Nussya. cepit anno domini M°CCC°XXVI°. Iste resignauit semel inuito conuentu. et iterum fuit electus. Obiit III. kl. februarii.

Anno domini M°CCC°XXVII° Godefridus abbas emisit literas questuales ad omnes christi fideles cum literis indulgentiarum. quatinus eorum donationibus et elemosinis inopiam que occasione guerrarum percussionibus grandinum ac sterilitatum grauaminibus monasterium oppresserat posset subleuare. atque ruinosa et combusta edificia reparare et instaurare.

## Prima possessio ecclesie berckensis per campum.

Anno domini MCCCXXIX° Henricus de vyrnenborch Coloniensis archiepiscopus concessit abbati et conuentui Campensi quod possent officiare ecclesiam Berckensem per monachos suos. Et fuit eodem anno inuestitus fr. Thomas de Bercka.

## De libertate curie in Orsoy.

Anno domini M°CCC°XXXI° Theodéricus comes Cliuensis libertauit curiam nostram in Orsoy ab omnibus grauaminibus exactionibus vigiliis. Et nichilominus gaudebit defensionibus. priuilegiis. iuribus. libertatibus et graciis quibuscunque.

## De molendino super Nursenbergh.

Anno domini M°CCC° tricesimo septimo Walramus archiepiscopus Coloniensis graciose concessit monasterio construere molendinum super Nursenberch. sicut Conradus predecessor suus concesserat super Dasbergh. Et quod nullus potest prohibere. volentes molere in molendinis prefatis.

## Ordinatio Benedicti pape XII. de sigillis et sigillationibus literarum.

Anno domini millesimo trecentesimo XXXV° Benedictus papa XII. de ordine Cysterciensi assumptus pontificatus sui anno primo statuit et ordinauit quod quilibet conuentus cuiuslibet monasterii habeat proprium et speciale sigillum et quod quilibet abbas vel prelatus nouiter electus antequam amministret iuramentum prestare teneatur ad sancta dei Euangelia. quod possessiones et iura ad suum monasterium pertinentes seu pertinentia non vendet nec alienabit neque de nouo infeodabit neque per aliquem modum donabit. ne paulatim veniat in collapsum quod est antiquitate vel prolixitate temporis acquisitum. Et quod deinceps in sigillo cuiuslibet abbatis vel prelati. ipsius proprium nomen exprimatur. vt melius sciri possit per quem et cuius tempore de quo agetur factum extiterit. vt maliciis et falsitatum commentis via melius precludatur. Et quia gesta hominum scripture fidei committuntur. vt rei geste in posterum memoria habeatur. voluit et ordinauit vt vbicunque abbates aliquod cum expresso suorum conuentuum consensu facient de tali testimonialis conficiatur scriptura et sigilla eorundem abbatum eorumque conuentus apponantur in illa. Hec pape benedicti. Istud prius non fiebat in ordine nostro. sicut in antiquis literis approbatur vbi tales clausule reperiuntur. Et ego N. abbas vnicum sigillum meum pro me et meo conuentu quod aliud non habet in robur firmitatis presentibus feci appendi. In cathedralibus tamen et collegiatis ecclesiis. et aliis quibusdam ordinibus prius ante ista tempora duo sigilla litteris eorum reperiuntur appensa.

*Iste benedictus XII. primo vocatus fuit Jacobus et erat abbas monasterii frigidi montis Cisterciensis ordinis. qui temporibus suis singulos ordines reformare nisus est.*

Item ante prefatam ordinationem benedicti pape XII. quidam abbates in sigillo suo habebant ymaginem abbatis. alii. ymaginem

beate virginis. quidam vero tantum baculum pastoralem. Scriptura in circumferentia sigilli talis erat. Sigillum abbatis Campensis sine expressione proprii nominis. sicut adhuc in literis per ipsos sigillatis apparet.

Item finalis clausula in literis cuiusdam H. abbatis Campensis habentis ymaginem beate marie stantis in sigillo. Vt ista ordinatio artius teneatur et prescriptorum autenticum euidentius pateat et roboretur. sub sigillo beate et intemerate virginis marie in cuius honorem et obsequium ecclesia campensis fundata est et omnis prescripta actio ordinata. presentem cedulam communiuimus.

M°CCC°XLI°.

Octauus decimus abbas Campensis Arnoldus III. beyart de Bercka. cepit anno domini M°CCC°XLI° et prefuit VIII annis. obiit VI° kl. augusti.

Anno domini M°CCC°XLI° Walramus archiepiscopus Coloniensis ex certa scientia graciose concessit. Ne coloni nostri a ponte Gorsvort vsque ad pontem vpdem Horstken in vronenbroeck commorantes trahantur vel cogantur ad iudicium. ther Eyken in boicholt. quod nunc dicitur Rossenrade [1]).

## Quomodo Wylhelmus archiepiscopus coloniensis angarisauit monasterium Campense.

Item prefato walramo archiepiscopo Coloniensi successit Wylhelmus de Gennep. qui pro edificationibus suorum castrorum angarisauit monasterium Campense. quod oportuit ex curtibus Gumbretshem et Ouwenhem sibi ad servitium tenere currum cum quinque equis et duobus famulis. expensis monasterii. Ex tali ergo angariatione et instinctu prefati archiepiscopi permoti et indignati fuerunt dux Juliacensis et dominus de Ryperscheit. qui pretendebant sibi hoc fortius competere et licere. eo quod ipse curtes predicte non sub ipsius archiepiscopi. sed sub ipsorum dominiis essent situate. Quapropter et quilibet ipsorum exactionem duplicauit et sic oportuit continue tenere quinque currus cum XXV equis et decem famulis in propriis expensis. Vnde abbas et conuentus obtulerunt se dare ex curte Gumbretshem redditus trecentorum florenorum aureorum. Quatinus

1) Vgl. Campener Urkunden.

ipsi et eorum heredes monasterium ab huiusmodi exactionibus et indebitis hospitalitatibus haberent excusatum. Sed dominus de Ryperscheit tales redditus accipere recusauit. qui ymmo iactauit se ad huiusmodi seruitium abbatem et conuentum perpetue debere esse obligatos et hereditario iure possidere. Sub tali quesito colore. quod curtes sepedicte sub dominio suo pro maiori parte sint situate. et quod easdem prius in guerris defensauerit et in posterum ne ab aliis inuadantur aut spolientur defensare velit: Sed istam defensionem male seruauerunt heredes aut posteri eorum. Excopiatum est istud ex magno rotulo de quo supra habetur. (S. 369.)

M°CCC°XLIX°.

Nonus decimus abbas Campensis Wylhelmus II. de Zwalmen. cepit anno domini M°CCC°XLIX° et resignauit Anno M°CCC° sexagesimo. in festo natiuitatis marie obiit.

*Anno domini 1349 flagellatores ibant. V. Ex viuida cadit. mors vastat. grex cruce vadit. Ex ista secta multi graues errores pullulauerunt circa fidem et sacramenta ecclesie. que postremo in parte igne et gladio exterminata fuit.*

## Concessio wilhelmi archiepiscopi quod possumus officiare omnes ecclesias parrochiales.

Anno domini M°CCC° quinquagesimo Wylhelmus de Gennep archiepiscopus Coloniensis perpendens grauamina seruitiorum et maxima dampna. temporibus predecessorum suorum monasterio illata graciose concessit abbati et conuentui. quatinus ecclesias parrochiales in Bercka. loer. nederassel et haren. per Henricum de Vyrnenborch predecessorem suum prius monasterio incorporatas possent officiare per monachos suos que antea per capellanos seculares regebantur. Et in primis vacaturis earum continenter fuerunt in eis inuestiti monachi Campenses vt patet in literis presentationum. Sed talis officiatio predictarum ecclesiarum postmodum dinoscitur interrupta.

Anno domini M°CCC° quinquagesimo primo Reynoldus dux Gelrensis. occasione quarundam impetitionum quas pretendebat. extorsit a monasterio Campensi quadringentos scudatos antiquos aureos. vt patet in quadam litera.

## De emptione curtis Lve prope vrdinghen.

Anno domini M°CCC°LII° empta fuit curtis in Lue prope Vrdinghen pro libero allodio pro CCL scudatis aureis.

Anno domini M°CCC°LIII° Wylhelmus de Gennep archiepiscopus Coloniensis cenam domini celebrauit in monasterio Campensi sollempniter et crisma sacrum ibidem confecit.

## De venditione grangie maioris in wyse. prope Confluentiam.

Anno domini M°CCC°LV° Wylhelmus abbas et conuentus Campensis vendiderunt Carthusiensibus montis sancti Beati prope Confluentiam grangiam dictam Campe in parrochia Wyse situatam. pro duobus milibus et ducentis scudatis antiquis aureis. Et hec grangia vendita fuit propter graues exactiones et seruicia curruum. quas archiepiscopus treuirensis imposuit super eam. quamuis quondam a Johanne archiepiscopo predecessore suo. fuerat plene libertata. Anno M°CC° quarto tempore Theoderici quinti abbatis Campensis.

## De ordine sancte Birgitte.

*Circa annum domini 1354 cepit ordo sancte Birgitte principisse Suecie. qui ab hac sancta muliere inicium sumpsit. qui etiam ordo sancti Saluatoris dicitur. Et habet duplicia monasteria. sc. virorum et feminarum. Huius tamen religionis primum auctorem et institutorem sanctum Basilium in Grecia fuisse dicunt. sed propter occasiones scandalorum tollendas ecclesia ante multa tempora talia monasteria dissoluit. Birgitta vero spiritu sancto inspirata hoc modo renouare visa est vt quilibet sexus in seiunctis monasteriis habitaret.*

## De curte vpghen Oeuer.

Anno domini M°CCC°LV° empta fuit curtis opghen Ouer in Byrth a quodam Bartoldo appelman[1]).

## De bonis in Mensel.

Anno domini M°CCC°LVI° comparata fuerunt quedam bona nostra in Mensel. a quodam Ghysberto de Bruychusen.

---

1) Birth iſt Borth bei Weſel. Das nachfolgende Menſeln liegt in der Nähe.

## De curia in Nouimagio.

Anno domini M°CCC°LVI° curia Campensis in Nouimagio prope Hezelpoerte situata. empta fuit pro puro allodio ab abbatissa et conuentu monasterii vallis Comitis. pro quadringentis et LXXXVII Clippeatis auri puri.

### M°CCC°LX°.

Vicesimus abbas Campensis Vullyngus I. de plize baccalarius sacre theologie. cepit anno domini M° trecentesimo sexagesimo. Hic decem et octo annis laudabiliter rexit monasterium. quod in principio multis debitis aggrauatum repperit. sed in fine suo. quasi sine debitis et in magna libertate reliquit. Ipse eciam plures sustinuit persecutiones pro ordinis et sui monasterii libertatibus et iuribus defendendis. Obiit anno 1379. VI° kl. februarii.

Anno domini M°CCC°LXIX° Vullingus abbas Campensis ordinauit quod collationes ecclesiarum parrochialium in Welueren et Beninchusen debent fieri per abbatem Campensem et abbatissas prefatorum monasteriorum.

Anno domini M°CCC°LXXIII° fuit quidam prior in monasterio Campensi dictus Henricus de Coethusen oriundus de Nussya. qui officium prioratus cum multis sibi commissis laudabiliter rexit. omnibus benivolus et gratus. memoriam sui reliquit posteris in benedictione merito recolendam.

## De quadam actione contra pastorem Berckensem.

Eodem tempore interrupta fuit possessio et gubernatio ecclesie Berckensis per monachos Campenses et collata cuidam seculari dicto Henricus de Hambroeck sub certa competentia. Qui postea ingratus prauis consiliis nitens. mouit lites abbati et conuentui super incompetentia. Sed antequam inciperet agere contra eosdem impetrauit in curia Romana relaxationem iuramenti quod fecerat in compromisso et sigillato per dominum Wilhelmum archiepiscopum Coloniensem. vt posset agere contra abbatem et conuentum predictos. super decimis ecclesie Berckensi attinentibus et capella nostra in Bercka quod et fecit. Ista impeticio inchoata fuit anno domini M°CCC°LXXIII° sub Vullingo abbate Campensi et post XI annos sub domino Wil*helmo* abbate Campensi terminata qui et triumphauit contra prefatum

pastorem. Quapropter Vrbanus papa V. confirmauit monasterio Campensi decimas in Euersael. Wynreswick et Gart contra prefatum Henricum Hambroeck pastorem ecclesie Berckensis et eius successores in perpetuum. Datum pontificatus sui anno sexto.

## De quadam actione cum pastore de Replar.

Item tempore Vullingi abbatis dominus Jacobus pastor et rector parrochialis ecclesie de Replar [1]) male fauens sicut pastor de Bercka habuit longam actionem contra monasterium Campense de impetitione oblationum et missarum celebratione ante portam et de sepulturis mortuorum eligentium suas sepulturas in monasterio et ista impetitio fuit terminata et sententia diffinitiua in curia Romana in palatio causarum apostolico lata contra dominum Wesselum pastorem in Replar qui successit prefato domino Jacobo et fuit impositum sibi perpetuum sylencium de prefatis impetitionibus. Actum anno domini M°CCC°LXXIX° 23. mensis Nouembris pontificatus vrbani pape VI. anno secundo.

Et in causis contra prefatos pastores de Bercka et Replar data fuit monasterio Campensi a generali capitulo Cysterciensium provincialis contributio ad subsidium.

## Quomodo XVI calices fuerunt rapti.

Item temporibus domini Vullingi abbatis sicut relatione seniorum nostrorum audiuimus. quidam sacrilegi raptores et fures maligni. habentes noticiam monasterii et disposicionem. sub noctis silentio ecclesiam monasterii per fenestram ascendentes armata manu intrauerunt. Quorum quidam ad ianuas versus dormitorium et claustrum ducentes cum gladiis et arcubus se locauerunt. vt si forte aliquis superueniret ab ipsis trucidaretur. Alii vero interim capsam in qua calices repositi et clausi fuerunt a posteriori parte circa altare sancti Stephani murum transfodientes confregerunt. et sedecim calices quorum vnus aureus fuisse affirmatur. rapientes aufugerunt. Cuius sacrilege confractionis vestigia vsque hodie sc. 1482 apud altare sancti Stephani in aquilonari parte ecclesie situatum in muro reparato adhuc manifeste apparent.

---

1) Repelen bei Mörs. Die dahin gehörenden Urkunden, so wie die über Rheinberg stehen im Register des Copiars angedeutet, im Copiar selbst finden sie sich nicht.

*Anno domini 1374 Corisantes ibant. Versus Ecce corizando iam grex tribulatur in orbe.*

M°CCC°LXXIX°.

Vicesimus primus Abbas Campensis Adam de Louenich. cepit anno M°CCC°LXXIX° in die sancti Thome confessoris in X^bri^ et prefuit annis tribus et paulo plus. Obiit in grangia Stroemoers ipso die victoris anno 1382. De ipsius hereditate habet monasterium redditus in Kempen.

Istius electioni presedit dominus Johannes abbas veteris montis cum quodam monacho Morimundensi nomine Johannis de bormonte ex commissione venerabilis domini abbatis Morimundi immediati patris abbatis specialiter directo. Eodem tempore adhuc monasterium Campense multis debitis fuit obligatum. sicut ex inuentario tunc conscripto per partes invenitur. licet superius de domino Vullingo aliter scriptum euiam inueniatur.

M°CCC°LXXXII°.

Vicesimus secundus abbas Campensis Wylhelmus II. de Colonia. cepit anno domini M°CCC°LXXXII° *(VII nouembris)* et quasi viginti annis prefuit. Obiit vero in Colonia anno 1402. *III. nonas septembris.* Istius electioni presedit dominus Gerardus abbas Clareuallensis commissarius capituli generalis.

## De officiatione ecclesiarum nostrarum.

Item temporibus istius Bonifacius papa IX. indulget. quod abbas et conuentus monasterii Campensis possunt per monachos suos ecclesiam Berckensem officiare. et alias ecclesias quarum iure patronatus collatores existunt. Datum pontificatus sui anno XIII°.

Istud ius fuit interruptum *circa annos domini 1397* forte per preces et instantias archiepiscopi Coloniensis et admissus fuit ibidem plebanus secularis.

## De fundationibus monasteriorum in Hoesden et Yselsteyn et Warmonda.

Anno domini M°CCC°LXXXII° fundatum est monasterium corone domine nostre in Hoesden. Istud monasterium in principio fuit ab*batia postea* prioratus 1425.

Anno domini M° trecentesimo LXXXVI° illustris princeps Albertus palatinus Rheni, dux Bauarie. Comes Hollandie. Zelandie etc. qui prius anno 1382 pro remedio anime sue. vxoris ac progenitorum suorum donauerat abbati Campensi locum in opido Hoesden pro construendo monasterio quod vocatur Corona domine nostre. Eciam postea vlteriori deuotione ad ordinem nostrum accensus anno domini M° trecentesimo LXXXVI° donauit abbati Campensi alium locum in Hollandia prope opidum Leydis dictum vetus teylinghe in parrochia de warmonda pro construendo ibidem monasterio nouo. qui prioratus esset. Vnde sicut prius in Hoesden. ita ad hunc locum transmissi fuerunt VII vel VIII monachi qui ibidem constructa domo habitare ceperunt. sed interim exortis guerris et parcialitate in hollandia profectum habere non potuerunt. Quamobrem cogente necessitate post sex annos locum illum relinquentes aliqui de ipsis fratribus reuersi fuerunt ad monasterium Campense. aliqui remanserunt in monasterio de yselsteyn tunc nouiter inchoato et relictus fuit ille locus vsque ad annum domini 1412 et tunc per alium fundatus.

*Anno domini 1388 erat tam modica aqua in Reno ita quod in multis locis posset transsaltari, putei fuerunt exsiccati in tantum quod aqua reni per plateas colonie portaretur et venderetur*[1]). *Simile fere accidit anno 1634. Sub hoc abbate anno 1388 Joannes dominus in Riefferscheid et in Bedbur ius patronatus ecclesie Bedburgensis 7ma Aprilis cessit priori pro tempore ex ordine sancti Augustini ibidem existenti et successoribus eius quod alias una cum decimis maioribus ibidem credebatur pertinere ad abbatiam Campensem: quam cessionem Joannes XXIII. authoritate apostolica confirmauit a°. 1464. uti ex archivio mihi communicato a°. 1703 quo controversa omnia cum domino comite amice composita fuere.*

*Anno domini 1389 dominus fredericus Coloniensis archiepiscopus cepit munire fossatis opidum xanctis in profesto sancti Gregorii cum potentia et compleuit in XXI diebus.*

*Anno domini 1390 Adolphus comes Cliuensis in nocte sancte Agathe tamquam ignotus captus fuit in Reno ab opidanis in Rees. qui tunc sub episcopatu Coloniensi erant, nec tamen diu detentus mansit.*

---

1) Dieſelbe Nachricht bringt auch die Köln. Chronik, Bl. CCLXXXII.

Anno domini M°CCC° nonagesimo quarto fundatum est monasterium montis domine nostre in yselsteyn 2° loco pro prioratu. quod ante plures annos abbatia fuisse dicitur et totaliter destructum in guerris.

*Anno domini 1397 feria quinta ante pentecosten fuit bellum famosum iuxta Cliuis inter Wylhelmum ducem montensem et Adolphum comitem Cliuensem. qui triumphauit contra ducem Montensem et postea factus est dux in concilio Constantiensi 1416.*

*Circa annum domini 1398 magister Gherardus groet claruit. sanctitate vite et scientia et incepit congregationes fratrum. in dauentria et alibi et vocantur domus Clericorum. Qui eciam plures ad abbatem Campensem scripsit epistolas.*

*Eodem tempore claruit magister Henricus de Hassya doctor famosus sacre theologie et lumen ecclesie. contra hereticos. Ipse eciam egregium librum scripsit de commendatione sancti Bernardi. in quo precipue inuehitur contra maculationes sancti Bernardi.*

## De diuersis heresibus.

*Eodem tempore peruersa heresis Johannis Wycleff in Anglia et Johannis Hus in Bohemia ac Jheronimi de Praga pullulauit et multos infecit. Eciam tunc heresis Adamitarum pullulare cepit in Bohemia. sed statim extincta fuit. Erat enim nimis grossa et inuerecunda. Nam nudi incedebant viri et femine et indecenter mutuo luxuriabantur.*

## M°CCCC°II°.

Vicesimus tercius abbas Campensis Johannes II. de Buttenbroeck. Anno domini M° quadringentesimo secundo in vigilia natiuitatis marie circa horam vesperarum electus canonice in abbatem. prefuit vero annis XXI laudabiliter et resignauit anno 1423. Obiit vero anno 1426 *VI nonis octobris* et sepultus in posteriori parte ecclesie quam ipse prolongauerat et exaltauerat. *Item in electione domini Johannis de bottenbroek presidebat dominus Johannes abbas veteris montis ex commissione domini bonifacii pape IX. eo quod in gallia scisma fuit contra eundem papam.*

## Berckervoirt.

Iste instaurauit curtem in Berckervoirt. iam multis annis desolatam et multis laboribus et expensis agros eiusdem curtis reduxit

ad culturam et in diuersis curtibus et grangiis ruinosa edificia instauranit.

Temporibus eciam istius abbatis quidam monachus Campensis dictus Euerardus de tushusen. fuit procurator ordinis in curia Romana.

## De renouatione ecclesie Campensis.

Anno domini M°CCCC° decimo corpus ecclesie Campensis innouatum fuit et magnis expensis in sublime erectum et de nouo testudinatum. Et sequenti anno versus occidentem in longitudine XXV pedum prolongatum.

## De 2ª fundatione monasterii in warimonda.

*Anno domini M°CCCC°XII° secundarie fundatum fuit monasterium portus domine nostre in warmonda per strenuum et deuotum militem dominum Johannem de wouda. et tunc fuerunt illic fratres de monasterio et prioratu de yselsteyn transmissi.*

## De capella ad portam.

Anno domini M°CCCC°XII° capella ad portam monasterii fuit innouata et prolongata: Et maius Altare in honore beate marie et duodecim apostolorum consecratum fuit.

Anno domini M°CCCC°XV° locus lectionis cum parte ambitus ad introitum ecclesie fuit ex toto instauratus.

## De prioratibus sub paternitate abbatis Campensis.

*Anno domini M°CCCC°XV° colligatio prioratuum facta fuit sc. de Yselstein, de zybekeloe et warmonda. De istis monasteriis successu temporum alia monasteria prioratuum fundata fuerunt sub certis articulis et modo viuendi.*

*Item ista forma colligationis prioratuum per capitulum generale mutata et reuocata. anno 1489.*

## De renegatis paganis et iam conuersis.

*Anno domini 1415 Sigismundus imperator per maxima bella reduxit habitatores iunioris egipti ad catholicam fidem quam ante LX annos abnegauerant et ad paganismum accesserunt. Quapropter pro penitentia est eis a sede apostolica impositum quod*

*sequentibus LX annis ex vnaquaque genealogia ipsorum. per septem annos per christianitatem peregrinari deberent.*

*Anno domini 1416 iste Sigismundus imperator in die sancti Vitalis martiris in concilio Constantiensi creauit Adolphum comitem Cliuensem cum magna sollempnitate in ducem.*

M°CCCC°XXIIII°.

Vicesimus quartus abbas Campensis Johannes III. de Goch cepit anno domini M°CCCC°XXIII° XV. die mensis Julii. et resignauit anno 1438 XII. die aprilis.

*Item in resignatione domini Johannis de bottenbroeck abbatis et electione domini Johannis de Goch. presidebat dominus Henricus. Obiit vero in vigilia sancti Thome apostoli 1453.*

Anno domini M°CCCC°XXV° abbas Johannes de Goch disiunxit posteriorem partem ecclesie. per intersticium ligneum et separauit stationem et locum vulgi et laicorum. ne per eorum improbum discursum et strepitum per totam ecclesiam et claustrum. sicut facere consueuerant. amplius molestaretur conuentus.

*Item anno 1426 abbatia corone sancte marie in Huesden mutata fuit in prioratum.*

## De magna pestilentia.

Anno domini M°CCCC°XXIX° circa festum pentecostes fuit magna pestilentia in monasterio Campensi in qua breui tempore defuncti fuerunt duo priores vnus post alium ordinatus et XII alii monachi sacerdotes, vnus nouicius et II conuersi et alii familiares.

## De cellario vini.

Anno domini M°CCCC°XXX° instauratum et profundatum fuit cellarium sub refectorio longitudine centum pedum cum testudine latericia seu lapidea pro vino et potu reponendis.

## De parte ambitus et dormitorii.

Anno domini M°CCCC°XXXI° fenestre in refectorio fuerunt innouate in maiori et pulchriori forma cum cancellis ferreis in marmore conclusis. Eodem anno pars ambitus ante capittulum cum fenestris vitreis. ac pars dormitorii supra capitulum fuerunt instau*rate et eleuate.*

*Anno domini 1433 obiit in Hollandia opido Schydam Lyedwighis virgo vt pie creditur sancta. que mirabili infirmitate a puericia sua per plures annos detenta. vitam suam in patria et pace consummauit.*

*Anno domini 1434 fuit magnus ventus septima nocte Octobris qui multas arbores euulsit et multa dampna monasterio Campensi fecit. Ecce ruunt cedri cum vento*[1]).

## De venditione bonorum in koze et de emptione bonorum in Wachtendonck.

Anno domini M°CCCC°XXXVI° quedam bona monasterii dicta koze in Slauia situata. quondam a nobili principe Nycolao domino de Rostock donata propter plura grauamina et violentias et pericula tam animarum quam corporum. que ibi fiebant et quia modicos redditus inde monasterium percipiebat. vendita fuerunt consulatui ciuitatis de wystock pro nongentis florenis Renensibus aureis. pro quibus comparata fuerunt bona et decime in dominio de Wachtendonck[2]).

M°CCCC°XXXVIII°.

Vicesimus quintus abbas Campensis Henricus III. dictus de Nyephusen. cepit anno domini M°CCCC°XXXVIII° et prefuit XIIII annis. Obiit vero in Colonia in curia monasterii. ipso die Abdon et Sennes martirum anno 1452. sed de Colonia transuectus in curru ad monasterium. sepultus est cum patribus suis in domo capitulari circa medium noctis.

*Iste electus fuit per viam compromissi. electoribus concorditer compromittentibus in venerabilem patrem dominum Johannem de Goch protunc resignantem dignitatem abbatialem et in ista electione presedit venerabilis dominus Gvido abbas morimundi. Iste abbas fuit benedictus in Colonia in capella curie monasterii Eberbacensis. qui non multum a curia Campensi distat circa Renum.*

## De constructione capellarum in ecclesia.

Iste secundo et tercio regiminis sui anno ecclesiam Campensem versus aquilonem. multis expensis et laboribus extendit et ampliauit.

1) Nachtrag von späterer Hand. Zwischen fecit und Ecce ist nachträglich noch „nox Dyonisi“ eingeschoben.

2) Vgl. die Campener Urkunden.

et multa altaria per capellas discincta in eodem latere. cum sacristia pro deuotione et commodo celebrantium sagaciter ordinauit. et competentibus ornamentis decorauit.

Eodem tempore sc. anno domini M°CCCC°XL° circa festum sancti Andree consecrata fuerunt prefata altaria cum reliquiis diuersorum sanctorum inclusis. per venerabilem dominum Johannem episcopum Venecompenensem ordinis minorum et vicarium in pontificalibus reuerendissimi domini Theoderici de Moersa. archiepiscopi Coloniensis.

## De renouatione quorundam edificiorum.

Circa idem tempus prefatus abbas bibliotecam siue librariam in ambitu iuxta introitum ecclesie renouari fecit et testudinari. et libros augmentauit. Ipse etiam domum nouam supra puteum edificauit. Eciam domum sutrini quasi ex integro instaurauit. Item plura antiqua edificia. ruinosa. instaurauit et presertim curias monasterii in Colonia et Nussya in quibus bona et pulchra commoda industrie adaptauit ac cum sufficientibus vtensilibus et necessariis honeste procurauit.

Item cellas in dormitorio de nouis et pulchris tabulis distincte construxit.

Item quasdam antiquas celaturas asserum sub solariis in abbatia et infirmitorio fecit picturis decorari.

## De translatione domus beghinarum.

Anno domini M°CCCC°XL° beghine siue sorores que in veteri Campo. vulgariter Aldevelt. vltra centum annos sub protectione et cura abbatis et conuentus Campensis habitauerant. propter tamen strepitum cohabitantium. et insolentias que in vicinis tabernis fiebant. cum permissione et voluntate abbatis et conuentus transtulerunt habitationem ad aliam curtem monasterii dictam Loemoellen. situatam inter monasterium et molendinum super dasbergh. vt ibi commodius et secretius domino in religiosa vita seruirent.

## De malicioso incendio in Stroemoers.

*Anno domini M°CCCC°XLI° in nocte sancti petri ad cathedram incensa fuit grangia monasterii Campensis dicta Stroemoers a quodam maligno homine et incinerata fuit eadem grangia*

*cum omnibus bladis et aliis bonis. preter capellam et domum abbatie. Et suffocati fuerunt ibidem circa XC porci. oues tamen euaserunt. equi et vacce pro maiori parte euaserunt. Actor tamen istius incendii circa tres annos mansit incognitus et tunc deprehensus in manifesto et nobili furto in Alpen. ibidem adiudicatus suspendio. cum staret in scala patibuli et laqueus hereret in collo. peciit a iudice vt posset modicum loqui et audiri a circumstantibus et tunc confessus fuit quod ipse maliciose ad instigationem cuiusdam alterius sine causa incendisset Stromoers. Et erat nomen eius Reynerus bolten. Eodem tempore rector grangie fuit frater Gherardus Lueff de Gelria conuersus. Et reedificata fuit eadem cum magnis expensis et subsidiis amicorum precipue Wilhelmi Hamer ciuis Coloniensis et patris confratris nostri Ghysberti Hamer. qui multis annis fuit confessor in Eppynchouen.*

*Anno domini 1444 Gherardus dux montensis habuit victoriam contra Arnoldum ducem Gelrensem in die sancti Huperti episcopi.*

*Anno 1444 Susacia et xanctis ciuitates a dyocesi Coloniensi ad manus ducis Cliuensis venerunt.*

## De duobus monasteriis de Buyrloe.

Anno domini M°CCCC°XLVIII° monasteria Orti sancte Marie in maiori Buyrloe et vinee sancte Marie in minori Buyrloe ordinis sancti wylhelmi. monasteriensis dyocesis. licentia et auctoritate domini Nycolai pape V. sponte per Henricum abbatem Campensem transtulerunt se de ordine sancti wylhelmi ad ordinem Cysterciensem et monasterio Campensi perpetue sunt incorporata. Actum circa festum palmarum et fuit ibi prior ordinatus de Zibekeloe pro noua institutione et informatione.

## De monasterio Bottenbroeck.

Anno domini M°CCCC°XLVIII° Capitulum generale Cysterciensium ad instantiam quorundam dominorum commisit abbati Campensi. quatenus in monasterio de Bottenbroeck pro monialibus collocaret monachos. Fuit namque monasterium prefatum depauperatum et quodammodo desolatum in edificiis preter ecclesiam. et adhuc residebant ibidem quedam inordinate et infames moniales. Quibus t[a]

cum consilio fundatorum eliminatis. cum assignatione certe pensionis annue ad vitam earum. transmissi fuerunt illuc dominus hermannus kempis supprior Campensis in rectorem tam monasterii quam etiam parrochie annexe. Et fuit eidem associatus frater Arnoldus breemt infirmarius et postea sunt eciam alii fratres directi et quamuis difficulter tamen successu temporis profecit in edificiis et culturis agrorum et receptione personarum et factus est prioratus cum competenti conuentu.

## De Jubileo.

Anno domini M°CCCC° quinquagesimo Conuentus et familiares monasterii Campensis tempore Nycolai pape V. habuerunt graciam jubilei.

## De quibusdam edificiis.

Anno domini M°CCCC°LI° edificatum fuit nouum infirmitorium pro monachis decumbentibus. in quo preter communem morem patrie collocatum fuit Altare versus aquilonem. Quod consecratum fuit eodem anno in festo Bartholomei apostoli. Et eodem die consecratum fuit altare in capitulo. quod violatum et instauratum fuerat. Item sequenti die consecratum fuit Altare in domo Beginarum siue sororum nostrarum.

Anno domini M°CCCC°LII° Dormitorium conuersorum fuit renouatum et noue Celle constructe. Et eodem anno Domus torcularis ad introitum vinee. de nouo fuit instaurata. tempore ultime egritudinis prefati abbatis in qua et mortuus est.

## M°CCCC°LII°.

Vicesimus sextus abbas Campensis Henricus IV. de Ray. cepit anno domini M°CCCC°LII° sexto die Septembris. et prefuit annis triginta et vno atque diebus XIIII. Obiit vero in vigilia sancti mathei apostoli et euangeliste coram fratribus conuentualibus anno domini 1483 et sepultus in capitulo versus meridiem.

*Iste fuit benedictus in Colonia in capella curie Campensis.*

*In ista electione presedit dominus Arnoldus abbas Campensis sancte marie cum assessore domino Johanne abbate veteris montis ex commissione domini Johannis abbatis Morimundensis.*

## De quadam violatione emunitatis monasterii.

Anno domini M°CCCC°LIII° circa festum translationis sancti Benedicti contigit duos qui homicidium in Alpen in conuiuio perpetrauerunt. propter habendam securitatem transfugere ad monasterium Campense. Et post duos dies Castellanus protunc in Alpen Euerardus quaede miles. eos armata manu insecutus. monasterium violenter intrauit et vno predictorum infra emunitatem monasterii circa domum camere interfecto et lancea transfosso. alterum captum viuum secum abduxit. Et ille qui interfectus fuit sepultus est in Replar. quia non potuit sepeliri in monasterio propter interdictum. Et propterea per quindenam interdictum fuit seruatum. donec compellerentur. per dominum Theodericum archiepiscopum Coloniensem et comitem de Nuwenar. vt eundem quem secum viuum violenter abduxerant: liberum et sanum in monasterio presentarent. Quod et fecerunt de mane ante missam et pulsate fuerunt campane et continenter cantanta missa cum aliis horis. Sed ipsi de Alpen non permittebantur monasterium intrare. quod adhuc erant excommunicati propter violentiam prefatam. sed fuerunt refecti cibo et potu ante portam. Et sic reconsiliati per penitenciarios archiepiscopi continenter fuerunt absoluti.

## De peregrinatione puerorum ad sanctum michaelem.

*Anno domini M°CCCC°LVI° factus est magnus concursus puerorum et puellarum de ciuitatibus et villis quasi totius Almanie. qui per diuersas turmas. alii post alios perrexerunt proprio motu nec a parentibus detineri aut prohiberi poterant ad quandam Ecclesiam sancti michaelis in remotis partibus constitutam. Et omnes sani absque impedimento reuersi sunt ad propria. Sed quid significabat. aut quo fiebat instinctu. penitus ignorabatur.*

## De bonis dictis wyckray.

Anno domini M°CCCC°LVII° propter speciale commodum monasterii quoad molendinum super dasbergh. comparata fuerunt bona dicta Wyckray videlicet curtis Auerbruyck cum aliis curtibus adiacentibus. cum omnibus pertinentiis et iuribus a Johanne de Bueren domino in Arsen pro mille et XL florenis Renensibus

aureis. Et stant sub redemptione. vt prorsus in literis desuper confectis[1]).

## De baptizatione ducis Cliuensis.

Anno domini M°CCCC°LVIII° magnificus et illustris princeps Johannes dux Cliuensis. *(Iste Johannes dux successit Adolpho patri suo in ducatu 1449.)* in natiuitate filii sui primogeniti. quem peperit ei coniux sua illustris domina Elizabeth filia comitis de Stampis. misit ad abbatem Campensem dominum Henricum ardenter expetens. quatenus dignaretur prefatum suum primogenitum ad laudem dei baptisare. Quod et factum est IIII die mensis maii. cum magna sollempnitate in ecclesia sancte marie in Cliuis hora missarum. presentibus multis nobilibus et honorabilibus personis vtriusque sexus cum multa frequentia populi. Et vocatus fuit puer nomine patris sui Johannes. *Iste Johannes successit patri in ducatu anno 1481.* Et perfecta fuerunt ibidem omnia. sicut talem principem decuit in magna gloria. Et pro tali actu et beneplacito predictus dux. donauit abbati Campensi cifum argenteum cum operculo suo. pulchrum et ponderosum. qui non immerito in memoriam tanti facti in monasterio conseruatur.

## De reclusione monasterii Sledenhorst.

Anno domini M°CCCC°LIX° in festo sancte Cecilie virginis et martiris facta fuit auxiliante domino reformatio et inclusio monialium monasterii Sledenhorst in ducatu Cliuensi sollicitante et cooperante. et larga subsidia prebente nobili domicella katherina sorore germana domini Adolphi olim ducis Cliuensis. cum quo sepulta iacet ad Carthusienses prope Wesaliam. Et fuerunt ad monasterium Sledenhorst adducte reformatrices moniales religiose de Colonia. ex monasterio Seynensi que ad tempus ibidem permanserunt. sed vna ex illis ordinata in priorissam ibidem permansit. Ex eo tempore prefatum monasterium profecit. in spiritualibus et temporalibus ita quod edificia que prius pene omnia fuerunt lignea et fictilia siue lutea. postea fierent lapidea. Et etiam in breuibus annis totum monasterium. forti et alto muro spaciose est circumdatum.

*Item pro reformatione monasterii Sledenhorst preter labores*

1) Vgl. die Campener Urkunden.

*et sollicitationes abbas Campensis pro aptandis edificiis et septis monasterii exposuit et donauit cum consensu sui conuentus. vltra ducentos florenos Renenses aureos.*

*Item circa hec tempora sub isto venerabili abbate ac eciam successore suo fuit in monasterio Campensi quidam clericus dictus Wilhelmus de Reno in habitu fratris donati perpetuatus et professus. qui fuit scriptor egregius nulli illo tempore in arte sua secundus. Iste scripsit plures libros scil. Catholicon. duo Antiphonaria. duo gradualia. missale preciosum pro summo altari et alia diversa. Ab isto scriptore quidam fratres conuentuales instructi scripserunt preciosa Breuiaria et Diurnalia. Iste scriptor post multos labores librorum obiit anno 1487* [1]).

*Item circa hec tempora fuit monachus et sacerdos ad tempus supprior et postea pastor in ecclesia nostra Berckensi et scriptor egregius qui scripsit quinque integra et perfecta missalia pro monasterio Campensi. Qui obiit senex anno domini 1503. Nomen istius fuit frater Henricus de vetere ecclesia in terra Gelrensis* [2]).

## De nouo horologio.

Anno domini M°CCCC°LXI° fabricatum fuit in monasterio Campensi nouum horologium. quod sonat in campanis plenas et medias horas. et etiam habet cymbalum cum paruis nolis. et alia artificialia.

*Anno domini 1463 Robertus de Bavaria concorditer fuit electus in archiepiscopum Coloniensem. Eodem anno et tempore circa festum Pasche fuit magna habundantia victualium diuersorum et in bono foro. Ita in Colonia secundum cursum communis fori. pro tribus flor. ren. qui faciunt XII marckas colon. emebantur. vnum maldrum siliginis. vnum maldrum hauene. vnum maldrum tritici. vnum maldrum ordei. vna tonna siue vas allecium. vna quarta boni vini. vnus bonus pullus saginatus. vnum talentum de recentibus carnibus. vna Riga siue 4or panes: omnia predicta pro tribus flor. renen. Et de istis continenter habentur* (?) *et tali precio emebantur.*

---

1) Diesen Wilhelm de Reno halten wir aus später anzuführenden Gründen für den Chronikschreiber.

2) Späterer Zusatz von der Hand des Fortsetzers der Chronik bis zum Jahre 1504.

*maldrum siliginis . . . XIIII albis*
*„ hauene . . . . VIII „*
*„ tritici . . . . XVIII „*
*„ ordei . . . . . XIII „*
*Tonna allecium . . . . quinque marckis.*
*Quarta boni vini . . . I alb.*

*Item panis siligineus de pondere XXXII loet vel circa pro vno denario scil. haller.*

*„ „ triticeus „ „ XIX eciam pro I denario scil. haller.*

*„ vnum talentum mediocris butiri pro IIII den. scil. hall. Sed vnum talentum de meliori butiro pro VII den. siue hallis.*

*Item anno eodem circa festum martini vendebatur in colonia vnum maldrum tritici melioris pro XV albis.*

*Item vnum maldrum siliginis pro XII albis. Item maldrum ordei XI albis. Item maldrum hauene VII albis. Item I quarta vini boni pro X den. scil. haller.*

*Item anno sequenti scil. 1464 in festo Gereonis et Victoris I quarta vini competentis pro II den. scil. haller*[1]).

## De quodam incendio.

Anno domini M°CCCC°LXIII° in media nocte subsequente festum sancti Felicis in pincis (14. Januar) exortum fuit inopinatum incendium in monasterio et combusta sunt domus quedam. a latere domus Camere. in opposito refectorii hyemalis situata. in qua preter alia aliqui libri. cum multo pergameno nouo ad valorem centum et XX florenorum Renensium incendio perierunt. Et cum magnis laboribus alia edificia ab incendio seruata fuerunt. Item ab isto tempore et continenter libri monasterii tam in scriptura. quam etiam correctura. et ligatura fuerunt studiose emendati. precipue in missalibus et Cantualibus.

## Deportatio sancti victoris in xanctis.

Anno domini M°CCCC°LXIIII° facta est deportatio sancti Victoris martiris gloriosi in Xanctis. cum magna sollempnitate. et

1) Nachtrag auf einem beſonderen Zettel von der urſprünglichen Hand. Vgl. *Kölner* Chronik, Bl. 316.

conuocatione omnium ecclesiarum sub archydiaconatu xanctensi. et fuit ibi presens dux Cliuensis Johannes cum tribus filiis suis. Et fuerunt tunc vt fertur ibidem vltra XX milia hominum promiscui sexus et etatis. Actum in festo sancti Bernardi abbatis.

## De quodam cremento vini.

Anno domini M°CCCC°LXIIII° fuit annus satis fertilis et benedixit dominus vinee monasterii Campensis in bono cremento. Sed exorta fuit magna tempestas ventorum in festo sancti mathei que multas confregit vites et aliquas grauiter collisit ita quod extunc colligi oportebat. Nichilominus de cremento illius anni peruenit ad cellarium et in vasa repositum est ad XXXVI karratas et fuit competenter bonum.

## De reclusione in Sterckerode.

Anno domini M°CCCC°LXV° octaua die mensis Januarii facta fuit reformatio et reclusio monialium monasterii riuuli sancte marie in Sterckrade. sollicitante domina Hadewyghe de loe. abbatissa ipsius monasterii. et cooperante domino duce Cliuensi. nec non domino Johanne de loe milite. et fratre germano Hadewighis abbatisse antedicte. Qui etiam de facultatibus suis. omnia ruinosa edificia monasterii reparauit. et totum monasterium nouo muro circumdari fecit.

Insuper et plures annuos redditus donauit. Et extunc ipsum monasterium profecit in spiritualibus et temporalibus. fuerunt autem reformatrices primo. vna monialium prefati monasterii. que ante reformationem istam amore perfectioris vite a monasterio Sterckroede transierat ad monasterium de Pratis. disciplinatum et reclusum. sed tempore reformationis. reuocata extitit. pro noua institutione regularis et religiose vite. Fuit etiam quedam alia reformatrix de remoto monasterio que consanguinea fuit domine abbatisse Hadwighis.

*Item pro reformatione istius monasterii abbas Campensis preter labores. expendit vltra XX florenos Renenses aureos.*

## De reclusione monasterii Eppinchouen.

Anno domini M°CCCC°LXV° feria sexta post festum pasche. que tunc euenit XIX mensis aprilis. facta fuit reformatio et reclusio monialium monasterii Aule sancte marie in Eppynchouen prope Nussyam. sollicitante domina margarita de Auerdonck abbatissa ipsius

monasterii. et multis christifidelibus ad hoc perficiendum larga beneficia prestantibus. Et fuerunt illic reformatrices de vicino monasterio Vallis gracie adducte per aliquod tempus. Et profecit idem monasterium in regulari obseruantia et edificiorum reparatione et aliis. Ceterum pro reformatione istius monasterii preter labores. pro quibusdam necessariis exposuit abbas Campensis vltra XXX florenos Renenses aureos.

## De reformatione montis principis.

Anno domini M°CCCC°LXVII° circa festum sancti Benedicti in XL^ma^ facta fuit reformatio et cum multa difficultate reclusio monialium monasterii montis principis iuxta xanctos. volente. sollicitante ac precipiente illustri principe Johanne duce Cliuensi. Et fuerunt illic primo adducte reformatrices de monasterio vallis gracie ad tempus. Et post illas quedam ad tempus ex monasterio Sledenhorst.

*Item pro reformatione et inclusione istius monasterii abbas Campensis pro instaurandis quibusdam edificiis et aptandis donauit et exposuit centum et X florenos Renenses aureos.*

Item in reformatione istius monasterii plures moniales reclusionem et regularem vitam abhorrentes exiuerunt. aut ex commissione prefati ducis Cliuensis. brachio seculari et armata manu educte fuerunt. sed tamen successu temporis pene omnes inspirante deo. ad suum monasterium. reclusionem acceptantes redierunt.

## De monasterio veteris montis.

Anno domini M°CCCC°LXVII° sexta die mensis Augusti per resignationem domini Johannis Slebus abbatis monasterii veteris montis electus et constitutus fuit ibidem abbas venerabilis dominus Arnoldus abbas monasterii Lenyn et doctor sacre theologie. presentibus abbate Campensi et abbate de Campo sancte marie et abbate de Eberbaco. Eodem tempore ex ordinatione venerabilis patris domini Guillermi abbatis morimundi. prefate electioni presidentis. de consilio aliorum abbatum presentium. pro reformatione prefati monasterii veteris montis. transmissi fuerunt ex monasterio Campensi post diem assumptionis marie frater Henricus de kalkar supprior. qui ibi prior fuit ordinatus et frater Henricus de vetere ecclesia cantor. qui ibidem *seuerauerunt* vsque post festum pasche.

## De conflictu prope Stralen.

*Anno 1468 leodium fuit destructum per ducem Burgundie*[1]).

Anno domini M°CCCC°LXVIII° in vigilia natiuitatis sancti Johannis baptiste fuit conflictus inter ducem Gelrensem et ducem Cliuensem

1) Ueber die Zerſtörung Lüttichs, ſo wie überhaupt über Karl's des Kühnen kriegeriſche Thätigkeit enthält die Chronik auf einem eingehefteten Blatte folgende Verſe aus der gleichen Zeit:

Excidium leodii.

Desine sublimes in auras tollere vultus.
Nosce meo casu. nec dare firma deos.
Nobilitatis ego leodis venerabile signum
Gentis et inuicte gloria nuper eram.
Sum modo ridentis spectaclum turpe popelli
Et testor karoli me cecidisse manu.

Datum de obsidione nucie.

BeLLans qVIrIne MILes sVCCVrre nVCle.

De morte comitis anguillarii in obsidione nucie.

Ne busti locus aut sit cassa memoria leti
Aspice qui transis tristia fata viri
Conditur hac reni comes angwillarius vrsus
In ripa fluminis dum fuit ille ducis
Magni commilito karoli dum nucia castris
Cingitur et turres quassa lapis dirimit
Ictu bombarde simili cadit illius ergo
Dum se custodem concitat intrepidum.

De morte karoli ducis borgundie.

Alter Allexander alter Judas machabeus
Atque potente leo karolus hoste cadit.

Karole magnipotens vndenis belliger annis
Alter allexander cuspidis ore cadis.

Karolus armipotens pedibus non prebuit alas
Constans elegit bellica iura pati.

Karolus occubuit et campos corpore texit
Cecidit in bello victus vigilia regum.

Fortis in vngue leo cecidit quem Nancia vicit.

Dux nanci cecidit plebem qui dire cecidit.

Nancia cantat ephi victrix nam fit ducis alti.

u. ſ. w.

prope opidum Stralen et ceciderunt vulnerati multi ex vtraque parte. E quibus de parte Adolphi ducis Gelrensis duo milites. scil. Mathias de Eyl et Scephardus de Bornem. mortui. transvecti fuerunt ad monasterium Campense et in festo sancti Johannis coram domo capitulari in vno tumulo sepulti.

*Anno 1469 V die nouembris ex commissione Pauli pape II. abbas Campensis transtulit monasterium Regularium de Oestrum ad locum dictum sancte marie ad arenam prope Stralen. sollicitante Adolpho duce Gelrensi.*

## De clenodiis monasterii translatis.

Anno domini 1469 in festo sancti Ambrosii omnia clenodia monasterii cum monstrantiis reliquiarum ac ornamentis ecclesie. et calicibus extunc septem. cum melioribus ornamentis ecclesie translata fuerunt ad monasterium Carthuensium prope Wesaliam et hoc propter timorem obsidionis opidi et castri Berckensis fiende per dominum Ropertum archiepiscopum Coloniensem et Adolphum ducem Gelrensem contra Henricum dominum de Ghemen. qui prefatum opidum cum castro ab archiepiscopo coloniensi impignoratum detinebat. Et reportata fuerunt omnia anno 1470 in festo sanctorum Cosme et Damiani. Similiter anno domini 1473 circa festum sancti Georgii omnia clenodia et preciosa monasterii deportata fuerunt ad opidum Berckense et ad alia loca propter aduentum karoli ducis Burgundie. qui cum magno exercitu aduenit. ad subiugandum sibi ducatum Gelrensem. Et fuerunt omnia reducta ad monasterium eodem anno circa natiuitatem marie.

## De nouo vino in festo Sixti.

Anno domini M°CCCC°LXXI° ver calidum fuit et bene temperatum et cepit vinea florere circa medium mensis maii et eodem anno in festo sancti Sixti. (Aug. 6.) misse cum nouo vino in ecclesia Campensi fuerunt celebrate. Et continenter in festo sancti Bernardi de bono nouo vino amministratum fuit conuentui ad refectionem et deinceps. Quod non fuit factum in memoria hominum.

Anno domini M°CCCC°LXXIII° in medio mensis marcii ceperunt florere arbores cerasorum et pumellorum. Et in principio aprilis *floruerunt* poma et pira. Et continenter circa medium maii vinea

floruit. Et in festo sancti sixti misse cum nouo vino fuerunt celebrate. Nec creuit in multis retro annis vinum tam valens et forte. et erat circa XX$^{ti}$ karratas.

## De magna siccitate.

Illo anno pauca blada et fructus in multis locis creuerunt propter diuturnam siccitatem et magnum calorem. qualis non fuit in recordatione hominum.

## De obsidione Nouimagii et de dampnis monasterii.

Anno domini M$^{o}$CCCC$^{o}$LXXIII$^{o}$ Karolus dux Burgundie circa festum pentecostes cum multis milibus armatorum intrauit ducatum Gelrensem et obsedit opidum Venloe et circa festum sacramenti obtinuit. Deinde procedens obsedit Nouimagium et in breui tempore obtinuit. et postea omnes alie ciuitates eius se dominio subdiderunt. quia dominum ipsorum Adolphum ducem Gelrensem in captiuitate in flandria detinebat.

*Item tempore obsidionis et captionis Nouimagiensis. domus curie nóstre iuxta Heselpoerte situata. fuit multipliciter ictibus bombardarum perforata et conquassata ita quod postea vix potuit centum florenis renensibus restaurari. Item altare eiusdem domus fuit scissum et violatum. Quod denuo fuit in alio loco domus ordinatum et de nouo consecratum Anno domini 1478 in festo sancti Dominici confessoris.*

Item tempore obsidionis Nouimagiensis omnes ville et ecclesie per circuitum fuerunt deuastate et spoliate et habitatoribus earum. aliis captis. aliis occisis. aliis depauperatis. multa loca remanserunt sine habitatoribus et agri optimi absque sufficientibus cultoribus. Postea vero adhuc aliis atque aliis guerris succedentibus permaxima dampna in Haren et attinentiis eius pertulit monasterium Campense. in diuersis grauaminibus exactionibus spoliis vexationibus. sperantes spem pacem prouenturam. sed nondum venit infra decem sequentes annos (1483). Et modicum habuimus tam de curtibus quam de decimis ecclesiarum.

## De obsidione Nussiensi.

Anno domini M$^{o}$CCCC$^{o}$LXXIV$^{o}$ in crastino sancti Panthaleonis prefatus karolus dux Burgundie adueniens cum exercitu vt ſ

Domina abbatissa et monasterium in Assen in frisia II½ flor. Renenses.

Domina abbatissa et monasterium in Lewenhorst duos flor. Renenses et VIII stufferos.

Domina abbatissa et monasterium ad sanctum Seruatium in traiecto IX flor. Renenses.

Domina abbatissa et monasterium Vallis Comitis IIII½ flor. Renenses.

Domina abbatissa et monasterium in Sledenhorst quinque maldra siliginis.

Confessor in Sledenhorst frater Godefridus cum matre sua IIII flor. Renenses.

Sorores in ciuitate Delfft in Hollandia duos flor. Renenses et V stufferos.

Domina abbatissa et monasterium vallis sancte marie prope traiectum duos florenos.

Domina abbatissa et monasterium in Ruremunda III flor. Renenses.

Domina abbatissa et monasterium in monte principis [1]).

Anno domini M°CCCC°LXXIIII° in crastino sancti Panthaleonis. incipiente obsidione opidi Nussiensis per accessum illustris principis karoli ducis Burgundie cum multis milibus armatorum. monasterium vallis gracie ordinis nostri fuit deuastatum et rebus omnibus absque misericordia spoliatum et pro parte in quibusdam edificiis destructum. Insuper domina abbatissa cum suis monialibus fuit expulsa. Prefata abbatissa in merore obiit. et moniales ad alia monasteria ordinis transmisse fuerunt. Sed cessante obsidione et reddita pace congregate sunt miserante domino. dispersiones earum et ex auxiliis et largitionibus fidelium reedificauerunt destructa et ad bonum statum et ordinis obseruantiam iterum peruenerunt.

## De reformatione in Sarne.

Anno domini M°CCCC°LXXVI° in festo sanctorum martirum Gordiani et Epymachi. facta fuit reformatio et reclusio monialium monasterii Aule sancte marie in Sarne. et pro ista reformatione multis annis fuit laboratum.

1) Hier bricht die Nachweisung ab, ohne den Posten auszufüllen.

Et fuerunt illic adducte primo reformatrices de Eppinchouen. que ad tempus ibidem eas instruxerunt et in obseruantia precesserunt. Postea resignante abbatissa de Sarne electa et ordinata fuit ibi abbatissa de monasterio Sterckerode. que tunc aliquas secum de suo monasterio assumpsit. que ibidem etiam ad tempus permanserunt. Et profecit istud monasterium notabiliter in temporalibus et spiritualibus.

*Item pro reformatione monasterii in Sarne abbas Campensis pro adaptandis et disponendis quibusdam edificiis exposuit vltra centum floren. Renenses aureos ac de suis clenodiis argenteis alique vendidit ad subsidium.*

*Anno domini M°CCCC°LXXVII° in nocte sequente festum sancti bernardi fuerunt tonitrua magna et per ictum fulminis. confracte fuerunt quedam trabes in molendino nostro super Dasbergh atque ab eodem fulmine fuit incensum. sed per industriam molendiariorum cum ceruisia fuit extinctum*[1]).

## De reformatione in Beninchusen.

Anno domini M°CCCC°LXXVII° in festo sanctorum quatuor coronatorum. fuit reformatum et reclusum monasterium in Bennychusen cooperante nobili domino de lyppia et fuit ibi ordinata et adducta abbatissa cum aliis reformatricibus de monasterio kentrop. *Item pro reformatione istius monasterii quodammodo desolati donauit abbas Campensis. tam in debitis relaxatis. quam in promptis pecuniis vltra centum floren. aureos.*

Item ex prescriptis monasteriis monialium per abbatem Campensem reformatis. plures moniales reclusionem abhorrentes ad alia monasteria non inclusa se transtulerunt. vel apud parentes vel amicos seculares ad tempus remanserunt. sed tamen procedente tempore quasi omnes deo inspirante ad propria monasteria reformationem acceptantes redierunt.

## De instauratione pristini.

Anno domini M°CCCC°LXXVIII° medietas domus pristini fuit instaurata et magnis expensis in sublime erecta. disponente domino Theoderico Zonsbeck. protunc cellerario monasterii.

1) Einſchiebſel von der Hand des erſten Fortſetzers der Chronik.

## De carentia allecium quasi ad duos annos.

Anno domini M°CCCC°LXXIX° valde pauca fuerunt alleca in alemannia eo quod rex francie inimicaretur Maximiliano duci austrie et Burgundie et omnibus ditioni eius subiectis. Et direxit naues bellicas super mare. cum multitudine armatorum qui ceperunt Hollandrinos et alios capientes alleca et captiuos cum nauibus et allecibus abduxerunt. nec vlterius capturas allecium fieri permiserunt. vnde et alleca protunc rara et cara erant et si aliquando haberi poterant aliis dignioribus ferculis preferebantur. Et sequenti anno vix raro et in caro foro haberi poterant.

*Item contigit annis 1665 et 1666 propter bellum nauale Anglos inter et Hollandos ambos haereticos. idem contigit annis 1672 et 73 propter bellum inter reges franciae et Angliae ex una et foederatos hollandos ex altera exortum ita ut pro una ama halecum dederimus in quadragesima 28 imperiales daleros.*

Anno domini M°CCCC°LXXX° fuerunt tempora cara in bladis. vino. carnibus. piscibus. butiro et oleo et aliis. et durauit per tres annos.

## De asperrima hyeme.

Anno domini M°CCCC°LXXXI° post festum natiuitatis christi fuit hiemps asperrima et frigus quodammodo intollerabile. in quo oliueta et vineta perierunt. id est arbores nucum et vinee in multis locis pro magna parte perierunt. Et eo tempore in vinea Campensi pauce vites euaserunt que virides permanserunt. Sed tandem circa festum Johannis. ex radicibus repullulare ceperunt et sic illo anno nichil penitus de vino creuit.

Anno vero sequenti sc. 1482 vix vnam karratam vini habuimus. *idem contigit A°. 1629.*

*Anno domini 1481. 7. die septembris obiit illustris princeps Johannes dux Cliuensis specialis fautor et defensor monasterii nostri et cooperator reformationis trium monasteriorum monialium sub abbate campensi. Et successit eidem Johannes filius ipsius. quem abbas Campensis baptizauit 1459*[1]).

1) Einſchiebſel des nächſten Fortſetzers der Chronik.

## De noua vnione et possessione ecclesie Berckensis.

Anno domini M° quadringentesimo LXXXI° secundum morem Romane Curie sed secundum morem alemannie LXXXII° decimo kalendas aprilis sc. XXIII^a^ die marcii dominus Sixtus papa II. pontificatus sui anno XI° de nouo incorporauit et vniuit ecclesiam parochialem opidi Berckensis monasterio Campensi per liberam resignationem domini Rudzeri de thoûen pastoris eiusdem ecclesie. Et sortita est hec vnio effectum eodem anno in festo translationis sancti Martini. quum acceptata fuit possessio prefate ecclesie per fratrem Henricum priorem Campensem hora vesperarum. presente venerabili viro magistro Johanne de Arsen preposito ecclesie sancti spiritus in Ruremunda [1]). et clero ecclesie et pluribus de consulatu et continenter nomine abbatis et conuentus Campensis in pastorem illius ecclesie presentatus fuit archidyacono xanctensi frater Johannes dictus de Nyephusen protunc cellerarius monasterii. et post proclamationes in ecclesia consuetas inuestitus fuit et introductus in crastino translationis sancti Benedicti et post alterum diem exhibitum fuit sollempne conuiuium in domo dotis omni Clero et consulatui et potioribus ciuitatis ac aliis amicis presente domino abbate. priore cum aliis senioribus monasterii. *Iste prefuit ecclesie Berckensi anno vno et diebus quinque. Infirmatus fuit in Bercka de pestilentia et fecit se deferri ad monasterium. die 5^ta^ obiit. Sed pro desiderio consulatus et ciuium opidi Berckensis ac eciam pro confortatione iuris nostri nouiter aquisiti deportatum fuit corpus eius in curru ad Berckam et in choro ecclesie parochialis sepultum anno 1483. XVII mensis Julii.*

*Isti successit frater Henricus de vetere ecclesia portarius. nomine abbatis et conuentus inuestitus et introductus in festo sancti Sixti. eodem anno* [2]).

Causa autem vel necessitas prefate vnionis et noue incorporationis. seu antiqui interrupti iuris renouationis fuit hec. quia quidam magistri Collegii porte celi in vniuersitate Erffordensi. sicut auisatum nobis fuit. oriundi de Bercka moliebantur obtinere ecclesiam Berckensem qualicunque modo potuissent et priuare monasterium iuribus et

1. Vgl. Binterim u. Mooren IV. 437 f.
2) Randbemerkung von der Hand des Chronikschreibers.

attinentiis prefate ecclesie. Et nichilominus abbas et conuentus remanerent obligati capitulo ecclesie sancti Cuniberti in Colonia de pensione annua. XL flor. renensium aureorum grauioris ponderis solvendorum. ratione contractus eiusdem ecclesie cum prefato Capitulo sancti Cuniberti habiti anno 1396. Quapropter matura deliberatione prehabita cum consilio iurisperitorum ac sapientium bene fauentium monasterio. prefata noua vnio impetrata fuit per magistrum Johannem de Arsen prepositum ecclesie sancti spiritus in Ruremonda. et cum multis laboribus et expensis iterum peruenit monasterium ad possessionem ecclesie Berckensis. Attendant igitur presentes et futuri successores nostri. tales difficultates et expensas et sine interruptione manuteneant possessionem eiusdem ecclesie. Recogitent etiam quid fecerit aut quomodo egerit cum monasterio Dominus Henricus de Hambroeck olim pastor sepedicte ecclesie Berckensis anno 1373. de quo supra habetur. sub domino Wullingo. XX° abbate Campensi et preter istum eciam sepius lites habuit monasterium cum pastoribus ecclesie sepedicte sicut literarum documentis plenius comprobatur.

## De quodam incendio.

Anno domini 1483 in festo sancti Roberti. infra cenam ortum fuit incendium in quadam domo inter capellam ante portam et horreum militare. Quod adiuuante domino. per labores fratrum et familie ac quorundam hospitum tunc presentium fuit suffocatum et absque magno dampno extinctum.

## De visitatione abbatis Cystercii.

Anno domini M°CCCC° octuagesimo tercio reuerendissimus pater dominus Johannes abbas Cystercii preter morem predecessorum suorum personaliter partes Germanie intrauit. ad visitandum ordinis monasteria et vbique sollempniter. vt decuit. cum honore susceptus fuit. Tandem a monasterio veteris montis descendens in Nussya a Campensibus occurrentibus susceptus. ibidem pernoctauit. Atque sequenti die qui erat octaua ascensionis domini. cum domino Arnoldo abbate veteris montis ac domino Johanne abbate de dulci valle et comitiua eorum deductus ad monasterium Campense. honorifice et processionaliter susceptus est circa meridiem et consequenter visitationis officium *expleuit*. Missam in die pentecostes sollempniter celebrauit. Feria

tercia sequenti. de mane valefaciens nobis per wesaliam per nos deductus et ibidem prandens a quibusdam fratribus de Buyrloe illic sibi occurrentibus deductus est ad monasterium Buyrloe. Deinde ad Zibekeloe. postea ad Aedwart et frisiam et ibidem monasteriis visitatis diuertit ad Campum sancte marie in westphalia. Atque vlterius ad Hassyam, Saxoniam, thuringiam etc.

## De ordinatione et registratione priuilegiorum et literarum monasterii Campensis.

*Anno domini 1482 collecta et decenter reposita sunt priuilegia registra instrumenta autentica cum diuersis aliis literis sigillatis de bonis et libertatibus monasterii nostri Campensis et cum magna diligentia et per ordinem alphabeti iuxta dormitorium in cammera testudinaria et cum ianuis ferreis et ab incendio vt putabatur bene prouisa et in nouis capsulis distincte locata et continenter per manum notarii publici in vno volumine de verbo ad verbum integre et correcte descripta et singule copie per manum notarii subscripte. Et vtinam a successoribus nostris debite conseruentur ne perdant*[1]).

*Et ista dispositio tunc temporis fuit facta per fratrem Henricum de Kalker priorem monasterii. postea abbatem Campensem. Item per fratrem Stephanum van der Schuren capellanum abbatis. qui ante ingressum ordinis ad tempus studuerat in iure canonico et postea promotus fuit in doctorem iuris canonici. Item per fratrem Hermannum kraen de Colonia baccalarium in artibus. subcapellanum abbatis*[2]).

## De destructione monasterii Yselsteyn.

Anno domini 1483 destructum et combustum fuit monasterium nostrum. prioratus in Yselsteyn occasione guerrarum. que fuerunt inter Traiectenses ex vna et dominos de Yselsteyn et Hollandrinos alia ex partibus.

1) Einſchiebſel von der Hand Heinrich's von Kalkar. Das berührte Copiarium iſt noch vollſtändig vorhanden.

2) Gleichfalls von Heinrich's von Kalkar Hand.

## De magna pestilentia.

Anno domini 1483 fuit magna pestilentia in Colonia et Nussya ac Bercka et in circumvicinis locis ac ciuitatibus. Quo tempore etiam plures de monachis et familiaribus monasterii Campensis. tam intus quam exterius in grangiis et in monasteriis monialium obierunt.

## De obsidione ciuitatis traiectensis.

Anno domini 1483 Maximilianus filius frederici imperatoris. dux Austrie Burgundie Brabancie etc. cum maximo exercitu obsedit ciuitatem traiectensem in fauorem domini Dauid de Burgundia episcopi predicte ciuitatis traiectensis. qui a suis ciuibus traiectensibus et in complicibus captus tenebatur in ciuitate Amersfoirt. Capta vero ciuitate et humiliata reductus est episcopus cum honore ad sedem suam.

In predicta quidem obsidione monasterium monialium vallis sancte marie prope traiectum fuit omnino spoliatum et curtes eius desolate. Similiter et curtes monasterii monialium sancti Seruacii infra Traiectum situati fuerunt penitus destructe et combuste. Ita quod prefata monasteria ad magnam paupertatem deuenerunt.

## M°CCCC°LXXXIII°.

Vicesimus septimus abbas Campensis Henricus V. dictus de Kalkar. canonice electus anno domini millesimo CCCC° octuagesimo tercio. quinta die Octobris. qui tunc fuit in dominica. qua cantatur Salus populi. Presidente eidem electioni venerabili patre domino Arnoldo abbate veteris montis et sacre theologie professore. ex commissione reuerendissimi domini Anthonii abbatis morimundi. immediati visitatoris nostri. Assidente sibi reuerendo domino Johanne abbate Campi sancte marie et ad hoc specialiter aduocato.

Item benedictio istius abbatis aliquantulum fuit protelata per reuerendissimum dominum Hermannum Coloniensem archiepiscopum. qui eandem in propria persona explere intendebat si ad hoc aliqualiter vacare potuisset. sed propter diuersas occupationes impeditus. tandem commisit vicario suo in pontificalibus videlicet venerabili domino Johanni episcopo Cyrenensi. de ordine minoritorum. Qui post festum purificationis anno domini 1484 a Colonia descenderat pro consecrandis capellis et altaribus ad Urdynghen. kempen. wachten*donck etc.* Et tunc vlterius deductus ad monasterium Campense

electum abbatem sollempniter consecrauit. in festo sancti Petri ad Cathedram. quod tunc in dominica LXX^me^ euenit. presentibus venerabilibus abbatibus domino Hermanno de Harswidehusen et domino Elberto abbate de Hamborne ordinis Premonstratensis. Item dominus Arnoldus abbas veteris montis rogatus febri correptus venire non potuit. Item non fuit in recordatione aut relatione aliquorum seniorum aliquem abbatem Campensem in monasterio suo fuisse benedictum. Ceterum expense facte tempore benedictionis in monasterio fuerunt multum minores quam extra monasterium in benedictionibus abbatum fieri consueuerunt. sicut patet in registris desuper conscriptis.

## De reformatione monasterii in Holthusen.

*Anno domini 1483 circa festum XI· millium virginum facta fuit reformatio et inclusio monialium in monasterio dicto Holthusen iuxta opidum Buren in Westphalia. Et fuerunt illic transmisse moniales reformatrices cum noua abbatissa dicta Elizabeth wreden ex monasterio nostro Benynchusen. assistente ibidem ad tempus domina Anna ketelers abbatissa prefati monasterii Benynchusen. Sub dispositione domini Johannis abbatis Campi sancte marie. qui ibidem confessorem disposuit* [1]).

## De reformatione monasterii Harswitehusen.

Anno domini millesimo quadringentesimo octogesimo quinto vltima die Aprilis sc. in profesto sanctorum Philippi et Jacobi apostolorum facta est cooperante gracia dei reformatio monasterii de Harswitehusen. pro qua pluribus annis laboratum fuit. sollicitantibus et cooperantibus venerabilibus domino Symone de Lyppia episcopo Paderbornensi et abbatibus henrico de veteri campo patre abbate prefati monasterii de Harswitehusen. ac domino Johanne abbate Campi sancte marie et Anthonio abbate de Breydelaria. Vbi post spontaneam et liberam resignationem domini Hermanni abbatis propter perfectiorem regularis vite institutionem concorditer per omnes voces fuit electus in abbatem dominus Wernerus Cellerarius Campi sancte marie. qui etiam de suo monasterio secum retinuit duos fratres. quorum vnus

1) Randnachtrag von der Hand des Chroniſten mit hellerer Dinte.

ordinatus fuit post electionem abbatis in priorem et alius in suppriorem et cantorem.

Anno domini millesimo CCCC° octuagesimo sexto a festo circumcisionis domini per totum mensem Januarium. fuerunt quasi continue invndationes pluuiarum et maxime tempestates ventorum et precipue in nocte subsequente diem circumcisionis domini. in qua nocte molendinum monasterii nostri in villa Haren cum quadam noua domo in vna grangiarum nostrarum ibidem infra annum constructa. eadem tempestas funditus subvertit et quasi totaliter confregit. Eodem tempore vt dicebatur. vltra centum molendina ventalia. ac multa edificia in partibus inferioribus per diuersa loca ex predicta tempestate ceciderunt et plures naues periclitate fuerunt. Insuper fuerunt magne et insolite invndationes fluuiorum Reni sc. et yssule. wali et mose. Ita quod multos aggeres interruperunt et ad insolita loca inopinate aque decurrentes quosdam homines et multa animalia et iumenta submerserunt et nisi ipsis per naues a vicinis opidis et locis subuentum fuisset. multo plures fame et aquis periissent. Erat autem propterea tunc in multis locis videre et audire miseriam.

## De 3ª et 4ª translatione monasterii montis domine nostre in Yselsteyn.

*Anno domini 1486 cepit reedificari monasterium de Yselsteyn non longe ab opido yselsteyn. sed quia ibidem pacem et tranquillitatem habere non poterant propter inuasiones raptorum et predonum ad voluntatem et consilium venerandi domini Dauid de burgundia episcopi Traiectensis atque frederici domini de yselsteyn fundatoris eiusdem monasterii. de licentia capituli generalis. conuentus sepedicti monasterii translatus fuit sollempniter in opidum yselsteyn ad locum eis designatum per fundatorem. Acta sunt hec anno domini 1495 in festo sancti Benedicti abbatis.*

## De quadam deportatione sancti Victoris.

*Anno domini 1487 circa festum sancti Egidii abbatis facta fuit in opido xanctensi deportatio sancti victoris gloriosi martyris cum magna sollempnitate ac indulgentiis iubilei et presentia trium aut quatuor principum et convocatione omnium ecclesiarum sub archidiaconatu xanctensi consistentium cum patronis et vexillis sicut consuetudinis ab antiquo fuit. Et eodem die pro exhibenda*

*statione sollempni iuxta monasterium montis principum in Campo circa occidentalem plagam ecclesie transmissa fuerunt illic meliora Clenodia cum monstratiis et Reliquiis a monasterio Campensi. Et expleta sollempni statione. reportata fuerunt ad monasterium Campense* [1]).

Anno domini 1487 in festo sancti michaelis facta fuit reformatio et inclusio monialium in monasterio de valle sancte marie. dicto Netze. in comitatu de Waldeck. Et fuerunt illic directe moniales reformatrices cum noua abbatissa ex monasterio nostro Benynchusen. assistente ibidem ad tempus domina Petronilla protunc abbatissa predicti monasterii benynchusen. sub prouisione domini Johannis abbatis Campi sancte marie. qui ibidem confessorem de fratribus suis ordinauit. Item istud monasterium Netze prius non fuit incorporatum ordini. sed stabat sub episcopo ordinario. propter tamen reformationem fiendam in eodem monasterio. sollicitante comite de Waldeck per abbatem Campensem auctoritate capituli generalis fuit ordini Cisterciensium incorporatum [2]).

## De incendio in Euersael.

*Anno domini 1487 in nocte precedente profestum sancti martini hyemalis. per inopinatum incendium combustum fuit magnum horreum monasterii in curte nostra Euerzael cum multis bladis vnde monasterium maximum dampnum sustinuit.*

*Anno domini 1488 circa festum Pentecostes. monasterium monialium in Hassya vocatum mons Georgii ex sollicitatione illustrissimi lantgrauii Hassie et Germani fratris eius archiepiscopi Coloniensis reformatum et inclusum fuit. per venerabilem dominum Johannem abbatem Campi sancte marie. Et fuerunt illic directe reformatrices moniales et sorores ex monasterio nostro Benynchusen feliciter.*

*Anno domini 1487 Capitulum generale Cisterciensium cum magnis expensis obtinuit a sanctissimo domino nostro. domino Innocentio papa octauo amplissimam et graciosissimam bullam. de renouatione et confirmatione exemptionis et priuilegiorum ordinis. Que sic incipit. Innocentius episcopus seruus seruorum*

1) Von der Hand des erſten Fortſetzers der Chronik.
2) Mit dieſer Stelle endigt die Hand des Chroniſten.

*dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ad Romani pontificis spectat officium suorum predecessorum inherendo vestigiis etc. Et precellit omnes gracias et indulgencias a predecessoribus suis ordini concessas. Vnde propter huiusmodi impetrationem generale capitulum graues contributiones illo anno et sequenti imposuit monasteriis ordinis soluendas.*

*Anno domini M°CCCC°LXXXIX° Capitulum generale Cysterciensium mutauit Statuta et formam colligationis prioratuum. sub paternitate abbatis Campensis. Atque nouam diffinitionem et modum viuendi edidit et nomen colligationis mutauit in nomen confraternitatis.*

## De grauamine et exactione per dominum archiepiscopum Coloniensem.

*Anno domini 1489 dominus Hermannus archiepiscopus Coloniensis impetrauit a sanctissimo domino Innocentio papa VIII. priuilegium. quatenus propter intollerabiles expensas et necessitates ecclesie coloniensis. ad quas prouentus mense archiepiscopalis non suppetebant. exigere posset ab omnibus religiosis tam exceptis quam non exceptis sue dyocesis vnum caritatiuum subsidium. vnde appellatum fuit a patribus abbatibus et aliis monasteriis eiusdem dyocesis. et causa delata ad audientiam Capituli generalis Cistercii.*

*Idem fit hoc a°. 1697 ab Archiepiscopo Col. Josepho Clemente non obstantibus protestationibus — item ab Electore Palatino Neoburgico ex concessione tali quali Pontificis praeter contributiones gallicas*

*non iam caritativum*
*sed coactivum*[1]).

*Quapropter Capitulum generale iterum obtinuit a predicto sanctissimo domino apostolico nouam declarationem priuilegii exemptionis et confirmationis priuilegiorum ordinis iam anno 1488 concessi sub bulla executoria ad dominum Andream de pompeo episcopum Cabilonensem que sic incipit. Innocentius episcopus*

---

1) Randnachtrag aus dem 18. Jahrhundert.

*Seruus seruorum dei venerabili fratri episcopo Cabilonensi. Salutem et apostolicam benedictionem fide dignorum relatione accepimus. Quod licet monasteria et alia religiosa loca etc.*

*Item adhuc non cessante infestatione prefati domini Archiepiscopi Coloniensis pretendentis. quod supradicta priuilegia essent generalia et sua causa et gracia impetrata esset specialis. Adhuc impetratum vnum breve apostolicum in speciali pro monasteriis ordinis in dyocesi coloniensi situatis. Sub sigillo piscatoris. Quod sic incipit. Innocentius papa octauus. Dilectis filiis Abbatibus et Abbatissis ac prioribus et priorissis monasteriorum Cisterciensis ordinis. illorumque conuentibus ciuitatis et dyocesis Coloniensis. Dilecti filii Salutem et apostolicam benedictionem. Intelleximus non absque graui animi displicentia. Quod licet omnia monasteria vestra etc. Istis tamen non obstantibus dominus archicpiscopus violentias. vexationes et dampna intulit monasteriis et licet diu per appellationes et iuris obstacula obuiatum sit ipsi. tandem tamen propter redimendas vexationes compulsi sunt prelati ordinis cum ipso componere in certis pecuniarum summis. Vnde eciam monasterium Campense circa annum nonagesimum compulsum fuit dare non de iure sed de facto. ducentos florenos aureos. sc. et omnia monasteria monialium concordarunt cum eodem per se vnumquodque prout leuius poterat. Item pro defendendis priuilegiis et exemptione exposuerunt monasteria vltra quadringentos florenos.*

## De decimis quas dedimus domino pape.

*Anno domini 1490 dominus Innocentius papa octauus. exegit a monasteriis vtriusque sexus ordinis Cisterciensis decimas prouentuum vnius anni. Quarum collector per Almaniam fuit dominus Raymundus venitzer Canonicus ecclesie sancte marie ad gradus moguntinensis et familiaris domini pape. inimicius de predictis. etiam ex assensu domini Reuerendissimi Cisterciensis abbatis et capituli generalis. exegit quasi absque iniuria ab abbatibus in Colonia post octauas pasche congregatis plura et recepit a monasterio Campensi centum florenos aureos. a monasterio veteris montis Centum et XXV. a monasterio Campi sancte marie CL etc. preter expensas desuper factas.*

## De reformatione monasterii monialium Leden iuxta Osenbrug.

*Anno domini 1491 reformatum et reclusum fuit monasterium monialium dictum leden in Osnaburgensi dyocesi. quod multum abberauerat ab obseruantia ordinis. et stetit sub episcopo ordinario. Sed cooperante comite de Teclenborch iterum subiectum fuit ordini et incorporatum per abbatem Campensem auctoritate Capituli generalis.*

## De molendino equestri.

*Anno domini 1491 constructum fuit molendinum equestre iuxta molendinum ventale super Nurssenbergh prope monasterium.*

*Anno domini 1491 post festum circumcisionis fuit hyemps asperrima et longa. Item quod Rhenus duabus vicibus fuit constrictus glacie. Qui eciam in vltima degelatione et resolutione sua cum maxima invndatione plurima dampna fecit excedendo ripas et terminos suos. destruendo aggeres. euellendo arbores et arbusta. euertendo domos. submergendo homines et iumenta. replendo eciam plures egregios agros arena ita vt steriles existant. Item ex vehementia algoris perierunt vinee. et alie arbores fructifere ita quod pauca vina et fructus arborum fuerunt. Et secuta est estas pluuiosa et frigida. Et ex multis pluuiis et invndatione riuorum plurima frumenta et pascua fuerunt submersa. et subsecuta est inopinata caristia et penuria omnium rerum. Insuper in autumpno propter multas pluuias et terre humiditatem vix arari aut seminari potuit. Etiam fuit in aliquibus locis magna mortalitas animalium. propter putrefactionem feni et aliorum pabulorum.*

*Anno domini 1492 fuit maxima siccitas per totam estatem vnde et pauca blada et pauci fructus arborum creuerunt et secuta est magna caristia et penuria multarum rerum.*

## De reformatione et inclusione monasterii Welueren.

*Anno domini millesimo quadringentesimo XCIII° in profesto sancte Gertrudis cuius festum tunc euenit in dominica qua cantatur letare Iherusalem facta fuit reformatio et inclusio monialium in monasterio Welueren. sollicitante ad hoc et adiuuante reuerendissimo domino Hermanno Coloniensi archiepiscopo. Et*

*fuit magna difficultas et resistentia monialium abhorrentium reformationem. vnde et maior pars ipsarum protunc exiuit.*

*Et fuerunt ibidem reformatrices noua abbatissa et alie moniales de monasterio Benynchusen.*

## De reformatione et inclusione monasterii Lewenhorst in hollandia.

*Anno domini 1493 in festo sancti Panthaleonis facta fuit reformatio et inclusio monialium in monasterio Lewenhorst in hollandia. vbi duplo maior pars monialium clausuram acceptauerat et VIII pro deliberatione exiuerunt. sollicitante ad hoc et adiuuante nobili viro Johanne comite de Egmonda locum tenente in Hollandia et Zelandia etc. ex commissione serenissimi domini maximiliani regis Romanorum ac eciam illustrissimi principis philippi filii eius. archiducis Austrie. ducis Burgundie Brabantie etc. comitis Flandrie Hollandie Zelandie etc.*

*Et fuerunt illic directe reformatrices moniales de monasterio Furstenbergh.*

## De quodam incendio in opido Berckensi.

*Anno domini 1494 ipso die sancti Seruacii episcopi qui tunc euenit feria 3ª post festum ascensionis domini. exortum magnum incendium circa XI horam diei in opido Berckensi. in vico iuxta forum. Quod exinde flante vehementer vento orientali combussit et incinerauit versus orientem in brevi tempore terciam partem domorum eiusdem opidi. In quo incendio eciam vorax flamma conflagrauit Capellam monasterii Campensis cum tribus Altaribus et cum domo habitationis et horreo curie eiusdem monasterii et insuper tres alias domos cum attinentiis suis in eadem platea eciam monasterio pertinentes. Item eodem tempore in diuersis opidis et locis dicebantur fuisse incendia exorta et multa edificia concremasse.*

*Sexaginta domus vel circiter abstulit ignis.*
*Plebi Berckensi vento veniente repente.*
*Cum factum fuerit tunc Seruacii memor esto.*
*Anno Milleno cum quingentis. deme sed sex.*
*Littre ostendunt datum quo contigit anno*[1]).

1) Randnachtrag.

*Eodem anno sc. 1494 ecclesia monasterii Campensis in testudinibus fuit decenter depicta.*

*Anno domini 1495 domus bladorum in opposito ecclesie circa portam mediam que ruinam minabatur instaurata fuit per nouum ab anteriori parte murum appositum.*

*Eodem anno cepit instaurari capella curie nostre Bercka que precedenti anno fuerat combusta.*

*Eodem anno organa noua in ecclesia monasterii Campensis constructa fuerunt.*

*Anno domini 1495 in festo sancti Benedicti abbatis facta fuit translatio monasterii montis domine nostre de prope yselsteyn in opidum yselsteyn. vide supra in precedenti pagina.*

## De magna glacie.

*Anno domini 1496 hyemps gelida fuit vnde adhuc circa festum pasche preter solitum in mari magno in aliquibus regionibus reperta fuit glacies in spissitudine XII pedum ita quod naues marine transire non poterant. Quin eciam in tempestatibus plures naues per glacies in mari fluitantes in partibus stagnalibus confracte fuerunt ac perierunt.*

## De invndatione aquarum.

*Et eodem anno circa mensem Maii multe invndationes aquarum fuerunt in partibus Reni. vnde agri per interruptiones aggerum in multis locis cum bladis et multis edificiis maxima dampna increuerunt.*

## De tempestatibus diuersis et casu edificiorum et arborum.

*Anno domini 1496 in die sanctorum marci et marcelliani martirum tempestates magne fuerunt in aquis et in terra cum tonitruis et pluuiis circa horam vesperarum ita quod multe naues periclitate fuerunt. Insuper multe arbores confracte aut euulse. et plura edificia domorum pro parte destructa fuerunt. Et eodem anno in crastino translationis sancti Benedicti abbatis circa horam quintam post meridiem maxima tempestas cum tonitruis et pluuiis exorta fuit que multa edificia prostrauit et in siluis plures arbores euulsit radicitus aut confregit. Quin eciam turres ecclesiarum in villagiis sc. Huls. Creuelt. Greueraed et in Embrica*

*iuxta moers super ecclesias suas ceciderunt et pariter confracte fuerunt. Eciam in opido Duysborgensi super Renum multa edificia prostrauit et vix vt dicebatur aliquod edificium in toto illesum permansit ibidem et eciam in locis vicinis multe turres et edificia ex eadem tempestate corruerunt.*

## De concrematione ecclesie in Nussia.

*Eodem anno in nocte sancte Marie magdalene in tempestate ex ictu et igne fulminis turris et ecclesia sancti Quirini. preter chorum terribiliter concremata fuerunt.*

## De tempestatibus et invndationibus aquarum.

*Anno domini 1497 inchoante post festum Epyphanie Domini fuerunt magne ventorum tempestates et maxime invndationes Rheni et aliorum fluuiorum ac riuorum ita quod ex impetu ipsorum euersa fuerunt edificia domorum et homines submersi et diuersi aggeres ab aquis multipliciter interrupti ex quorum interruptione multi egregii agri arena perfusi sunt. et quasi irreparabiliter in sterilitatem redacti. Insuper in nocte subsequente festum sancte Anne fuerunt tonitrua magna. et grandines maxime vltra quantitatem ouorum ceciderunt. que plura frumenta vsque ad solum destruxerunt.*

*Preterea eadem estate plures tempestates ventorum et pluuie extiterunt et plures agros submerserunt. Quapropter messis prolixa et grauis pro colligendis frugibus et feno fuit.*

## De magna siccitate.

*Anno domini 1498 a principio mensis Maii vsque ad messem fuit calor estatis et siccitas magna absque pluuia. in tantum quod plures arbores blada et vinee in multis locis exaruerunt. vnde et pauci fructus arborum et frumenta creuerunt.*

## De victoria turcorum contra christianos.

*Eodem anno rex Turcorum paganus et crudelis cum exercitu copioso inuasit Regnum et Archiducatum austrie et terras Maximiliani Romanorum regis. et vt fertur multas ciuitates et dominia christianorum sibi subiugauit. nullo resistente.*

## De inuasione ducatus Gelrensis.

*Eodem anno circa aduentum domini prefatus Maximilianus Romanorum rex cum adiunctis sibi ducibus et principibus intrauit ducatum Gelrensem quem suum esse asserebat. Et in primis vi armorum cepit opidum Stralen. et alia depredatus est. Neque quidam de exercitu suo timoris dei et sui honoris et salutis obliti pepercerunt ecclesiis monasteriis ac locis sacris. sed omnia que in illis inuenerunt in contumeliam dei abstulerunt.*

*Et eodem tempore monasterium Campense maxima dampna in possessionibus et grangiis in ducatu Gelrensi situatis sustinuit.*

*Et multiplicata fuerunt mala super terram. Erat autem tunc in multis locis videre miseriam et audire lamentationes. Et erat guerra grauissima inter duces Juliacensem et Cliuensem ex vna parte et inter ducatum Gelrensem ex altera parte.*

*Anno domini 1499 inchoante XV die mensis Januarii Stephanus van der Schuren eo tempore prior monasterii Campensis sollempniter promotus fuit in doctorem iuris canonici in ecclesia maiori Coloniensi. Et eodem die prandium fuit seruatum in ciuitate in domo consueta pro aliis doctoribus. sed de vespere fuit Aula doctoralis in curia monasterii Campensis sita in opposito monasterii sancti Johannis iherosolimitani.*

## De refectorio in infirmitorio.

*Anno domini M° 99° reparatum fuit et deaptatum refectorium in infirmaria cum fornace califactorii pro infirmis fratribus. et pro conuentu in gracia apostolica pro esu carnium per fratrem Rabanum dictum de Bueren fratrem donatum monasterii Campensis.*

## De spontanea resignatione domini Henrici Abbatis Campensis.

*Anno domini 1499 XII die mensis Aprilis frater Henricus de kalkar Abbas XXVII^us^ monasterii Campensis propter senium et propter frequentes infirmitates et debilitates corporales sponte resignauit dignitatem Abbatialem. In presentia venerabilis domini Henrici Abbatis monasterii Campi sancte marie et domini Gerardi prioris in maiori Buyrloe per commissionem Capituli generalis. Et eodem tempore propter guerras alii presentes*

*abbates aduocari absque periculo non poterant. Et successit eidem in regimine abbatie per canonicam electionem eodem die factam dominus Theodericus de wesalia. protunc grangiarius bonorum monasterii in Haren. Et postea in breui tempore benedictio et consecratio ipsius ex commissione Reuerendissimi domini Hermanni Coloniensis Archiepiscopi celebrata fuit per Reuerendum dominum Johannem syrenensem Episcopum protunc vicarium domini Coloniensis in pontificalibus in capella domus sue in Colonia iuxta monasterium fratrum minorum. quia infirmus fuerat nec poterat ad aliam ecclesiam accedere. Fueruntque ibidem presentes domini Abbates de veteri monte et de heysterbaco. et alie persone ordinis.*

M°CCCC°XCIX°.

*Vicesimus octauus Abbas monasterii Campensis dominus Theodericus vernucken de wesalia canonice electus anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo IX°. XII die Aprilis. presidente ex speciali commissione capituli generalis venerabili patre domino Henrico abbate monasterii Campi sancte marie cum assessore domino Gerardo priore de maiori Buyrloe. quia propter grauissimas guerras inter ducem Montensem et Juliacensem et ducem Gelrensem dominus Abbas de veteri monte advocari non poterat. absque periculo et timore captionis aut spoliationis.*

*Item benedictio seu consecratio istius Abbatis de licentia domini Hermanni Archiepiscopi Coloniensis disposita fuit vt celebraretur in monasterio orti sancte marie in Colonia. Sed superueniente domino Johanni Suffraganeo repentina infirmitate ad predictum monasterium accedere non poterat. Ideo in capella domus sue compleuit eam presentibus venerabilibus dominis Abbatibus de veteri monte et heisterbaco.*

*Item temporibus istius abbatis occurrerunt monasterio Campensi multa mala.*

*Item 2° anno regiminis sui ad contemptum aliquorum fratrum malo spiritu vehementer abscidi fecit plures arbores buxi de quibus solent tolli rami palmarum et diuersa alia et fuit in dampnum monasterii*[1]*). Iste Theodericus obiit anno 1503° ipso die Leodegarii martiris.*

1) Randnachtrag von „Item benedictio“ an.

*Anno domini millesimo quingentesimo in vinea Campensi prope monasterium creuit de gracia dei melius vinum. quam in multis preteritis annis neque in memoria hominum simile fuit.*

## De noua consecratione et dedicatione Capelle monasterii in Bercka.

*Anno domini M° quingentesimo in crastino assumptionis sancte marie quod tunc fuit in die dominica. Capella monasterii Campensis in opido berckensi que anno domini 1494 per incendium ciuitatis fuerat concremata. de nouo fuit sollempniter consecrata cum altaribus tribus a Reuerendo domino Johanne Episcopo syrenensi et vicario in pontificalibus Reuerendissimi domini Hermanni Coloniensis Archiepiscopi.*

## De dampnoso incendio horrei in Euersael.

*Anno domini quingentesimo in nocte precedente vigiliam sanctorum Symonis et Jude circa decimam horam noctis. quidam malignus homo dictus Theodericus Daerman de kempis. qui ad aliquot annos fuerat seruitor in hospitali pauperum circa portam monasterii Campensis sed propter invtilitatem et infidelitatem suam licentiatus et dimissus fuerat a seruicio suo et receptis rebus suis recesserat pacifice et habitabat in kempis et inde propter forefacta sua expulsus vagabatur vbique. Qui tandem maligno spiritu instigatus aut prauorum hominum consilio persuasus. pretensis pro causa malicie sue quibusdam verbis iniuriosis sibi forte vt dicebat a quibusdam personis monasterii aliquando illatis. fecit monasterio maximum dampnum incendendo magnum et amplum horreum plenum bladorum de cremento et decimis illius anni in grangia monasterii in Euersael.*

*Istis annis fuerunt guerre graues inter duces Gelrenses et Cliuenses per incendia et rapinas et mortes hominum et diuersa mala. vnde et monasterium Campense plura dampna pertulit per rapinas et incendia et exactiones etc.*

*Anno domini 1503 fuit estas nimis calida et arida. ita fructus terre et arborum in multis locis exaruerunt et in aliis locis competenter creuerunt. Et eodem anno propter terre siccitatem renouata fuerunt multa fossata circa monasterium Campense et circa nemora et agros. Et eodem anno in festo sancti*

*Laurencii de mane circa tempus missarum spoliati fuimus iniuste et violenter possessione ecclesie Berckensis vsque ad penultimam diem februarii.*

*Anno domini 1503 in ducatu Gelrensi diu obsessum fuit et tandem expugnatum et captum fuit castrum Batenborch. cuius occasione multa dampna in grangiis nostris in haren pertulimus.*

*Eodem anno sc. 1503 circa festum exaltationis sanctc crucis Gelrenses inimici Cliuensium callide et dolose nocte obtinuerunt opidum wachtendonck. sed quia castrum ibidem obtinere non potuerunt longa obsidione et impugnatione fatigauerunt eos qui ex parte ducis Cliuensis fuerunt in castro. et tandem quamuis adhuc satis habundarent victualibus et requisitis bellicis tamen in sacra ebdomada ante Pascha continua impugnatione fatigati et continuis laboribus exhausti amplius non valentes resistere Gelrensibus castrum reliquerunt feria 2ª pasche que fuit 7ª dies aprilis et saluis corporibus et rebus dimissi fuerunt a Gelrensibus. Et occasione istius obsidionis et expugnationis monasterium Campense pertulit grauia dampna in redditibus et decimis.*

M°V°lIII°.

*Vicesimus nonus Abbas monasterii Campensis dominus Engelbertus Bisscop de Colonia canonice electus anno domini M° quingentesimo 3° XXII die mensis Octobris sc. in die sancti Seuerini episcopi presidente ex commissione capituli generalis venerabili domino Henrico abbate Campi sancte marie. assidente sibi domino priore de maiori Buyrloe. Ad hanc electionem primo vocatus et inuitatus fuerat dominus abbas veteris montis. qui propter infirmitatem et alias causas venire non poterat. Iste dominus Engelbertus paucis mensibus prefuit.*

*Obiit vero anno 1504 octaua die mensis Aprilis. que tunc fuit feria 2ª post pascha. Item prefatus dominus Engelbertus recepit benedictionem episcopalem a reuerendissimo domino Hermanno archiepiscopo Coloniensi. quia vicarius suus siue Suffragaueus defunctus fuerat. Actum fuit in castro Bruyl in vigilia natiuitatis domini eodem anno in ecclesia fratrum minorum de obseruancia presentibus ibidem venerabilibus dominis abbatibus de veteri monte et de Tuicio ordinis sancti Benedicti.*

*Anno domini 1503 in nocte precedente vigilia apostolorum*

*Symonis et Jude. quemadmodum ante triennium eadem nocte circa decimam horam incensa fuerunt et combusta fuerunt duo magna horrea plena bladis in Euersael. Sed per quem uel quos adhuc ignorabatur. Sed non diu post compertum fuit quod ille idem Theodericus dairman qui anno domini M° quingentesimo ibidem incendium fecerat. tunc iterauit et maiora dampna sicut postea captus recognouit facere disposuit. Ipse enim eodem anno circa moersam a quibusdam ruralibus agnitus et captus atque ad opidum Moersense perductus et traditus iudici et iusticie seculari in profesto sancti martini de mane. Et inuenta fuerunt apud eum plura instrumenta requisita incendiariorum. quibus in breui tempore vt fatebatur intendebat plura incendia facere etc. Et continenter in octaua sancti martini post examinationem ipsius adiudicatus fuit iudicialiter ad mortem incendiariorum et affixus et cachenatus ad stipitem combustus fuit apud moersam prope stratam publicam ad spectaculum populi transeuntis.*

*Anno domini 1504 circa festum pasche reedificatum fuit horreum in Euersael iam in breuibus annis tercio combustum. Item et aliud horreum paruum quod spectabat ad Colonum grangie.*

## De restitutione in pacificam possessionem ecclesie Berckensis.

*Anno domini 1504 penultima die mensis februarii via iusticie restituti fuimus ad pacificam et realem possessionem ecclesie Berckensis. despoliati fuimus precedenti anno in festo sancti laurentii multum iniuriose et violenter. disponentibus quibusdam de consulatu Berckensi inimicantibus nobis et quidam alius diu excommunicatus pluribus annis in despectum nostri introductus fuit dictus Johannes Steenhagen pastor in Replar. Facta fuit hec restitutio in presentia reuerendissimi domini Hermanni Coloniensis archiepiscopi in castro suo Bruyll in pleno Consilio.*

*De ista restitutione et compositione cum Berckensibus et diversis causis confecta sunt publica instrumenta et signata sigillo domini archiepiscopi Coloniensis.*

### M° V^co IIII°.

*Tricesimus Abbas monasterii Campensis dominus Anthonius bemmel de Nouimagio canonice electus anno domini millesimo ~~ingentesimo quarto in festo sancti marci euangeliste. presidente*

*venerabili domino Henrico abbate Campi sancte marie ex commissione capituli nostri generalis. assidente sibi domino Gerardo priore de maiori Buyrloe. quia propter guerras aliquem abbatem habere non poteramus.*

*Iste dominus Anthonius eodem anno feria 2ª pentecostes per Reuerendissimum dominum Hermannum Coloniensem archiepiscopum quia suffraganeum protunc non habuerat solempniter fuit benedictus in ciuitate Bonnensi in ecclesia sanctorum Cassii et florencii martirum. presentibus ibidem et assidentibus venerabilibus dominis abbatibus Wilhelmo de Heisterbaco et domino Gherlaco abbate tuyciensi ordinis sancti Benedicti cum aliis religiosis.*

*Anno domini 1504 fuit estas longa sicca et calida et quodammodo sine pluuia ita vt arbusta in multis exaruerunt et pauca blada creuerunt. Eodem tempore in mense maio fuit plaga erucarum innumerabilium que fructus et folia arborum deuastauerunt sic quod in multis locis parum creuerunt et glandes et faga omnino defecerunt.*

*Eodem anno in festo sancti Sixti pape celebrate fuerunt misse de nouo vino illius anni. sed propter siccitatem et nimium solis ardorem vix dimidium crementum in monasterio habuimus.*

*Eodem anno circa festum sancti Bartholomei apostoli fuit terremotus in ista patria circa decimam horam noctis ita vt edificia domorum et turrium concuterentur et homines in lectis iacentes terrerentur sed non diu duravit.*

*D. Johannes Middels ab Hüls . . . . . 31. abbas 1504.*
*D. Henricus ab Orsoy . . . . . 32. abbas 1524.*
*D. Johannes Ingenray ab Hüls . . . . . 33. abbas 1529.*
*De hisce vide catalogum Abbatum typis excussum*[1]).

*D. Rhicardus de Xantis. 34. abbas. hic moribus magis quam litteris instructus inita cum Magnatibus familiaritate non pauca debita contraxit, nonnullos quoque redditus immobiles diuendidit et omnia in peius vergere coeperunt, vbique invalescente Lutheranismo. Obiit A°. 1573. sepultus in Campo.*

---

1) Ob hierunter das Werk Jongelin's oder des Campener Mönches Ditmar zu verſtehen, iſt nicht klar. Letzteres iſt dem Abte Johann Ingenray gewidmet; vergeblich habe ich dasſelbe aufzutreiben verſucht.

*D. Johannes Langenray ex oppido Wachtendunck abbas 35. Si talis oeconomus qualis theologus (Theologiae doctor erat) fuisset, plurimum suo monasterio profuisset, sed nimium tribuens suo cellerario viro infideli, obfuit plurimum contrahendo maxima debita et alienando bona haud vulgaria circa Nouesium et Vrdingam sita, hic aduertens bona siue redditus monasterii non fore sufficientia ad supportanda quotidiana grauamina tam consuetae hospitalitatis quam incursionis militum Geuseorum, ita vocabantur, dereliquit monasterium et assumptis secum quibusdam fratribus Novesium iuit ibidemque in curia Campensi commoratus est quod ipsum prior et seniores aegre tulerunt et improbarunt. Schismate illo inter abbatem et conventum orto cellerarius de quo supra et sui asseclae circa Campum, abbas vero circa Bedbur bona monasterii certatim quasi diuendere et oppignorare coeperunt A°. 1579 et sequentibus. Obiit predictus abbas A°. 1584 Novesii ibique sepultus.*

*D. Godefridus Dracks de Loberich Abbas 36. Coloniae A°. 1585 electus per quosdam. reclamantibus aliis adhuc in Campo permanentibus. Dum Colonia excedit capitur a Geuseis et lytrum 5000 millium dalerorum soluere cogitur, hoc infoelix sui regiminis auspicium grauatum Campum magis aggrauauit, ita vt A°. 1586 plane desertus sit et manserit. Hic vir pede quidem tardus sed ingenio perspicax maxima debita per suos antecessores contracta cum eluere non posset, sumptuosis processibus retardare voluit, vnde procuratores ditauit, Campum non meliorauit, depost enim cum vsura soluenda fuere. Hic abbas 27 annis circiter Coloniae solitarius vixit nec vllum nouitium, nisi A°. 1608 primo suscepit; resignauit A°. 1612. mortuus A°. 1622, Coloniae sepultus*[1]).

1) Ueber dieſen Abt iſt vor der Chronik ein Blatt eingeheftet, auf dem in Bezug auf deſſen Gefangenſchaft bemerkt wird:

A°. 1585.

Anno milesimo quingentesimo octuagesimo quinto cum in oppido Berck duos dies vltra sedecim septimanas captiuus habitus fuissem ac pro redemptione quatuor millia thalerorum et quadringentos: pro sumptibus vero sexcentos *dedissem,* vigesimo quinto Augusti eiusdem anni cum saluo conductu veni

*D. Carolus Abbas 37. Vir quieti deditissimus, parum sollicitudinis in se suscipere potuit aut voluit. sub hoc praeclara illa bona intra Mosam et Walim sita, inconsulte heu heu diuendita sunt.*

*Insignis illa curtis Stromeurss pro 6000 imperialibus oppignorata et nonnulla alia quae plus obquam profuere. acta non tam per illum quam suum cellerarium. Sub hoc abbate nouelli fratres numero quatuor per predecessorem suscepti Colonia Bercam venere A°. 1613 ibidemque officium diuinum in capella Campensi egerunt, assumptis paulatim nouitiis pluribus. resignauit A°. 1622. obiit Nouesii A°. 1633. et sepultus est in Eppinchhoven.*

*D. Laurentius de Bever Cliuensis. Abbas 38 electus 1622. De eo scribat alius*[1]*).*

*Anno domini millesimo sexcentesimo vigesimo nono. Hollandi interceperunt ciuitatem Wesaliensem stratagemate quodam.*

*Eodem anno mense Septembri ciuitas Buscoducensis catholicissima capta est ab Hollandis haerethicis primo postquam duabus vicibus frustra id attentassent et postrema vice septimanis acerrime restitissent et plurimas clades hostibus eruptionibus suis et explosionibus tormentorum intulissent tandem de succursu desperantes et ob defectum pulueris tormentarii se dedere sunt coacti sub certis conditionibus.*

*Item anno 1629 Hollandi vlterius progressi inuaserunt Duisbergensem ciuitatem, Dinslaken, Holt, Rorort, Ratingen, Essendiam, Werdenam et plures alias Cliuensis et Montensis ducatus ciuitates seu castella.*

*Anno 1630 Düsseldorpium miro quodam stratagemate inuadere conati sunt, sed frustra et irrito euentu.*

---

**Xantos ibique multas adversitates et perturbationes passus vixi in summa parcitate.**

Godefridus Draeck,
Abbas vet. campi.

**Ego frater Andreas Holtmän haec suprascripta inueni in antiqua et lacerata chartula ita per propriam manum domini Godefridi Draeck, Abbatis exarata atque hic pro posterorum memoria annotaui A°. 1674 die 16. Aprilis.**

1) Ob das Vorhergegangene von Johann Mibbels ab bis hier von ihm selbst vielleicht herrührt? Es ist von einer und derselben Hand geschrieben.

